CAROLI EGGER

LEXICON
NOMINVM VIRORVM ET MVLIERVM

SECVNDO EDIDIT

SOCIETAS LIBRARIA «STVDIVM»

F. CONTI

CAROLI EGGER

LEXICON NOMINVM VIRORVM ET MVLIERVM

SECVNDO EDIDIT

SOCIETAS LIBRARIA «STVDIVM»
ROMÆ

PROOEMIVM

Dixerit aliquis nimia in vulgus numero iam edita esse lexica Latina, quorum alia, a viris scientia et copia insignibus condita, sibi superesse neque desinere multam afferre utilitatem, alia vero, scilicet tenuioris ingenii monumenta, oblivione breve post tempus obrui.

Est autem prae nobis ferendum studium, quod in lexicis conscribendis versatur, dummodo, qui ad id incumbit, subtiliorem doctrinae rationem persequatur, fine terminari numquam. Nullus enim est liber, immo nullum est corpus ponderosum, quo omnia verba Latina cete raque eo pertinentia, praesertim si codicum fidem spectes, contineantur. Ut ergo in altioribus disciplinis, quas mens humana totas complecti nullo modo potest, aliam alius excolit atque uni praeter ceteras aliquis studet — quo e singulari opere commoda plurima solent proficisci — sic in lexicis quoque exarandis utiliter factum est.

Ei ergo, qui in intimum, ut ita dicam, Latinitatis sacrarium cupit penetrare, praesto sunt huiusmodi lexica peculiaria, ut ea quae singillatim pertinent ad opera Ciceronis, ad scriptores christianos, ad historiam, archaeologiam, mythologiam aliasque antiquitatis disciplinas ; nec ei desunt lexica, quae spectant ad usum ac delectum verborum, ut Krebsii *Antibarbarus*, vel ad res novas interpretandas, ut A. Bacci, *Lexicon eorum vocabulorum quae difficilius Latine redduntur.*

Cum igitur hoc genus instrumenta habeantur in procinctu, videtur tamen desiderari manualis liber, quo nomina virorum et mulierum, communi usu recepta, sint in litteram digesta.

Quorum non pauca veteribus etiam Graecis ac Romanis erant usitata, plurima vero medio, ut appellant, aevo facta sunt, a Germanico fonte vel aliunde derivata, alia denique recentior induxit aetas, commenticia saepe et a poetis fabularumque scriptoribus quasi mutuo accepta. Priora quidem in amplis voluminibus, recondita doctrina refertis, una cum verbis geographiae propriis recensentur, cetera vero

in indicibus, vulgari sermone conscriptis, plerumque solent inveniri; quae si in Latinam rationem transferuntur, id cuiusque arbitratu saepe fieri videmus. Qua de causa in commentariis, qui Latinitas inscribuntur, pluries *de quibusdam nominibus recte scribendis* [1], non sine legentium probatione, tractavi.

Totum igitur hoc negotium aggressus, lexicon nominum virorum et mulierum componere institui, confisus Latine scribentibus vel loquentibus litterarumque Romanarum studiosis rem neque iniucundam neque inutilem me facturum.

Quo in opere efficiendo has mihi praestitui rationes: illuc enim ea solum congessi nomina, quibus viri mulieresque temporibus nostris solent appellari; quorum rectum exarandorum modum ut ex critices praeceptis statuerem, non modica mihi cura fuit.

Nominum deinde declinationem in casus, praesertim cum de verbis Graecanicis agebatur, haud neglexi, id quod legentibus non parvo usui fore arbitratus sum.

Praeterea omnium fere nominum originem, ut fieri potuit, explicare conatus sum, communem etiam fontem Indicum-Europaeum, unde manarent, saepe retegens; quo itidem liber satis videtur commendari, quandoquidem Tullius non perperam asseverat: « Verborum etiam explicatio probatur, id est qua de causa ita essent nominata, quam etymologiam appellant » [2].

Ut autem e plurimis nationibus sermonis Romani amatores hoc libro uti possent, nomina vulgaria, quae essent Latine reddenda, non una sed pluribus ac saepe quinque linguis, prout consuetudo suadebat, expressi.

Quoniam vero usus vulgaris nominum virilium ac muliebrium singulis in linguis nequit certis finibus circumscribi, non mihi suscenseat lector, si forte aliquod nomen suo sermone patrio non inveniat scriptum. Qui haud gravatim se expediet, cum sint nomina fere omnia cognatione inter se coniuncta, ita ut hac in re ab alia lingua ad aliam revocari possit.

[1] Cf. I, 1953, pp. 308-311; II, 1954, pp. 76-78; III, 1955, pp. 62-66; IV, 1956, pp. 63-64.

[2] *Acad.* IV, 8; Cf. Varr. *L. L.*, VII, 109; Quint., I, 6; Gell., XIX, 15.

Differt ergo hic liber a magnis illis multique sudoris lexicis nominum Romanorum Graecorumque, quae sunt in bibliothecarum pluteis recondita, atque etiam a tenuioribus indicibus, vulgari sermone compositis, in quibus minor cura intenditur ad philologam doctrinam quam ad explicandam rerum memoriam, quam singula nomina solent movere. De hisce autem operibus quasi florida et varia deprompsi, ut suis locis annotatur.

Non igitur mens fuit quasi fastos conscribere vel civium album conficere, sed e philologorum officinis proferre opusculum in usum eorum, qui Latine loquuntur vel scribunt. Quod non quidem praefidente animo in vulgus emitto, cum mihi conscius sim esse materiam multiplicem neque huiusmodi, ut omnibus numeris umquam possit absolvi. Attamen haec difficultas non deterruit a scribendo, « prima enim sequentem », ut ait Cicero, « honestum est in secundis tertiisque consistere » [3].

* * *

Quae supra exposui, praefatus sum, cum in eo esset, ut hoc lexicon primum ederetur. Quod multorum cum probatione acceptum est ac satis brevi tempore omnia eius exemplaria divendita. Paulum retractatum pluribusque auctum nominibus, id nunc foras datur secundo.

CAROLVS EGGER Abbas

[3] *Or.* 1. - Contra rationem, quam in nominibus Germanicis ad aures Latinas accommodandis secutus sum, perperam hic profertur locus Morcelli : « Ne ii tibi probentur velim, qui nominibus quibusdam, ut latine illa et puriter efferant, non modo extremam inflectunt aptantque syllabam, sed alias etiam deturbant : quo fit ut qui modo Ruggerius erat, repente Rogerius exsistat, et qui Gulielmus, nova etiam littera inducta, Willelmus » (*De stil. inscr. Lat.* II, p. 3, c. 1, n.2). Fuit enim Morcellius Latinitatis scriptor politus et elegans, non autem philologus, ut ex allatis ab eo exemplis (quae sunt nomina Germanica in vulgaris linguae Italicae rationem traducta) plane perspicitur.

SEGRETERIA DI STATO

DI SUA SANTITA'

N. 399818

Dal Vaticano, 25 Aprile 1957.

Rev.mo Signore,

L'omaggio del suo « Lexicon nominum virorum et mulierum » è stato accolto dall'Augusto Pontefice con manifesti sentimenti di soddisfazione e di compiacenza.

Ed io mi allieto di essere interprete alla S. V. Rev.ma della viva riconoscenza di Sua Santità per il dono pregevole e la nuova prova di cortese animo filiale.

Al Santo Padre non è sfuggita l'importanza del risultato del lavoro lungo e accurato, di cui il Lexicon stesso è frutto maturo. La sicura grafia di tanti nomi di persone di origine varia e la loro facile consultazione interessano non poco i cultori della lingua latina e in modo particolare i redattori dei documenti della Curia Romana e i liturgisti.

Pertanto è oggetto degli augusti voti che l'opera dovuta alla competenza e diligenza della S.V. efficacemente contribuisca a bandire incertezze nello scrivere e nel pronunciare i nomi latini e che a Lei procuri gli assensi e i consensi, che si merita.

Con tale augurio di felice risultato il Vicario di Cristo imparte a Lei e al campo delle sue attività la confortatrice Benedizione Apostolica, stimolatrice di sempre più operoso zelo.

Riconoscente per l'esemplare con tanta gentilezza anche a me assegnato, mi valgo dell'occasione per confermarmi con sensi di distinta stima

di V. S. Rev.ma
dev.mo nel Signore
ANGELO DELL'ACQUA
Sostituto

Rev.mo Signore
CARLO EGGER
Consulente dei Brevi Apostolici
Città del Vaticano

Epistula ANTONII Cardinalis BACCI

ad huius lexici auctorem

Elucubranti mihi vocabulorum lexicon, quae difficilius latine redduntur [1], *haud semel in mentem venit virorum etiam et mulierum nomina eidem interserere, quae, cum media aetate vel nostris hisce temporibus in usum recepta essent, non modo « cinctutis non exaudita Cethegis »* [2], *sed optimis etiam antiquisque latinitatis scriptoribus ignota essent, itemque ea de quorum scribendorum ratione hodie disceptaretur. Sed facultas ac vires ad id faciendum mihi non suppetivere ; quam ob rem hodie summo cum gaudio cerno eiusmodi opus, quod mihi in votis erat, abs te esse diligentissimo studio, tenaci labore, non communi peritia absolutum.*

Rem non solum utilissimam te fecisse gratulor, sed aliqua etiam ratione novam. Haud desunt, quod omnes norunt, virorum, mulierum, regionum, urbium, fluminum et montium lexica valde accurata ; in quibus ea profecto molis gravitate et doctrinae praestantia excellunt a Vincentio De-Vit et a Iosepho Perin exarata, quae Onomasticon *inscribuntur. Attamen, praeterquam quod haud multi sunt, qui possint ponderosa haec volumina ad manum habere, nihil in iisdem invenitur, quod ad recentiora virorum mulierumque nomina attineat ; et in hac causa interdum doctissimis quoque viris aqua haeret, scilicet quotiescumque debent haec verba latine reddere ac scribere.*

Hoc etiam laudis accedit labori tuo : quem nempe philologiae et critices studia magnum hodie fecerunt processum, cum omnino perspectum habeas, eum te tam diligenter in opus tuum exequendum contulisse, ut de eo tritum illud proverbium nullo modo usurpari possit, quod ceteroquin de aliis voluminibus saepius evenit : « ex libris libri fiunt ».

[1] A. Bacci, *Lexicon vocabulorum quae difficilius latine redduntur*, editio quarta, Romae, 1963.

[2] Hor., *Epist.* II, 3, 50.

Nomina praeterea per ordinatam litterarum seriem ita abs te digesta sunt, ut primum Italica, deinde Gallica, Hispanica, Anglica, Germanica proponantur ; quam ob rem iis omnibus lexicon tuum utile esse potest, qui unam saltem ex hisce linguis noscant ; nullus autem hodie excultus habetur homo, in quavis orbis terrarum parte, qui hos sermones omnes ignoret.

Ad illud igitur haud parum provehendum contulisti, quod commentariorum nostrorum, quibus Latinitas *est index, proprium est propositum et inceptum : ad efficiendum nempe pro viribus ut Romanus sermo, qui numero, potentia ac maiestate ceteros superat omnes, non modo vigeat ac reflorescat, sed commune etiam inter doctos universos sit unitatis vinculum, eo quippe modo, quo in Catholica Ecclesia feliciter evenit. Vale.*

Scribebam in Urbe Vaticana, Cal. Ian., anno MDCCCCLVII.

ANIMADVERTENDUM

Nomina quinque summum linguis in hoc lexico recensentur. Unicuique nomini superscripta est litterula, qua sermo, de quo agitur, significatur hac servata ratione :

i = lingua Italiaca ; **g** = lingua Gallica ; **h** = lingua Hispanica ;
a = lingua Anglica ; **ge** = lingua Germanica.

AVVERTENZA

I nomi contenuti nel Dizionario sono riportati in un massimo di cinque lingue.
Ogni nome ha un esponente che serve ad indicare la lingua di cui trattasi secondo il seguente codice :

i = lingua italiana ; **g** = lingua francese ; **h** = lingua spagnola ;
a = lingua inglese ; **ge** = lingua tedesca.

AVERTISSEMENT

Les noms contenus dans ce dictionnaire sont indiqués en cinq langues au maximum.
Chaque nom est affecté d'un exposant qui indique de quelle langue il s'agit, selon le suivant alphabet :

i = italien ; **g** = français ; **h** = espagnol ; **a** = anglais ; **ge** = allemand.

ADVERTENCIA

Los nombres contenidos en el diccionario estan classificados en un máximo de cinco lenguas.
Cada nombre tiene un exponente que sirve para indicar la lengua de que se trata segun el siguiente orden :

i = lengua italiana ; **g** = lengua francesa ; **h** = lengua española ;
a = lengua inglesa ; **ge** = lengua alemana.

NOTE

The names contained in the dictionary are given to the maximum of five languages.
Every name has a reference letter which indicates its language according to the following table :

i = Italian ; **g** = French ; **h** = Spanish ; **a** = English ; **ge** = German.

ZUR BEACHTUNG

Die Namen werden im Wörterbuch in der Höchstzahl von fünf Sprachen aufgeführt.
Jeder Name ist mit einem Exponenten versehen, der die Sprache, um die es sich handelt, nach folgendem Muster bezeichnet :

i = italienisch ; **g** = französisch ; **h** = spanisch ; **a** = englisch ; **ge** = deutsch.

ANNOT. : *Hisce rationibus non continentur perpauca nomina Slavica, Hungarica, Scandinavica.*

SCRIBENDI COMPENDIA EXPLICANTVR

Eorum, quae in lexico per notas vel compendia scripta sunt, plurima videntur esse satis facilia intellectu legenti, qui in litterarum studia sit assuetus. Nonnulla autem, quae saepius usurpantur, placuit hic in litteram digerere:

bl. app.	=	blanda appellatio.
Boisacq	=	E. Boisacq, *Dictionnaire étymologique de la langue grecque*, Heidelberg 1950.
C.I.E.	=	*Corpus Inscriptionum Etruscarum*, Lipsiae 1893.
C.I.G.	=	*Corpus Inscriptionum Graecarum*, Berolini.
C.I.L.	=	*Corpus Inscriptionum Latinarum*, Berolini.
Dauzat	=	A. Dauzat, *Dictionnaire étymologique des noms de famille et prénoms de France*, Paris.
dem. nom.	=	deminutum nomen.
De Rossi	=	I.B. De Rossi, *Inscriptiones christianae Urbis Romae*, Romae 1857-1861.
Dessau	=	H. Dessau, *Inscriptiones Latinae selectae*, Berolini 1892-1914.
Diehl	=	E. Diehl, *Inscriptiones Latinae christianae veteres*, Berolini 1925-1931.
Ernout-Meillet	=	A. Ernout-A. Meillet, *Dictionnaire étymologique de la langue latine*, Paris 1951.
Förstemann	=	E. Förstemann, *Altdeutsches Namenbuch I*, Bonn 1900.
Fumagalli	=	G. Fumagalli, *Piccolo Dizionario dei nomi propri italiani di persone*, Genova 1901.
Mart. Rom.	=	Martyrologium Romanum.
M.G.H.	=	*Monumenta Germaniae Historica*.
On. Perin.	=	*Onomasticon totius Latinitatis opera et studio Iosephi Perin*, Patavii 1913.
Partridge	=	*Name this Child. A Dictionary of modern British and American given or Christian names*, London 1951[3].
Paul. ex Fest.	=	*Sexti Pompei Festi de verborum significatu quae supersunt cum Pauli epitome* ed. W. M. Lindsay, Lipsiae 1913.
prisc. Ind.	=	lingua prisca Indica, quae vulgo *sanscrito, sanscrit, Sanskrit* appellatur.
Schulze	=	W. Schulze, *Zur Geschichte lateinischer Eigennamen* [5]. Abhandlungen der königl. Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen, phil.-hist. Klasse, N. F., Berlin 1933.
Sertoli Salis	=	R. Sertoli Salis, *Dizionario dei nomi propri di persona*, Milano 1951.
Sleumer	=	A. Sleumer, *Kirchenlateinisches Wörterbuch*, Limburg 1926.
Tagliavini	=	C. Tagliavini, *Un nome al giorno*, Edizioni Radio Italiana.
T.L.L.	=	*Thesaurus Linguae Latinae*, Lipsiae.
Walde-Hofmann	=	A. Walde – J. B. Hofmann, *Lateinisches etymologisches Wörterbuch*, Heidelberg 1938-1954.
Wasserzieher	=	E. Wasserzieher, *Hans und Grete. Zweitausend Vornamen erklärt*, Bonn, Hannover, Stuttgart 1955.

Monendum denique est divinorum librorum locos secundum vulgatam, quam vocant, editionem afferri.

A

Aaron[g] **Aaron**[a] **Aaron**[ge]: v. *Aronne*.

Abacuc: Habacuc, m.; non inclinatur in casus. Est nomen Hebraicum *Hhabaqqûq*, quod, ut veteres opinabantur (e vulgari potius interpretandi ratione) idem valet atque *amplexus* vel *amplexator*, seu *lucta* vel *luctator*. Graeci scripserunt 'Αμβακούμ vel 'Αμβακούκ (LXX), e quorum ratione Prudentius ponit *Ambacum*; cf. *Cathem.* 4,58-60: « Cernit forte procul dapes inemptas, — quas messoribus Ambacum propheta — agresti bonus exhibebat arte». In vulgata vero Sacrorum Bibliorum editione scriptum legimus *Habacuc*. Fuit propheta ex duodecim minoribus octavus; alter propheta hoc nomine appellabatur, qui ab angelo in aera elatus Danieli in lacum leonum coniecto cibum, quem messoribus parabat, Babylonem detulit (DAN. XIV, 34-38). Hoc denique nomen fuit nobili Persae, filio Marii et Marthae, fratri Audifacis, qui martyr occubuit; de quo agitur in *Libro Sacramentorum Gelasiano*, II, 4.

— (Mart. Rom. XVIII Cal. Febr.).

Abälard[ge]: v. *Abelardo*.

Abbey[a]: bl. app. pro Abigail; v. *Abigail*.

Abbondio[i] **Abonde**[g] **Abundio**[h]: Abundius, ii, m. Ducitur, ut liquet, a verbo ab-undandi; unda in sermone Umbro audit *utur*, cf. Graec. ὕδωρ, prisc. Ind. *unatti*, *undti*, h. e. *scaturit*, Goth. *wato*, prisc. Germ. *wazzar* (nunc *Wasser*), h. e. *aqua*. In Mart. Rom. plures recensentur Caelites hoc nomine appellati.

Abdia[i] **Abdias**[ge]: Abdīas, ae, m. Derivatur a dictione Hebr. *obhadhyâhu* vel *abhadhyâh*, quod idem valet ac *servus Yah*, seu Domini. Cf. *Obadiah*. — (Mart. Rom. XIII Cal. Dec.).

Abe[a]: bl. app. pro Abrahamo; v. *Abramo*.

Abelardo[i] **Abelard**[a] **Abälard**[ge]: Abelardus, i, m. Ab aliis, minus recte, scribitur Abaelardus. Nominis vero origo non uno modo enodatur; ductum est enim aut a verbis Germanicis *adel* et *hard*, quorum prius idem valet ac *nobilis*, alterum idem ac *fortis*, *durus*; aut a verbo Gallico *abeille* (ab incolis Provinciae dicitur *abelha*), cuius vis est *apicula*. Cf. Wasserzieher, p. 131 R. Sertori Salis, p. 13. Tamen haec originatio

in controversia versatur. Sunt etiam qui putent nominis priorem partem esse *Abeleus*, alteram *-hart* (*hard*), quam in vocem multa nomina Germanica exeunt (cf. *Adelardus*).

Abele[i] **Abel**[g] **Abel**[h] **Abel**[a] **Abel**[ge]: Abel, elis, m. Hoc modo inclinatur a Prudentio, *Peristeph.* X, 829, et Cypr. Gall., *in Gen.* 193. Neque improbandus est modus: Abelus, i; cf. *Ios.* I, 2, 1: Ἄβελος (Sept.), et Cypr. Gall., ib., 138, 157. Ab aliis denique non inclinatur in casus. Derivatur a voce Hebr. *âbhal*, cuius vis est *nebula*, *vapor*; cf. Hieron., *De nom. Hebr.*, et Isid. *Orig.* VII, 6, 8. Recentiores autem nominum enodandorum periti originem ducunt a vocabulo Assyr. *habla* vel *hablu*, aut Accad. *ibil*, quod idem valet ac *filius genitus*; cf. On. Perin., I, p. 5.

Abie[a]: bl. app. pro Abrahamo; v. *Abramo.*

Abigaille[i] **Abigaille**[a]: Abigail, f.; non inclinatur in casus. Nomen ductum est a verbis coniunctis Hebr. *abhighayil*, quorum vis est: *pater exsultans.*

Abilio[i] **Abilius**[ge]: Abilius, ii, m. Videtur derivari ab *Abila*, quo nomine appellabatur sive urbs in Coelesyria sita, caput regionis Abilinae; cf. Plin., V, 18, 16, et *Tab. Peutinger.* (ab aliis vero hic locus Plinii ad urbem cognominem Decapoleos refertur); sive mons Mauritaniae in faucibus freti Gaditani; cf. Plin. III, *prooem.*: « Proxima autem faucibus utrimque impositi montes coercent claustra Abila Africae, Europae Calpe, laborum Herculis metae ».

Abner[a]: Abnerus, i, m., vel Abner; tunc in casus non inclinatur. Ducitur a fonte Hebr.: *'ab*, cuius vis est *pater*, et *hîner*, quo verbo significatur *lux*; est ergo nominis interpretatio: *pater lucis* vel *lucens.* – (Mart. Rom. VIII Cal. Mart.).

Abonde:[g] v. *Abbondio.*

Abundio[h] **Abundius**[ge]: v. *Abbondio.*

Aby[a]: perinde atque Abe, usurpatur ab Americanis e Foed. Civ. Sept. ut blanda appellatio pro Abrahamo; v. *Abramo.*

Absalom[a]: v. *Assalonne.*

Abramo[i] **Abraham**[g] **Abrahán**[h] **Abraham**[g] **Abraham**[ge]: Abrahamus, i, m., vel sine postrema syllaba Latina; tunc in casus non inclinatur. Nominis huius Hebraici origo est: *abrâhâm*, hoc est *pater multitudinis.* Fatendum tamen est hanc intepretandi rationem potius vulgarem esse, non a subtili permanasse doctrina. Etenim *Abrâm*, ut est antiquior appellandi modus, seiungi nequit a nomine Hebraico *'Abhiram* et Assyrio-Babylonio *Abi-râmu*, cui haec sententia subiecta est, ut conici licet: *pater excelsus* (Tagliavini, p. 344). In Mart. Rom. praeter Hebraeorum gentis auctorem et « fidei patrem » (cf. Paul. Nol. *ep.* 24), de quo in sacris litteris agitur, duo recensentur Sancti Caelites, hoc nomine insignes (XVIII Cal. Iul. et XVII Cal. Apr.).

Acacio[i]: Acacius, ii, m. Minus recte scribitur Acatius; nomen ducitur ab α priv. et κακός, cuius vis est *malus*, *vitiosus.* Eo igitur significatur vir *vitii expers*, seu *purus.* – (Mart. Rom. V Cal. Dec.).

Accorso[i] : Accursius, ii, m. Nomen, ut liquet, ducitur a verbo *accurrendi*. Sanctus Caeles, ita appellatus, recensetur in Mart. Rom. XVI Cal. Iul.

Achard[g]: Achardus, i, m. Est altera scribendi ratio nominis Echardi ; v. *Ekkehard*.

Achille[i] **Achille**[g] **Aquiles**[h] **Achilles**[a] **Achilles**[ge]: Achilles, is, m. Originatio incerta est atque obscura. Veteres nonnulli nomen inepte ducunt ab α priv. et χεῖλος, cuius vis est *labium*, propterea quod heros Larissaeus, ex antiqua fabula, ferarum medullis sit educatus, adeo ut labia eius quasi adurerentur. Cf. Tert., *Pall.* 4 ; Cassiod., *Gramm.* VII, 155, 13. Nomen autem, si originem spectes, non videtur esse Graecum, sed a sermone aliquo deductum, qui ante adventum Graecorum in regionibus Mari Interno adiacentibus vigebat. Occurrit in vetere titulo christiano, Diehl, 300.

Achilleo[i] : Achilleus i, m. Est nomen Achillis in Latinam rationem translatum. – (Mart. Rom. X Cal. Mai. et IV Id. Mai).

Ada[i] **Ada**[h] **Adah**[a]: Ada, ae, f. Nomen derivatum esse videtur ab Hebraica voce *adhâ*, quae idem valet ac *pulchritudo, ornatus*. Rectius autem dixeris hanc esse blandam appellationem pro *Adelaide*.

Adalberto[i] **Aubert**[g] **Adalberto**[h] **Ethelbert**[a] **Adalbert**[ge]: Adalbertus, i, m. Derivatur a Germanico fonte : *adal*, quo verbo *nobilis*, et *bert*, quo *splendens, fulgens* significatur, i. e. homo *nobilitate clarus*. Est ergo idem nomen atque Alberti. Cf. Diehl, 3041 ann. (*Adelbertus*). – (Mart. Rom. IX Cal. Mai).

Adalbod[ge]: Adalbodus, i, m. Est nomen Germanicum, quo *nobilis dominus* vel *nuntius* (*Adal-bodo*; cf. *Adel, Bote*) significatur.

Adalgis[ge]: v. *Adalgiso*.

Adalgisa[i] : Adalgisa, ae, f. Ducitur a fonte Germanico : *adal-gîsil* (*gis*) ; prius verbum idem valet ac *nobilis*, alterum idem atque *sagitta*. Itaque haec est Latina interpretatio : *sagitta nobilis*.

Est quidem animadvertendum hac voce (*gisil-Geisel*) significari etiam *obsidem* atque adeo hanc vim ei subici posse : *obsidem nobilem*.

Adalgiso[i] **Adalgis**[ge] **Algis**[ge] : Adalgisus, i, m. ; v. *Adalgisa*.

Adalmar[ge] **Adelmar**[ge] **Almar**[ge] : Adalmarus, i, m. Nominis huius Germanici originatio est : *adal*, quod idem valet ac *nobilis*, et *mar*, hoc est *fama, gloria*. Eodem ergo significatur vir qui *nobilitate nominis famam* adeptus est.

Adamo[i] **Adam**[g] **Adán**[h] **Adam**[a] **Adam**[ge] : Adamus, i, m ; ab aliis in casus non inclinatur : Adam. Ducitur ab Hebraico vocabulo *adhâmâh*, quod *terram, argillam* significat ; est ergo nominis vis : *terrenus*.

Addie[a] **Addy**[a]: bl. app. pro Adelaide, vel Andrea, v. ib.

Addolorata[i] : Maria Perdŏlens, vel Maria Dolorosa. Est quidem adiectivum *dolorosus, a, um* serioris aetatis ; cf. Veget., *Mulomed*, III, 22 : « Efficacius tamen est, si de locis dolorosis (in quibusdam codicibus

legitur *dolentibus*) emissum sanguinem ipsius animalis addideris »; praeterea Theod. Prisc., *Log.* 95 (« dolorosos singultus ») ; *Cael. Aur. Chron.* IV, 5, 81.

Adelaide[i] **Adelaide**[g] **Adelaida**[h] **Adelaide**[a] **Adelheid**[ge]: Adelaidis, is, f. Hoc nomen effectum est priscis verbis Germanicis *adal* et *haidu*, quibus femina *nobilis* et *pulchra* significatur. In monumentis Latinis, media aetate conditis, varius invenitur scribendi modus : *Adelheida*, *Adelaida*, *Adelheidis*, sed frequentior est *Adelaidis*, qui aptius videtur ad Romanum sermonem accommodari. Sunt qui opinentur Adelhaidem (cum *h* littera in medio) scribi oportere, cum nominis pars altera (*haidu*, hoc est pulchritudo) ab *h* littera incipiat. Qua in re animadvertendum, quod alias quoque obtinet, vocabula de sermone aliquo externo deprompta, ad aures Latinas aptari debere. Coniunctas vero huiusmodi litteras *dh* (vel *llh* in *Vill-helmo* ; *sh* in *Anshelmo* ; *nh* in *Bern-hardo*), omnino non vel vix in nominibus Latinis usurpari. Neque probanda videtur consuetudo eorum, qui, cum nomina *Adelhaidis*, *Villhelmi*, *Anshelmi*, *Bernhardi*, ut ipsi scribere volunt, efferunt, pulmones dilatando halitum efflant, cum aures Latinae hanc aspirationem respuant in mediis verbis. Ceterum *Adelaidis* nomen sine media *h* littera in veteribus litterarum monumentis (cf. M. G. H. VIII, 476 ; II, p. 260, 266: *Adelaid* ; I, p. 267, 326 : *Adeleidis* ; VIII, p. 8, 287 : *Adeleida* ; ib., p. 192 : *Adeleyda*) scriptum videmus.

Adelasia[i] : Adelasia, ae, f. In hoc nomine, ad linguae Latinae rationem conformato, priscum verbum Germanicum *athal*, *adal* (Germ. rec. *edel*) continetur, quo *nobilis* significatur.

Adele[i] **Adele**[g] **Adela**[h] **Adela**[a] **Adele**[ge]: bl. app. pro Adelaide; v. ib.

Adelberga[ge] **Adelburga**[ge] **Alberga**[ge]: Adelberga, ae, f. Nomen ductum est a verbis Germanicis *adal-berg* (*bergan*), *burg*, quae idem valent ac *nobilis* et *praesidium.*

Adelchi[i] **Adelquis**[h]: v. *Adalgiso.*

Adelia[i]: Adelia, ae, f. Est nomen deductum, quemadmodum videtur, a vulgari appellatione *Adele*, quae pro *Adelaide* ponitur ; v. ibid.

Adelelmo[i] : Adelelmus, i, m. Cf. *Adelmo.*

Adelfo[i] **Adelfo**[h]: Adelphus, i, m. Quemadmodum liquet, est nomen Graecum ἀδελφός (= *frater*) in linguam Latinam traductum ; in titulis veteribus saepius usurpatur, cf. C. I.L. XI, 783, 1218. Recensetur in Mart. Rom. IV Cal. Sept.

Nomen compositum est ex α et δελφύς (= *uterus*), atque adeo idem valet atque *ex eodem utero prognatus*; cf. prisc. Ind. *garbhah* = *foetus* ; Lat. *volba*, *volva*, *vulva.*

Adelgiso : v. *Adalgiso.*

Adelgunde[ge] **Aldegonde**[ge] **Aldegunde**[ge] **Allegonde**[ge] : Aldegundis, is, f. Ducitur a fonte Germanico : *adal*, quo *nobilis*, et *gund* (*gunt*, *gut*), quo *pugna* significatur. Est ergo nominis interpretatio : *bellatrix nobilis.*

Scribendi ratio *Aldegundis, is*, mutuanda videtur a modo nomen Cunegundis exarandi (*Cunegundis, is*). – (Mart. Rom. III Cal. Febr.).

Adelheid[ge]: v. *Adelaide*.

Adelhelm[ge]: v. *Adelelmo*, *Adelmo*.

Adelhilde[ge]: Adelildis, is, f. Coaluit e verbis Germanicis *adal-hild*, quorum priore *nobilis*, *nobilitas*, altero *proelium* significatur. Itaque nomen, perinde atque *Aldegund*, idem valet ac *bellatrix nobilis*.

Adelina[i] **Adelita**[h]: bl. app. pro *Adelaide*; v. ib.

Adelinde[ge]: Adelinda, ae, f.; *Adal* in Germ. sermone *nobilem* significat, *lind* (*lint*) vero *serpentem* vel potius *tiliam*, *scutum tiliaceum*. Itaque *nobilis femina scuto tiliaceo munita* huius nominis interpretatio est.

Adeline[g]: bl. app. pro *Adelaide*; v. ib.

Adelma[i]: Adelma, ae, f.; v. *Adelmo*.

Adelmar[ge]: v. *Adalmar*.

Adelmo[i]: Adelmus, i, m. Ducitur nomen a verbis Germanicis *adal*, quod idem valet ac *nobilis*, et *helm*, cuius vis est *galea*, *praesidium*, *tutamen*. In litterarum monumentis (M. G. H., VIII, p. 476) scriptum videmus: *Adelelmum*, quae scribendi ratio ad originem propius accedit. – (Mart. Rom. VIII Cal. Iun.).

Adelrich[ge]: v. *Alderich*.

Ademaro[i] **Adhemar**[g] **Hadumar**[ge]: Hadumarus, i, m. Nomen deductum est a priscis verbis Germanicis *hadu* (cf. Germ. rec. *Hader*) et *mar* (cf. Germ. rec. *Märe*), quorum priore *pugna*, *proelium* significatur, alterum idem valet atque *inclitus*, *clarus*; est ergo Latina interpretatio: *pugnator clarus*; cf. Wasserzieher, p. 40.

Adeodato[i] **Adeodato**[h] **Diosdado**[h] **Adeodat**[ge]: Adeodătus, i, m. Facile intellectu nomen: *a Deo datus*.

Adilberto[i]: v. *Adalberto*.

Adina[i]: Adina, ae, f. Est nomen commenticium, in Caietani Donizetti dramate musico, quod *Elisir d'amore* inscribitur, usurpatum.

Ado[ge]: bl. app. pro Adolfo; v. *Adolfo*.

Adolfo[i] **Adolphe**[g] **Adolfo**[h] **Adolph**[a] **Adolf**[ge]: Adolfus, i, m. A multis perperam scribitur *Adolphus*, cum nomen non a Graeco derivatum sit sermone, sed a Germanico, qui litteram *ph* non in propriis sed in Graecanicis tantum usurpare solet verbis, quem morem in lingua quoque Latina novimus obtinere. Deducitur ergo nomen a priscis verbis Germanicis *adal-wolf*, quorum prius significat *genus*, *nobilitatem*, *nobilem*, alterum vero *lupum*. Est ergo Adolfus secundum nominis interpretationem *lupus nobilis*. Plurima sane prisca Germanorum nomina verbo *wolf* seu *wulf* (Gothi dixerunt *vulfs*) terminantur, quod ad CCCCLXIV huiusmodi nomina effingenda adhibitum esse I. Grimm, philologiae Germanicae auctor (*Deutsche Grammatik*, Göttingen 1826, pp. 330-331), allatis exemplis demonstrat; cum vero esset positum in exitu, primam litteram *w* amisit, ita ut audiret *-olf* vel *-ulf*. Apud veteres Germanos lupi erant animalia fau-

sta, quorum duo deum principem Odinum (*Wodan*) putabantur comitari. Recensetur in Mart. Rom. V Cal. Oct. (*Adulphus*).

Adolfa[ge] **Adolfine**[ge]: Adolfa, ae, f.

Adolphe[g] **Adolph**[a]: v. *Adolfo.*

Adone[i] **Adon**[h]: Adonis, is, vel ĭdis, vel Adon, is, m. Casus rectus apud praestantissimos auctores exit in *-is* (Cic., Verg., Ovid.); cas. dat. exit in *-idi* apud Cic. *De nat. deor.*, III, 59, in *-i* (*Adoni*) apud Serv. *ad Verg. Ecl.* VIII, 37; cas. acc. exit vel in *-idem* (Claud. *nupt. Hon.*; Mar. *fesc.* I, 16; Vulg. *Ezech.* VIII, 14) vel in *-em* (*Adonem*), cf. Propert. II 13, 53; Prob. *Gramm.*, IV, 199, 13; Arnob. IV, 27, e. a., vel in *-in* (*Adonin*), cf. Hygin. *Astr.* 9, 7; Auson. *edyll.* VI, 58; Macr. *Sat.* I, 21, 1 sqq. Cas. voc.: *Adoni*; cas. abl.: *Adone.*

Nomen, quo secundum fabularem historiam appellatus est adulescens specie insignis, a Venere adamatus, veteres inepte derivaverunt vel ab ἡδονή (= *voluptas*) vel ἀπὸ τοῦ ᾄδειν (= *canere*). Videtur autem potius ab origine Semitica repetendum; cf. Macr. *Sat.* I, 21, ex cuius sententia Adonis fuit apud Phoenices et Assyrios deus Sol. Sunt igitur qui id cum verbo Hebr. *Adonai* (= *Dominus meus*) coniungant.

Adrasto[i]: Adrastus, i, m. Hoc nomine (Ἄδραστος), de fabulari Graecorum historia deprompto, significatur vir *non fugitivus.*

Adrian[ge]; v. *Adriano.*

Adriana[i] **Adrienne**[g] **Adriana**[h] **Adriana**[a]: Hadriana, ae, f. Nomen ductum est ab Hadria, urbe et colonia Piceni (*Atri*) vel a cognomini urbe Venetorum (*Adria*), in litore maris posita, quod ab ea appellatum est (*mare Hadriaticum*); hoc vero etiam Hadria appellatur et quidem masculino genere (cf. Hor. *Carm.* III, 3, 5: « Dux inquieti turbidus Hadriae »). Graeci vero leni semper spiritu scribere solebant: Ἀτρία, qui mos sine aspiratione exarandi etiam apud Romanos obtinebat. Tamen e veteribus codicibus, titulis, nummis eruitur scribendi rationem qua *h* littera praeponatur, magis frequentari. In Mart. Rom. V recensentur Caelites, hoc nomine appellatae.

Adriano[i] **Adrien**[g] **Adriano**[h] **Adrian**[a] **Hadrian**[ge]: Hadrianus, i, m.; v. *Adriana.* – (Mart. Rom. VIII Id. Iul. e. a.).

Adrienne[g]: v. *Adriana.*

Afra[a] **Afra**[ge]: Afra, ae, f. Ut liquet, est nomen, secundum originationem, feminae in Africa habitantis. De fonte, a quo deductum sit, non satis constat. Sunt qui opinentur id esse nomen perveteris gentis proprium, quae in Libya olim incoluerit. – (Mart. Rom. IX Cal. Iun. et III Non. Aug.).

Afranio[i]: Afranius, ii, m. Etymon nonnulli petunt a Graeco vocabulo ἀφρός, quo *spuma candida* significatur, unde et Ἀφροδίτης, vel ab ἀφραίνω, cuius vis est *desipio.*

Affrica[g]: Affrica, ae, f. Nomen non ducitur a nomine Africae, sed a voce Celtica, cuius vis est *pulchra, venusta.*

Afro[i]: Afer, ri, m. Est cognomen satis usitatum Romanis; cf. Suet. *Ter.*, 1; id., *Aug.* 27: « (Augustus)

Tedium Afrum consulem designatum, quia factum quoddam suum maligno sermone carpsisset, tantis conterruit minis, ut is se praecipitaret » ; Quint., V, 7, 7 ; XII, 11, 3. C.I.L. II, 1674 ; XI, 3245, 5210, e. a. Cf. *Afra*.

Agamennone[i] : Agamemnon, ŏnis, m. Scribitur quoque Agamemno, ŏnis ; cf. Plaut. *Bacch.* 946 ; Varr. *L. L.* V, 19 ; Senec. *Ag.* 514 ; Cic. *Tusc.* III, 26, 62 e. a. In casu accusativo nomen exit apud praestantissimos scriptores sive in *-em* sive, Graeco more, in *-a* (*Agamemnona*).

De originatione non consentiunt auctores ; sunt enim, qui nomen ducant ab ἄγαν - μάομαι, quae verba *valde – cupio* significant, aut ab ἄγαν - μένος, quorum vis est : *valde* et *impetus* ; unde nominis interpretatio esse videtur : *qui valde furit*. Alii denique ita enodant : ἀγάομαι - μένω, quorum prius idem valet atque *admiror*, alterum idem ac *persevero* ; itaque heros ob perseverantiam admirabilis dictus est Agamemnon. Cf. On. Perin.

Agapito[i] **Agapito**[h] **Agapitus**[ge]: Agapētus, vel Agapītus, i, m. Hoc est ipsum participium verbi temporalis Graeci ἀγαπάω, cuius vis est *amo* (ἀγαπητός) ; quod, cum η sono litterae *i* pronuntiaretur, sic etiam in Latinam rationem traductum est : *agapitus*. Verg. Gramm. p. 70, 134, affert *agapeta adverbia*, seu communia, usitata. Hieronymus, *Ad Eust. ep.* 22, 5, de agapetis (*agapetae, arum*) commemorat, quae erant sodales clericorum. Nomen denique *Agapeti* in veteribus titulis scriptum videmus. Occurrit saepius in Mart. Rom.

Agasia[i] : Agasia, ae, f. Derivatur ab adiect. Graeco ἀγάσιος, cuius vis est *inclitus*.

Agasio[i]: Agasius, ii, m. V. *Agasia* ; cf. C.I.L. IX, 6103.

Agata[i] **Agathe**[g] **Agata**[h] **Agueda**[h] **Agatha**[a] **Agatha**[ge]: Agătha, ae, f. Saepe etiam Agăthe, es. Derivatur ab adiect. Graeco ἀγαθή, quod idem valet ac *bona, egregia*. Nomen frequentatur etiam in titulis ethnicorum, cf. C.I.L. VI, 4408, 2731 ; X, 2580, 5291 ; XI, 76 ; et, quod ad inclitam virginem christianam attinet, Mart. Rom. Non. Febr.

Agatangelo[i] : Agathangĕlus, i, m. Nomen coaluit e verbis Graecis ἀγαθός et ἄγγελος, quibus *bonus nuntius* seu *angelus* significatur. Occurrit saepe in titulis ut nomen praesertim servile ; cf. C.I.L. X, 8059 ; XV, 6225, al. – (Mart. Rom. X Cal. Febr.).

Agathe[g] **Agatha**[a]: v. *Agata*.

Agatocle[i] : Agathŏcles, is, m. Nomen structum est e verbis Graecis ἀγαθός et κλέος, quorum altero *bonus*, altero *gloria* significatur.

Agazio[i] : Agathius, ii, m. Derivatum est nomen a verbo adiect. Graeco ἀγαθός, cuius vis est *bonus*.– (Mart. Rom. VIII Id. Mai.).

Agenore[i] **Agénor**[h]: Agenor, ŏris, m. Ducitur a verbo Graeco ἀγήνωρ, ορος, cuius interpretatio est : *valde virilis, strenuus*. Nomen occurrit in vetere titulo christiano, Diehl, 3895.

Agesilao[i] : Agesilaus, i, m. Nomen, quo praesertim rex Lacedaemoniorum appellatur, quodque in titulis

occurrit, cf. C.I.L. XIV, 2686, ductum est ab ἄγω et λαός (= *agopopulus*); itaque est eius interpretatio: *ductor populi.*

Ägid[ge]: v. *Egidio.*

Aggie[h]: bl. app. pro Agatha vel Agnete; v. *Agata* vel *Agnese.*

Agilolf[ge]: v. *Aigolf.*

Agnello[i]: Agnellus, i, m. Hoc verbum dicitur blande pro agno, praesertim in sermone plebis (cf. Plaut. et linguas a Latino sermone derivatas); cf. Graec. ἀμνός = *agnus.* – S. Agnelli, abbatis, dies festus in Mart. Rom. recensetur XIX Cal. Ian.

Agnese[i] **Agnès**[g] **Inés**[h] **Agnes**[a] **Agnes**[ge]: Agnes, etis, f.; fortasse rectius scribitur Hagnes, quod nomen ducitur a Graeco vocabulo ἁγνός, cuius vis est: *sacer, castus*; cf. Hor. *Sat.* I, 3, 40 (*Hagne*, amasia cuiusdam Balbini); item in titulis: *Hagna.* Tamen communi usu receptus est modus scribendi sine *h* littera praeposita, qui sequiore aetate invaluit; cf. Diehl, 3895: *Agnes*; Ven. Fort. *Carm.* II, 4, 38: *Agnes*; Prud. *Perist.* XIV, 1: « Agnes sepulcrum est Romulea in domo ». – (Mart. Rom. XII Cal. Febr. et XIII Cal. Mai.).

Agneta[a]: v. *Agnese.*

Agnolo[i]: v. *Angelo.*

Agostina[i]: Augustina, ae, f. Cf. nomen Augusti et Augustini s. v. *Augusto, Agostino.*

Agostino[i] **Augustin**[g] **Agustín**[h] **Augustine**[a] **Augustin**[ge]: Augustinus, i. m. Nomen idem valet atque: *ad Augustum pertinens*; cf. Augusto – (Mart. Rom. V Cal. Sept.).

Agricola[i]: Agricŏla, ae, m. Nomen, ut liquet, coaluit e verbis, quorum prius est *ager*, alterum *colere*; utrumque a fonte Indico-Europaeo derivatur: cum *agro* congruit prisc. Ind. *ajrah* = *campus*, Graec. ἀγρός, Goth. *akrs*, Germ. *Acker*, quae eadem *agrum* significant. Ad verbum colendi quod pertinet, cf. prisc. Ind. *cárati* = *movetur*, Graec. πέλομαι = *versor* vel τελέω = *perficio.* – (Mart. Rom. XVI Cal. Apr., prid. Non. Nov. et III Non. Dec.).

Agrippa[i]: Agrippa, ae, m. Nomen deductum est secundum Plin. VI, 45 et Gell. XVI, 6, 1 a fonte Latino; ab *aegre* et *pes*, ut significaretur is, qui aegre, ac quidem pedibus primo, editur in lucem; secundum alios a fonte Graeco: ab ἄγρα et ἵππος.

Agueda[h]: v. *Agata.*

Aida[i]: Aida, ae, f. Est nomen commenticium inditum personae dramatis musici, cuius modos egregie fecit Iosephus Verdi.

Aigolf[ge] **Aigulf**[ge] **Agilolf**[ge] **Eginolf**[ge]: Agilolfus, i, vel Aigulfus, i, m.; ab aliis minus recte scribitur Aigulphus. Nomen effectum est verbis Germanicis *agi* (*ekka*) et *wolf* (*wulf*), quorum prius idem valet atque *acies, acumen* et, per synecdochen, *gladius*, alterum vero idem ac *lupus*, qui apud priscos Germanos animal erat fausti ominis. – (Mart. Rom. III Non. Sept.).

Aileen[a]: usurpatur ab Hibernis pro Helena; v. ib.

Ailisa[a]: v. *Elisabetta.*

Aimé[g]: v. *Amato.*

Aimer[g]: v. Ademaro. Priscum enim nomen Gallicum Aïmer vel

Aïmar ab eo fonte Germanico derivatum est.

Aimone[i] **Aimón**[h] **Haimo**[ge]: Haimo, onis, m. Derivatur a verbo Germanico *haim* (*heim*), quod idem valet ac *domus*, *domicilium*, *domestica sedes*. Eo ergo vir significatur suam incolens domum.

Al[a]: bl. app. ab Anglis usurpata pro Alberto; v. ib.

Alamanno[i]: Alamannus, i, m. Idem valet atque *ad regionem Alamanniam pertinens*. Originatio vocis petitur a verbis Germanicis *ala-man*, quae idem valent atque *omnes homines*.

Alano[i] **Alain**[g] **Alano**[h] **Alan**[a] **Allan**[a] **Allen**[a]: Alanus, i, m. Nomen ducitur a sermone Celtico, in quo *tibicinem* significare videtur; cf. Partridge, p. 31.

Alard[g]: v. *Aleardo*.

Alarico[i] **Alaric**[a] **Alarich**[ge]: Alaricus, i, m. Derivatur a verbis Germanicis *al*(*a*), (Goth. *alls*) et *rîhhi*, (Goth. *Alareiks*), quae idem valent atque *omnis*, *valde* et *dominator*. Qui ergo *omnibus dominatur*, hoc signatur nomine.

Alastair[a] **Alaster**[a] **Alistair**[a] **Alisteir**[a] **Alister**[a]: huiusmodi nomina Scoti usurpant pro Alexandro; v. *Alessandro*.

Alba[i]: Alba, ae, f. Appellatur a verbo adiect. *albus*, *a*, *um*; cf. Graec. ἀλφός h. e. *vitiligo alba*.

Albachiara[i]: Albaclara, ae, vel Alba Clara, ae, f.

Albano[i] **Aubain**[g] **Albano**[h] **Alban**[a] **Alban**[ge]: Albanus, i, m. Hoc nomine significatur *civis Albae* (*Longae*) prope Romam; cf. Flor. I, 3, 6. Est autem nomen multum frequentatum in titulis; cf. C.I.L. II, 101; IV, 2038; VI, 43. e. a. – (Mart. Rom. XI et X Cal. Iul.).

Albany[a]: v. *Albano*.

Alberga[a] **Alberga**[ge]: Alberga, ae, f. Nominis origo et vis eaedem sunt atque Adalbergae (v. ib.); verbum autem *adal* in unam syllabam *al* coactum est. In prisco Germanorum sermone *adal genus*, *nobilem* significat, *berg* (cf. *burg*) vero *praesidium*, *tutamen*.

Alberico[i] **Aubr(e)y**[g] **Alberich**[ge]: Albericus, i, m. Coaluit e verbis Germanicis *alb* (*alp*, *alf*, *elf*) et *rich* (*rîhhi*, Goth. *reiks*), quorum priore genius fabulosus hominibus amicus (*elfo*, *Elf*) significatur, altero vero *dominator*, *rex*, *princeps*.

Est ergo nominis interpretatio: *rex geniorum*, *qui alb appellantur*.

Alberio[i]: Alberius, ii, m. Nomen ductum esse videtur a verbo primigenio *alb*, quod invenimus in verbo adiect. *albus*, *a*, *um*.

Alberta[a] **Albertina**[a] **Albertine**[ge]: Alberta, ae, f.; v. *Alberto*.

Albertano[i]: Albertanus, i, m. Nomen deductum est, ut liquet, ab Alberto; v. ib.

Alberto[i] **Albert**[g] **Alberto**[h] **Albert**[a] **Albert**[ge]: Albertus, i, m. Huius nominis originatio et vis eaedem sunt atque Adalberti (*adal-bert*), v. s.; duae autem syllabae verbi *adal* hic in unam coactae sunt. Albertus secundum nominis interpretationem est *vir nobilitate* (*adal*) *clarus* (*bert*). – (Mart. Rom. XVIII Cal. Dec. e.a.).

Albina[i] **Albina**[h] **Albina**[a] **Albine**[ge]: Albina, ae. f.; v. *Albino.*

Albino[i] **Aubin**[h] **Albino**[h] **Albin**[a] **Albin**[ge]: Albinus, i, m. Nominis origo est verbum primigenium *alb* (cf. *albus, a, um*). Occurrit in vetere titulo christiano, Diehl, 1161 e. a. – (Mart. Rom. Cal. Mart.).

Alboino[i] **Alboin**[g] **Albuin**[ge] **Alwin**[ge]: Alboinus, i, vel Albuinus, i, m. Nomen effectum est verbis Germanicis *alb* (*alf, elf*) et *win*, quorum prius genium fabulosum, hominibus amicum, significat (*Elf, elfo*), alterum *amicum, sodalem.* Est ergo *Alboinus*, secundum nominis interpretationem *amicus huiusmodi geniorum.* Quo nomine appellatus est rex Langobardorum, de quo Greg. Turon., *Franc.* IV, 3, 4, et Paul. Diac. *De gest. Langob.*, II, 6, e. a. commemorant. Sanctus hoc nomine insignis recensetur in Mart. Rom. Non. Febr.

Albrecht[ge]: Albertus, i, m.; est enim *Albrecht* alia eaque vulgaris scribendi ratio nominis Alberti, a Germanis usurpata; v. *Alberto.*

Alceo[i]: Alcaeus, i, m. Nomen poetae lyrici Ἀλκαῖος, cuius vis est *fortis, robustus* (ἀλκή).

Alceste[i]: Alcestes, es, vel Alcesta, ae, vel Alcestis, ĭdis, f. Non uno enim modo veteres scriptores Latini (Fulg., *Myth.* I, 22; Sidon. *Carm.* II, 67; Macrob. *Sat.* VI, 19, 4; Hygin. *Fab.* 97; Martial., IV, 75, 6; alii) hoc Graecum nomen, ab ἀλκή, cuius vis est *robur*, ductum, in Latinam rationem transtulerunt.

Alcibiade[i]: Alcibiădes, is, m. Originatio vocis invenitur in Graeco vocabulo ἀλκή, quod *robur*, et βία, quod *vim* significat.

Alcide[i]: Alcides, ae, m. Est nomen *patronymicum* Herculis, qui nepos Alcaei fuit; ductum est autem a verbo Graeco ἀλκή, quo *robur* significatur.

Alcina[i]: Alcina, ae, f. Hoc nomen, fortasse ab ἀλκή, cuius vis est *robur*, deductum, ab Ariosto, carminis epici auctore, inditum est sagae cuidam; usurpatur etiam ab aliis fabularum scriptoribus ex Italia.

Alda[i] **Alda**[a]: Alda, ae, f. Videtur nomen petendum esse a verbo Germanico *ald* (*alt*), quod idem valet ac *vetus, senex*; cf. *Aldo.*

Aldelmo[i]: v. *Adelmo.*

Alderisio[i] **Alderich**[ge] **Alderich**[ge]: Aldericus, i, vel Alderisius, ii, m. Haec est nominis originatio: *adalrîhhi*, quibus verbis prisco Germanorum sermone *nobilis dominator* significatur. Huc pertinet etiam *Fridericus*; scribendi vero modus *Alderisius* in *Codice dipl. Cavensi*, Neapoli 1873, saepe invenitur.

Aldo[i]: Aldo, onis, m. Est nomen Germanicum, in quo haec inest vis: *senex* (*alt*; Langob. *ald*; Angl.-Sax. *old*). In litterarum monumentis, a saeculo VII incipientibus, nomen ad Latini sermonis rationem conformatum (*Aldo, onis*) saepe occurrit. Praeterea in legibus Langobardorum scriptum videmus verbum *aldius*, ab eodem fonte ductum, quo significatur vir medium locum obtinens inter servum et ingenuum.

Aldobrando[i] **Aldebrand**[ge]: Aldobrandus, i, m. Nomen effectum est

verbis Germanicis *ald* (*alt*), cuius vis est *vetus*, et *brand* (*brant*), quo *ignis*, *ardor*, *gladius scintillans* significatur. Cf. Förstemann, p. 58.

Aldous[a]: Aldus, i, m.; est idem nomen atque *Aldo* (v. ib.), si fidem habemus Erico Partridge, p. 32.

Aleardo[i] **Alard**[g] **Allert**[ge]: Adelardus, i, m. Hoc nomen, quod apud Italos nonnullis familiis inditum est (*Aleardi*), derivatur a verbis Germanicis *adal-hard*, quorum vis est *nobilis* et *fortis*, *strenuus*.

Alec[a]: bl. app. usurpata pro Alexandro; v. *Alessandro*.

Alejo[h]: v. *Alessio*.

Alessandra[i] **Alejandra**[h] **Alexandrina**[a] **Alexandra**[ge]: Alexandra, ae, f.; v. *Alessandro*. – (Mart. Rom. XIII Cal. Apr., XV Cal. Iun.).

Alessandro[i] **Alexandre**[g] **Alejandro**[h] **Alexander**[a] **Alexander**[ge]: Alexander, dri, m. Ducitur a Graeco ἀλέξω, cuius vis est *auxilior*, et ἀνήρ, quo *vir* significatur, quasi sit Alexander *hominum adiutor* vel *defensor*; fortasse autem ipsa origo est Asiana seu Graeco sermoni anterior (cf. nomen Asianum *Alakshandu*), ut Tagliavini, p. 92, opinatur. – (Mart. Rom. V Non. Mai. e. a.).

Alessia[i] **Alice**[g] **Alicia**[h] **Alexia**[a] **Alexia**[ge]: Alexia, ae, f. Est genus femininum nominis Alexii (v. ib.). Vulgatum vero nomen *Alice* nonnulli petunt a verbo Graeco ἀλήθεια, cuius vis est *veritas*, et quod media aetate ut *alitia* seu *alicia* enuntiabatur; alii denique id putant esse nomen deminutum Adelaidis.

Alessio[i] **Alexis**[g] **Alejo**[h] **Alexius**[ge]: Alexius, ii, m. Videtur derivari a nomine Graeco Ἄλεξις (a verbo ἀλέξω, quo *defendo* significatur); cf. Alexis, puer formosus apud Verg. *Ecl.* II; Propert. II, 34, 75; Col. X, 298. Scribendi ratio Alexius invenitur, missis aliis locis, in C.I.L., 4560 et in Mart. Rom. XIII Cal. Mart. et XVI Cal. Aug.

Alex[a] **Alexander**[ge]: v. *Alessandro.*

Alexandra[a] **Alexandra**[ge]: v. *Alessandra.*

Alexandrina[a]: v. *Alessandra.*

Alexia[a] **Alexia**[ge]: v. *Alessia.*

Alexis[g] **Alexius**[ge]: v. *Alessio.*

Alf[a]: dem. nom. vulgo pro Alfredo usurpatum; v. ib.

Alfano[i]: Alfianus, i, m. Pertinet, quemadmodum nomen Alfii, a quo ductum est, ad vocem primigeniam *alf* (v. *Alfio*). Nomen Alfiani scriptum legimus in titulis, C.I.L. VI, 2338, 1917 (« L. Alfi Alfiani viatoris consularis »); X, 7130.

Alfeo[i]: Alphaeus, i, m. Graece scribitur Ἀλφαῖος; ducitur autem a fonte Hebraico *hhalpây*, cuius vis est *salix ramosa*. Ab Hieronymo vero derivatur a verbo primigenio Hebr. *hhâlaph*, quo *abiit* significatur, quasi sit *abiens*, *fugitivus*. Alii denique originem aliter enodant (veluti ab *âleph*, h.e. a prima littera, quasi sit Alphaeus *prior* seu *princeps*). – (Mart. Rom. XV Cal. Dec.).

Alfio[i]: Alfius, ii m. Nominis origo est Italica, non quidem Latina, si Latinum proprie vereque dicimus. *Albus* enim, ut Romani appellabant, apud alios Italos *alf* sonabat (cf. Umbr. *alfu*). Cum hoc vocabulo

cognatione coniunctum est verbum Graecum ἀλφός (h. e. *vitiligo alba*, qua pellis conspergitur) et nomen Ἄλφιος. Nomen gentilicium *Alfius* praesertim in Umbria, Campania, Samnio frequentabatur. Est etiam in vetere titulo iudaico, Diehl, 4887 (*L. Alfius Iuda arcon arcosynagogus*). – (Mart. Rom. VI Id. Mai.).

Alfonsa[ge] : Alfonsa, ae, f. ; v. *Alfonso.*

Alfonsina[i]: Alfonsa, ae, f. ; v. *Alfonso.*

Alfonso[i] **Alphonse**[g] **Alonso**[h] **Alfons**[ge]: Alfonsus, i, m. Nomen coaluit e priscis verbis Germanicis *adalfuns*, quorum prius *hominem nobilem*, alterum *paratum*, *pronum* significat. Vitiosus est ergo scribendi modus : *Alphonsus*, quasi e Graeco fonte nomen sit derivatum. – (Mart. Rom. postr. Cal. Aug. et prid. Cal. Nov.).

Alfredo[i] **Alfred**[g] **Alfredo**[h] **Alfred**[a] **Alfred**[ge]: Alfredus, i, m. Improbanda est scribendi ratio : *Alaphridus*, *Alafridus*, *Alfridus* ; est enim huius nominis Germ. originatio : *alb* (*alp*, *alf*, *elf*) – *rât.* Priore verbo secundum fabularem Germanorum historiam genius quidam amicus signabatur per montes vallesque discurrens (nunc appellatur *Elf*, *elfo*); altera vox *rât* (apud Anglos et Saxones in *raed* deflexa) idem valet atque *consilium.* Est ergo Alfredus secundum nominis interpretationem vir qui geniorum eiusmodi consilio utitur.

Qui Alaphridum, Alfridum scribendum esse volunt, per errorem nominis originem a verbo Germ. *frid* (*fried*) petunt, quod *munitionem* atque etiam *pacem* significat (cf. *Fridericus* ; *Godefridus*). Eadem vero vox *rât* in aliis nominibus compositis, a fonte Germanico ductis, invenitur, velut in *Conrado*, *Radegunde.*

Algeron[a] **Algy**[a]: Algerno, onis, m. Derivatur a fonte Normannico *alsgernons* ; quo in verbo significatio inest *viri barbati.* Cf. Partridge, 34.

Algis[ge]: v. *Adalgiso.*

Algy[a]: v. *Algeron.*

Alice[g]: v. *Alessia.*

Alick[a]: bl. app. usurpata pro Alexandro ; v. *Alessandro.*

Ali[h]: Ali, m. ; non inclinatur in casus. Hoc nomen, ex Arabico sermone mutuo acceptum, idem valet atque *altus*, *excelsus.* Cuius e linguae ratione rectius ponitur Alī, sed e Turcarum consuetudine accentus in ultima syllaba residet. Hoc nomine multi post Mahometum viri praeclari apud Islamicas gentes sunt appellati.

Alida[i]: bl. app. pro Adelaide ; v. ib.

Alighiero[i] **Auger**[g] **Adalger**[ge]: Alagherius, ii, vel Aldegerius, ii, m. Nomen summi Italorum poetae non uno modo Latine scribitur ; cf. etiam *Aldigherius*, *Aldegherius*, *Aligherius*, *Alligherius.* Ipse Dantes maluisse videtur ponere : *Alagherius* ; cf. *epist.* VIII, X, XI, XVI, XVII (« Dantes Alagherii ») ; *Quaest. de aqua et terra*, init. ; 24 (« Determinata est haec philosophia... per me Dantem Alagherii »). Nomen derivatum est a fonte Germanico : a verbis *adal* (= *nobilis*) vel *ald* (= *vetus*, *senex*)

et *gêr* (*gairu*), quo *hasta* (*iaculator*) significatur. Cf. Förstemann, p. 166 sq. (*Athalger*, *Adalger*); *Polyptique de l'abbé Irmion par Guérard*, pp. 18, 26 (*Aldegar*, saec. IX).

Alina[i] **Aline**[a]: est dem. nomen Adelaidis ; v. *Adelaide* ; *Adela*.

Alinda[i]: Alinda, ae, f. Videtur quidem esse nomen commenticium, tamen antiquitatis monumenta pervolutanti occurrit verbum Alinda seu Ἄλινδα, quo appellabatur oppidum Cariae. De adiect. inde deducto (*Alindiensis*, *Alidienses*) commemorat Plaut. *Capt.* 4, 9, 101 ; Plin. V, 20.

Alipio[i] **Alipius**[ge]: Alypius, ii, m. Minus recte scribitur *Alipius* ; ducitur enim nomen a verbo Graeco ἄλυπος, quo *expers doloris* significatur. Frequentatur in veteribus litterarum monumentis. Cf. Ammian. XXIII, 1, 2-3 ; XXVIII, 1, 16 ; XXIX, 1, 44 ; Augustin. *Conf.* VI, 7, 8, 9, e. a. ; Paul. Nol. *ep.* 3 ; Ambros. *ep.* 89, e. a. ; atque in titulis, cf. C.I.L. V, 1185. – (Mart. Rom. Id. Aug.).

Allard[g] **Allart**[ge] : v. *Aleardo*.

Allegonde[g]: v. *Adelgunde*.

Allert[ge]: v. *Aleardo*.

Alma[i]: Alma, ae, f. Hoc verbum adiect. ductum est ab alendo. Sunt autem qui opinentur hanc esse, perinde atque Amaliam, blandam appellatio ıem, a nomine Amalbergae seu Amabergae derivatam ; cf. Wasserzieher, p. 59.

Almar[ge]: v. *Adalmar*.

Almarich[ge] **Almerich**[ge]: v. *Amerigo*.

Almira[a]: Almira, ae, f. Est nomen mulieris ad urbem Hispanicam, cui nomen Almeria, pertinentis.

Aloisia[a] **Aloisia**[ge]: v. *Luisa*.

Alonso[h]: v. *Alfonso*.

Aloysius[a] **Alois**[ge]: v. *Luigi*.

Alphonse[g]: v. *Alfonso*.

Altmann[ge]: Altmannus, i, m. Nomen ducitur a verbis Germanicis *altmann*, quae in Latinam rationem sic convertuntur : *vetus*, *senex*, et *vir* ; eo igitur significatur *vir aetate provectus*.

Altrice[i]: Altrix, cis, f. Hoc nomen, quod interdum puellis Italis imponitur, deductum est, ut liquet, a verbo alendi (cf. Goth. *alan* = *crescere*, *se pascere*) ; estque perspicua eius significatio.

Alvaro[i] **Alvaro**[h]: Alvarus, i, m. Nomen deduci videtur a verbis Germanicis *all-war*, quorum priore *omnis*, *e* significatur, in altero autem vis est *servandi* vel *defendendi* (*bewahren* ; *wehren*). Qui ergo *plane* vel *omnia servat* vel *defendit*, eo exprimitur.

Alvise[i]: v. *Luigi*.

Alwin[ge]: v. *Alboino*.

Alwine[ge]: Albuina, ae, f. ; cf. *Alboino*.

Amabile[i] **Amabel**[a] **Amabella**[a]: Amabĭlis, is, f. Hoc adiectivum Latinum deflexum est ab Anglis, ut audiret *Amabel*, *Amabella*. Quod ad originem attinet, cf. *Amanzio*. Nomen Amabilis occurrit in veteribus titulis ; cf. Diehl, 2640, 1455, 3301, 3112.

Amalarico[i]: v. *Amerigo*.

Amalasunta[i]: Amalasuintha, ae, vel Amalasuntha, ae, f. ; prior tamen scribendi ratio propius ad originem Germanicam accedit et a Cas-

siodoro usurpatur ; cf. *Var.* X, 3, 8 ; 32,2 : « divae memoriae Amalasuinthae reginae » ; *Chron.* II, p. 16. Apud Iordanem autem scriptum videmus *Amalasuentha* ; apud Procopium frequentatur nomen ad Graecam rationem accommodatum 'Αμαλασσοῦνθα.

Geminum nomen (est enim compositum) ductum est ab *aml* (cf. prisc. Scand. *aml* = *labor*) et *suintha*, quod idem valet ac *fortis* (cf. Goth. *svinths*, prisc. Germ. *swind* = *fortis*).

Amalasuintha, filia Theodorici et Athalarici mater, fuit regina Ostrogothorum.

Amalberga[ge] **Amelberga**[ge]: Amalaberga, ae, f. Coaluit e verbis Germ. *amal-berg*, quorum priore *impiger* (cf. Goth. *amals* ; Germ. rec. *emsig*), altero *praesidium* significatur ; est ergo nominis interpretatio : *tutrix impigra*. Scriptum videmus apud Iord. *Get.*, 299, et Greg. Turon. *Franc.* III, 4.

Amalia[i] **Amélie**[g] **Amalia**[h] **Amely**[a] **Amalie**[ge]: Amalia, ae, f. Videtur esse deminutum nomen, usurpatum pro Amalaberga (*amal-berg*), cui haec est vis subiecta : *impigro labore* (*amal*) *defendens* (*berg*).

Amalrich[ge]: v. *Amerigo*.

Amando[i] **Amand**[g]: Amandus, i, m. ; cf. *Amanzio*. – (Mart. Rom. XIV Cal. Iul. e. a.).

Amanzio[i] **Amans**[g]: Amantius, ii, m. Ducitur, ut patet, a verbo *amandi* ; cf. Hes. ἀδαμεῖν · τὸ φιλεῖν · καὶ φρύγες τὸν φίλον ἄδαμνα λέγουσιν. De origine Indica-Europaea huius verbi (*amare* seu ἀδαμνεῖν) non constat. P. Kretschmer, *Glotta* 13, 114, opinatur Romanos vocabulum ab Etruscis mutuatos esse ; cf. Etrusc. *amin*, h. e. *amor*. – (Mart. Rom. IV Id. Febr. e. a.).

Amaranta[i] : Amarantĭna, ae, f. ; mendose scribitur cum littera *h* post *t*. Hoc nomen deductum est ab *amaranto* (*amarantus*), quo flos appellatur, a Plinio ita descriptus : « Est autem spica purpurea verius quam flos aliquis, et ipse sine odore. Mirum in eo gaudere decerpi et laetius renasci. Provenit mense augusto, durat in autumnum... mireque postquam defecere cuncti flores, madefactus aqua reviviscit et hibernas coronas facit. Summa natura eius in nomine est, appellati quoniam non marcescat » (*Nat. hist. XXI*, 8, (23).

Amarantus erat etiam nomen, quo apud Romanos praesertim servi libertique appellabantur ; cf. C.I.L., VI, 1963, 8703 ; XIV, 1135 e. a.

Verbum autem Latinum *amarantus* derivatum est a sermone Graeco, ab ἀμάραντος, cuius vis est *immarcescibilis* : a (quo negatur) et μαραίνομαι = *marcesco* ; cf. prisc. Ind. *mrnati* = *conterere*, prisc. Germ. *maro*, *marawer* = *tener*, *fragilis*.

Ἀμάραντος, quatenus est verbum adiectivum, non nomen floris, dicitur in masculino et feminino genere, quapropter *mulier* est, Graeco more, *Amarantos* appellanda. Quod nomen nusquam occurrit nec facile induci posse videtur. Hanc ob causam malui verbum adiectivum Graecum ἀμαράντινος, η, asciscere et

Amarantinam Latine scribere, quod igitur nomen idem valet atque *immarcescibilis*. Adiectivum hoc in sacris quoque litteris habetur, cf. Petr. I, 5 : κομιεῖσθε τὸν ἀμαράντινον τῆς δόξης στέφανον = *percipietis immarcescibilem gloriae coronam*.

Amaryllis[a]: Amaryllis, ĭdis, f. Origo deducenda videtur aut ab ἀμάρα, cuius vis est *aquaeductus*, aut ab ἀμαρύσσω, quod idem valet ac *splendeo*, unde nominis interpretatio est quasi *puella splendida*.

Amato[i] **Aimé**[g]: Amatus, i, m. ; cf. *Amanzio*. – (Mart. Rom. prid. Cal. Sept. e. a.).

Ambrogio[i] **Ambroise**[g] **Ambrosio**[h] **Ambrose**[a] **Ambros**[ge]: Ambrosius, ii, m. Ducitur ab α *privativa* et βροτός, cuius vis est *mortalis* (ducitur a prisca voce μβροτος seu μροτος ; cf. Lat. *mors*, *mortis* ; prisc. Ind. *mrtáh*, h. e. *mortuus*, *máriah*, h. e. *mortalis*, *homo*) ; itaque nominis significatio est : *immortalis*. Tamen etiam pro *dulci*, *pulchro*, *divino* vel *purpureo* sumitur, ab ambrosia quae in veterum fabulis cibus deorum erat sicut nectar potio, quod ipso vescentes immortales reddere putabatur. – (Mart. Rom. prid. Non. Apr. e. a.).

Ambrosina[i]: Ambrosia, ae, f. ; cf. *Ambrogio*.

Amedeo[i] **Amédée**[g] **Amadeo**[h]: Amadeus, i, m. Videtur esse nomen Latinum media aetate fictum, quod coaluit e verbo primigenio *ama*, in quo est vis amandi, vel e forma imperandi *ama*, et e vocabulo *dei*. Quapropter minus probatur scribendi modus *Amedeus*. Non autem improbaverim, qui a fonte Germanico id deducat ; veteres enim eius gentis tabulas legenti occurrit nomen *Hamathio* (cf. *Codex Laureshamensis Diplomaticus*, Mannheim 1768, n. 2529) ; vel *Hamadeo* (cf. Keller, *Das alte Necrologium von Reichenau* : Mitteilungen der antiqu. Gesellschaft von Zürich VI, 1849, 4) ; vel *Hamedeus* (cf. H. Wartmann, *Urkundenbuch der Abtei von St. Gallen*, Zürich 1863-66, ad a. 942). Derivatur autem hoc nomen a prisco verbo *hama*, cuius vis est *tegmen*, ac *deo* (Goth. *thius*), quod *servum* significat ; cf. Förstemann, p. 743, 1457 sq.

Amelberga[ge]: v. *Amalberga*.

Amelia[i] **Amélie**[g]: v. *Amalia*.

Ameline[g]: bl. app. pro Amalia ; v. ib.

Amelrich[ge]: v. *Amerigo*.

Amely[a]: v. *Amalia*.

Amerigo[i] **Américo**[h] **Americk**[a] **Almarich**[ge]: Amalaricus, i, vel Americus, i, m. ; alterum nomen est per compendium scriptum. Est autem conflatum e verbis Germanicis *amal*, cf. prisc. Scand. *aml*, quo *labor* significatur (Förstemann, p. 88), et *rîhhi* (*ricja*), in quo est vis *dominandi*, *regnandi*. Est ergo nominis interpretatio quasi *dominator impiger* ; quo praesertim utebantur Ostrogothi (cf. Procop., *Bell. Goth.* : Ἀμαλάριχος).

Ex hoc nomine nuncupata est terra continens, quam Christophorus Columbus detexerat (cf. *Amerigo Vespucci* ; unde *America*, quo in verbo accentus rectius ponitur in paenultima syllaba).

Sunt autem qui putent hoc nomen, si originem spectes, idem esse atque Henricum (*Haimrich*, *Heinrich*).

Amilcare[i] **Amilcar**[h]: Hamilcar, ăris, m. Est nomen originis Punicae, nam ductum est ab *ʻ abd*, quo *servus* significatur, et *Melqart*, quod est nomen Herculis. Est ergo Hamilcar secundum nominis interpretationem *servus Herculis*; cf. On. Perin.

Amina[i]: Amina, ae, f. Hoc nomen cuius usus satis invaluit, a fonte Arabico derivatur, ab *Aminah*, cuius vis est *fida*, *fidelis*. Praeter alias mulieres non obscuras eo nomine appellabatur mater Mahometi, islamicae religionis conditoris.

Aminta[i] **Amynta**[a]: Amyntas, ae, vel Amyntes, is, m. (cf. Hier., *Chron.* a. 538). Cas. acc. *-am* legitur apud Curt. IV, 7, 30. Derivatur nomen a verbo Graeco ἀμύνω, quod Latine *defendo* redditur.

Amintore[i]: Amyntor, ŏris, m. Nomen, perinde atque Amyntas, ducitur a verbo ἀμύνω, adeo ut idem valeat ac *defensor*.

Amleto[i] **Hamlet**[a]: Amlethus, i, vel ad Anglici sermonis rationem, Hamletus, i, m. Nomen sumptum est, quemadmodum patet, e fabula tragica, quam de *Hamlet*, *principe Daniae*, summo artificio contexuit egregius Anglorum poeta, cui appellatio *Shakespeare*. In eiusdem quidem gentis Anglicae sermone *hamlet parvum pagum* seu *viculum* significat; non autem hinc derivandum est nomen, sed ad priscam linguam Danicam revocandum, e cuius ratione vulgo scribitur *Amleth* vel *Amlodhi*. Ceterum fabula illa tragica, quam supra dixi, deprompta est e libro, quem Saxo Grammaticus de rebus Daniae saeculo XIII Latine conscripserat (cf. *Saxonis Grammatici Historia Daniae*, ed. P. E. Müller, Hauniae 1839); in quo principis viri nomen *Amlethus* pluries occurrit (I. Vol., pp. 138-149; 150-161).

Amone[i]: v. *Aimone*.

Amos[i] **Amos**[a]: Amos, m. Non declinatur in casus. Hoc nomine, uni e minoribus prophetis indito, significatur *fortis* vel *baiulus* (*ʼ Amotz - Amôs*). – (Mart. Rom. prid. Cal. Apr.).

Amparo[h]: Maria a refugio, f. Ut saepe fit apud Hispanos, puellis nomina imponuntur, quae Beatae Mariae Virgini vulgo adici solent. Celebratur autem apud eos, quam dicunt, *Virgen del Amparo*, i. e. a defensione, refugio; praeterea etiam *Virgen de los Desamparados*, i. e. eorum qui praesidio carent. Vox autem vulgaris *amparo* deducta est a verbo Latino *anteparare*.

Ampelio[i]: Ampelius, ii, m. Hoc nomine insignis fuit L. Ampelius, qui vixit IV saeculo p. Ch. n. ac de quo agunt Symm., *Ep.* V, 64, Amm. XXVIII, 1, 22, Sidon., *Carm.* 9, 301; alter vir, eodem nomine appellatus, auctor *Libri memorialis*, fuit III saeculo p. Ch. n. Praeterea nomen occurrit in titulis, cf. C.I.L. VI, 4028; VIII, 2403, 12318, 17903; est etiam nomen christianum, cf. Diehl, 3162, 3332 b (« Ampelius libertus »).

Hoc nomen pertinet aut ad Ampium (*Ampius, ii*), unde ductum est nomen quoque *Ampedius, ii* (cf. C.I.L. X, 553), aut ad Ampelem seu Ampelen (cf. C.I.L. VI, 19418). – (Mart. Rom. III Id. Febr.).

Amyot[a]: ita deflexum est apud Anglos nomen *Amadeus*; v. *Amedeo*.

Ana[h]: v. *Anna*.

Anacleto[i] **Anaclet**[g] **Anacleto**[h] **Anaklet**[ge]: Anacletus, i. m. Ducitus a verbo Graeco ἀνακαλέω, cuius vir est *revoco*; unde idem valet ac *revocatus*; vel potius ab ἀνέγκλητος, quod sic in Latinum convertitur: *inculpatus*. – (Mart. Rom. III Id. Iul.).

Anacreonte[i]: Anacrĕon, ontis, m. Coaluit fortasse ex ἀνά-κρέων-κρείων quae *iterum* et *dominatorem* significant; cf. On. Perin.

Anastasia[i] **Anastasie**[g] **Anastasia**[h] **Anstace**[a] **Anstice**[a] **Anastasia**[ge]: Anastasia, ae, f.; v. *Anastasio*. – (Mart. Rom. VIII Cal. Ian. e. a.).

Anastasio[i] **Anastase**[g] **Anastasio**[h] **Anastasius**[a] **Anastasius**[ge]: Anastasius, ii, m. Ducitur a verbo Graeco ἀνάστασις, quod idem valet ac *resurrectio*. Nomen igitur refertur ad christianae religionis caput, quod docet Servatorem prodigiose ab inferis exstitisse. – (Mart. Rom. XI Cal. Febr. e. a.).

Anatolia[i]: Anatolia, ae, f.; v. *Anatolio*. – (Mart. Rom. VII Id. Iul.).

Anatolio[i] **Anatole**[g] **Anatolio**[h]: Anatolius, ii, m. Ducitur a verbo Graeco ἀνατολή, quo *oriens* significatur. Est ergo nominis interpretatio: *orientalis*. – (Mart. Rom. V Non. Iul. e. a.).

Ancelot[a]: v. *Lancelotto*.

Andrea[i] **André**[g] **Andrés**[h] **Andrew**[a] **Andreas**[ge]: Andreas, ae, m. Derivatur a Graeco ἀνήρ (ἀνδρός), cuius vis est *vir*, unde ἀνδρεῖος *virilem, animosum hominem* significat. Ita plerumque nominis origo explicatur; si autem res subtilius perpendatur, opinari licet *Andream* esse appellandi rationem *hypochoristicam*, quam vocant (cf. *Antipas* pro *Antipatros*); atque adeo positum esse pro nomine e duobus verbis constante, ex. gr. Androgenes, Andromachos, Androcles (Tagliavini, p. 410). – (Mart. Rom. prid. Cal. Nov. e. a.).

Andrée[g]: v. *Andreina*.

Andreina[i] **Andrée**[g] **Andresa**[h] **Andreana**[a]: Andreilla, ae, f.; v. *Andrea*.

Andrés[h] **Andrew**[a]: v. *Andrea*.

Andromaca[i]: Andromăcha, ae, vel Andromăche, es., f. Nomen, quo imprimis appellata est uxor Hectoris Troiani, coaluit ex ἀνήρ, ἀνδρός, et μάχη, atque adeo *viriliter pugnantem* significat. Usurpatur etiam in titulis: cf. C.I.L. IX, 4641.

Andronico[i]: Andronicus, i, m. Derivatur ab ἀνήρ (ἀνδρός), quo *vir* significatur, et νίκη, cuius vis est *victoria*; est ergo nominis interpretatio: *vir victor*. – (Mart. Rom. VII Id. Oct. e. a.).

Andy[a]: bl. app. pro Andrea; v. *Andrea*.

Aneurin[a]: Aneurinus, i, m. Nomen Celticum, quod *vere* (*an*) et *aureum* (*eurin*) significare videtur; cf. Partridge, 39.

Anfione[i]: Amphĭon, ŏnis, vel Amphĭo, ŏnis, m. Cas. acc. exit in soluta

oratione plerumque in *-em*, in astricta saepius in *-a*. Litteram *i* ante *on* (Amphïon) producendam esse documento est versus Vergilii, *Ecl.* II, 24 : « Amphion Dircaeus in Actaeo Aracyntho ». Hoc nomen fabularis filii Iovis et Antiopes, qui lyrae sono Thebas condidit, veteres ab ἀμφί ὁδόν duxerunt (Ἀμφίων). – (Mart. Rom. prid. Id. Iun.).

Angela[i] **Angela**[a]: Angĕla, ae, f. ; v. *Angelo*. – (Mart. Rom. prid. Cal. Iun.).

Angelantonio[i]: Angĕlus Antonius, m. ; v. *Angelo*, *Antonio*.

Angelica[i] **Angélique**[a] **Angélica**[h] **Angelika**[ge]: Angelĭca, ae, f.

Angelina[i] **Angelot**[a]: bl. app. pro *Angela*.

Angélique[g]: v. *Angelica*.

Angelo[i] **Ange**[g] **Angel**[h] **Angelus**[ge]: Angĕlus, i, m. Est Graecum nomen ἄγγελος, in Latinam rationem traductum, quo *nuntius* significatur ; quod verbum Graeci ab Assyriis per Persas accepisse videntur. – (Mart. Rom. VI Id. Oct.).

Angilbert[g]: Angilbertus, i, m. ; est idem nomen atque Engelberti ; v. *Engelberto*.

Angus[a]: Angus, i, m. Hoc nomen, plerumque a Scotis usurpatum, repetitur a verbo Celtico *aon*, quod *unum* significat, atque adeo hominem *praestantem*, *excellentem*. Minus recte nomine Aeneae in Latinam rationem traducitur. Cf. Partridge, 40.

Angustias[h]: Maria Angustiata, vel Maria Perdolens, vel Maria Dolorosa, f. Ut moris est apud Hispanos, nomina Virgini Deiparae adiecta puellis imponuntur ; hic agitur de « angustiis » eiusdem (*Maria de las Angustias*).

Angustiare est verbum sermonis Latini sequioris, quod maxime in Sacris Bibliis scriptum legimus ; cf. *Sap.* V, 1 : « qui se angustiaverunt » ; *Ion.* 2,8 : « cum angustiaretur in me anima mea » ; II *Cor.* 4,8 : « patimur sed non angustiamur » ; Hebr. 11, 37 : « circuierunt egentes, angustiati, afflicti ».

Aniceto[i] **Anicet**[g] **Aniceto**[h]: Anicetus, i, m. Est verbum Graecum ἀνικητός, quod idem valet atque *invictus*, in Latinam rationem translatum.

Aniello[i] : v. *Agnello*.

Anita[h]: bl. app. pro Anna usurpata ; v. ib.

Ann[a]: v. *Anna*.

Anna[i] **Anne**[g] **Ana**[h] **Anne**[a] **Anna**[ge] : Anna, ae, f. Ducitur ab Hebr. et Phoen. *hhannâh* vel *hhanna*, cuius vis est *gratia*, *benefica* : hinc *Hanna* Latine scribenda esset cum *h* littera praeposita, quam tamen usus abstulit ; itaque sine aspiratione exaratum nomen apud veteres scriptores videmus ; cf. Verg. *Aen.* IV, 9 ; Ovid. *Her.* VII, 191 ; Sil. It. VIII, 55, et in libris sacris. Huic igitur nomini ista plerumque subicitur vis : *gratia* ; magis autem probandi sunt ii, qui in eo sententiam verbi temporalis ponunt ac praeterea Deum (*El*) subaudiunt, quod nomen sensim excidit ; quapropter haec est *Annae* interpretatio : (Deus) *misericors fuit*. – (Mart. Rom. VII Cal. Iul.).

Annabella[a] **Annaple**[a] **Annebell**[a]: Annabella, ae, f. Videtur quidem

nomen derivari ab *Amabel*, cuius origo est verbum adiect. Latinum *amabilis*, sed detorta ratio scribendi servanda est.

Anneo[i]: Annaeus, i, vel Anneus, i, m. Origo nominis petenda videtur aut ab *anno* aut a verbo Hispanico, quod cum *Anna* coniungitur. Graeci hoc modo scripserunt : 'Ανήιος vel 'Αναῖος ; cf. Eckinger, *Die Orthographie lat. Wörter in griechischen Inschriften*, p. 112.

Annibale[i] **Anibal**[h]: Hannĭbal, ălis, m. Origo petitur a lingua Punica. Hannibal enim Punice *Hhanîba-al* dicitur, cuius significatio est : *gratia* (numinis) *Baal*. Graeci vero sine praeposita *h* littera 'Αννίβας scribebant ; cf. Cassiod. *Orthogr.* 9 : « ... Graece leniter effertur ».

Annette[g]: v. *Anna*.

Annie[a]: v. *Anna*.

Annio[i]: Annius, ii, m. Origo petenda videtur a verbo primigenio *an*, quod in *anno* invenitur.

Annora[a]: bl. app. pro Eleonora usurpata ; v. *Eleonora*.

Annot[a]: bl. app. pro Eleonora ; v. *Eleonora*.

Annunziata[i] : Maria Annuntiata, f.

Annys[a] : bl. app. vulgaris pro Anna ; v. ib.

Ansaldo[i]: Ansualdus, i, vel Ansaldus, i, m. ; cf. *Osvaldo*.

Ansbert[g] **Ansbert**[ge] **Osbert**[ge] : Ansbertus, i, m. Prior pars nominis (*ans*) deum Germanorum, quem et *Ase* appellant, significat ; altera (*bert*) idem valet atque *clarus*. – (Mart. Rom. V Id. Febr.).

Anselma[ge]: Anselma, ae, f. ; v. *Anselmo*.

Anselmo[i] **Anselme**[g] **Anselmo**[h] **Anselm**[a] **Anselm**[ge]: Anselmus, i, m. Ducitur a verbis Germanicis *ans*, cuius vis est *deus*, et *helm*, quo *galea*, *defensio* significatur, adeo ut Anselmus quasi sit : *in Dei tutela positus*. – (Mart. Rom. XV Cal. Apr. et XI Cal. Mai.).

Ansgario[i] **Anger**[g] **Ansgar**[ge] : Ansgarius, ii, m. Nomen ducitur a fonte Germanico *ans* (*os*), quo *deus*, et *gar* (*gêr*), quo *hasta*, *iaculum* significatur. Eodem ergo appellatur quasi *iaculator deorum* seu *iaculator a diis defensus* ; cf. *Oscar*. – (Mart. Rom. III Non. Febr., ubi nomen ita scriptum est : *Anscharius*).

Ansovino[i] **Oswin**[ge]: Ansuinus, i, m. ; ab aliis scribitur Ansovinus. Haec est huius nominis Germanici originatio : *ans*, hoc est *deus*, et *win*, cuius vis est *amicus* ; est igitur Latina interpretatio : *dei amicus* – (Mart. Rom. XI Cal. Mai. e. a.).

Anstace[a] **Anstice**[a]: v. *Anastasia*.

Ansty[a] **Anstys**[a]: bl. app. ab Anglis pro Anastasio usurpata.

Antenore[i]: Antenor ŏris, m. Est nomen Graecum 'Αντήνωρ, quo is significatur, *qui pro homine est*. Cas. acc. exit in *-a*, more Graecorum ; cf. Ovid. *Met.* XIII, 201 ; *Fast.* IV, 75, 77. Impositum est viris fabulosis et qui vere fuerunt, de quibus scriptores commemorant (cf. Antenor praefectus classi Macedonicae in bello contra Romanos ; apud Liv. XXXXIV, 28, et XXXXV, 10 e. a.) atque servis, ut est in titulis (cf. C.I.L. VIII, 425).

Anteo[i]: Antaeus, i, m., (ἀνταῖος = *hostilis*). Nomen frequentatur a veteribus scriptoribus et in titulis. Secundum fabularem historiam eo appellatus est frater Busiridis, tyrannus Africae Tingitanae, eximiis praeditus viribus, et alii, praesertim e vulgo prognati ; cf. Plaut. *Pers.* I, 1,4 ; Plin. XXXIV, 8, 19, al. ; C.I.L., X, 579.

Antero[i] : Antherus, i, m. Est vox Graeca ἀνθηρός (α, ον), quae idem valet ac *floridus*, *florulentus* (cf. ἄνθος). Fuit nomen virile apud Romanos ; cf. *Carm. epigraph.* 416 : « hic miser Antheros posuit duo corpora fratrum » ; C.I.L. 5394.

Eodem praeterea nomine appellatus est Pontifex Romanus, martyr, qui depositus est in coemeterio Callisti ; cf. Diehl 976 (*Anteros*) ; eius festus dies celebratur V Id. Sept. (Mart. Rom.).

Anthony[a]: v. *Antonio.*

Antigone[i] : Antigŏne, es, vel Antigŏna, ae, f. Hoc nomen ducendum videtur a Graec. ἀντί, quod idem valet atque *contra*, et γονή, ῆς, cuius vis est *progenies.*

Antimo : Anthĭmus, i, m. Est verbum Graecum ἄνθιμος, hoc est *floridus*, in rationem Latinam traductum. – (Mart. Rom. VI Cal. Mai. e. a.).

Antioco[i] : Antiŏchus, i, m. Hoc nomine, ab ἀντί vel ἀντίος (= *adversus*) et ἔχω (= *habeo*, *valeo*) derivato, significatur *adversarius*. Quod impositum est pluribus regibus Syriae, et etiam in titulis ac monumentis litterarum ut libertinis inditum servisque invenitur ; in Mart. Rom. IV occurrunt Caelites sic appellati.

Antolín[h]: bl. app. ab Hispanis pro Antonio usurpata ; v. ib. et *Antonello.*

Antonella[i] **Antoinette**[g] **Antonieta**[h]: Antonilla, ae, f.

Antonello[i] **Antoinet**[g] **Antonito**[h]: Antonillus, i, vel Antoniŏlus, i, m. ; cf. *Antonio.*

Antonia[i] **Antonia**[h] **Antonia**[ge]: Antonia, ae, f. Nomen occurrit apud veteres scriptores (Tac., Suet., Appian., Plin. e. a.) et in titulis ; cf. C.I.L., VI, 2808 ; v. *Antonio.*

Antonietta[i] **Antoinette**[g]: Antonilla, ae, vel Antoniŏla, ae, f. ; cf. *Antonia*, *Antonio.*

Antonino[i] **Antonín**[g] **Antonino**[h] : Antoninus, i, m. Cf. *Antonio.* - (Mart. Rom. IV Id. Iun. e. a.).

Antonio[i] **Antoine**[g] **Antonio**[h] **Anthony**[a] **Anton**[ge]: Antonius, ii, m. Veteres nomen inepte duxerunt ab *Antone*, Herculis filio, quem generis sui auctorem fuisse gens Antonia gloriabatur. Videtur autem potius derivandum a verbo *ante*, quod olim *anti* audiebat ; cf. *antistes*, *anticus*. C. Tagliavini autem, p. 14, opinatur nomen derivatum esse a fonte Etrusco, quemadmodum *Antenium*, *Antilium*, *Antium*, *Antullam*. – (Mart. Rom. XVI Cal. Febr., Id. Iun.).

Apollinare[i] **Apollinaire**[g] **Apolinar**[h] **Apollinar**[ge]: Apollinaris, is, m. Derivatur ab *Apolline*, nomine e Graeco sermone in Latinum recepto (Ἀπόλλων). Veteres duxerunt ἀπὸ τοῦ ἀποπάλλειν τὰς ἀκτῖνας (h. e. *iacere*

radios); cf. Homer.: φοῖβος Ἀπόλλων; aut ab ἀπόλλυμι, cuius vis est *perdo*, quod erat hoc numen etiam bello praepositum. Vera autem origo satis incognita est, nedum constat num fons, unde ducatur, sit Indicus-Europaeus. Sunt qui nomen repetant a voce primitiva (Indica-Europaea) *apel*, in qua insit vis *valendi*, aut ab aliquo sermone Asiano, linguae Graecae priore; recentiores quidam revocant ad nomen *Hittiticum* (Ind.-Europ.) *Apullunas*, derivatum ab *abullu*, h. e. *porta*; cf. verbum θυραῖος (θύρα = *porta*), quod Graeci interdum Apollini adiciebant (Tagliavini, p. 25). Recensetur in Mart. Rom. X Cal. Aug. e. a.

Apollodoro[i]: Apollodorus i, m. Nomen, a Graeco fonte ductum, significat *Apollinis donum* (Ἀπόλλωνδῶρον); cf. *Apollinare*.

Apollonia[i] **Apolline**[g] **Apolonia**[h] **Apollonia**[ge]: Apollonia, ae, f.; v. *Apollonio*. – (Mart. Rom. V Id. Febr.).

Apollonio[i]: Apollonius, ii, m. Derivatur ab Apollinis nomine. – (Mart. Rom. XIV Cal. Mai. e. a.).

Appio[i]: Appius, ii, m. Est nomen nobilissimi generis Romani, quod nomina fecit similia Asianis Ἀππᾶς, Ἄππη, Ἀππία, Ἄπαλος; cf. Kretschmer, *Einleitung in die Geschichte der griechischen Sprache*, p. 346.

Aprile[i] **Avril**[g] **Av(e)ril**[a]: Aprilis, is, vel Aprilius, ii, m. Utraque scribendi ratio invenitur in C.I.L.; cf. II, 3254, 4970; III, 728; V, 5972. Quibus nominibus servi hominesque loco humili nati appellabantur, utpote mense Aprili, quemadmodum videtur, in lucem editi. Invenitur in titulis quoque nomen mulieris *Aprilia, ae*; C.I.L. II, 2743; V, 2894; XI, 5184.

Aquilino[i]: Aquilinus, i, m. Hoc nomen idem valet atque *ad aquilam pertinens*. – (Mart. Rom. IV Cal. Febr. e. a.).

Arabella[i] **Arabella**[a]: Arabella, ae, f. Est nomen corruptum, cuius origo non facile enodatur; fortasse ducitur ab *Orbell* (cf. *orabilis*), vel ab Annabella; cf. Partridge, p. 43.

Araldo[i] **Harald**[a] **Harold**[a]: Haraldus, i, m. Derivatur a verbis coniunctis Germanicis *hari* - (*w*)*ald* (*walt*), quorum prius *exercitum*, alterum *ducem* significat.

Arbogasto[i] **Arbogaste**[g] **Arbogastes**[h] **Arbogast**[ge]: Arbogastus, i, vel Arbogastes, is, m.; cf. Aurel. Vict., *Epit.*, 48; Sidon. Apoll. *Ep.* IV, 17; Rufin. *Hist. eccl.* II, 34; Cassiod. *Hist. trip.* IX, 4. Nomen coaluit e verbis Germanicis *arbi* et *gast* (Goth. *gasts*), quorum altero *heres*, *hereditas*, altero *hospes* significatur. Itaque idem valet atque *hospes in sua hereditate*, vel *hospes* seu *peregrinus heres*. – (Mart. Rom. XII Cal. Aug.).

Arcadio[i] **Arcade**[g] **Arcadio**[h]: Arcadius, ii, m. Idem valet atque: *ad Arcadiam pertinens*, cuius nominis originem recentiores ducunt a frequentia ferarum, praesertim ursae (ἄρκος pro ἄρκτος) – (Mart. Rom. IV Non. Mart.; prid. Id. Ian.; Id. Nov.).

Arcangelo[i] **Archange**[g] **Archangelus**[ge]: Archangĕlus, i, m. Huius no-

minis Graeci significatio est *princeps angelus* (ἀρχή - ἄγγελος).

Archibald[a] **Archibald**[g]: v. *Arcibaldo.*

Archie[a]: bl. app. pro Archibaldo usurpata ; v. *Arcibaldo.*

Archimede[i] : Archimedes, is, m. Apud Ciceronem, *Rep.* I, 19, 21, casus genet. exit in *-i*. Nominis huius Graeci interpretatio Latina est : *princeps* (ἀρχή) *consilii* (μῆδος).

Arcibaldo[i] **Archibald**[g] **Archibaldo**[h] **Archibald**[g] **Archibald**[ge]: Archibaldus, i, m. Ducitur a priscis verbis Germanicis *erchan* (Goth. *airkns*) - *bald*, quae idem valent ac *genuinus* (*valde*), et *fortis*, *audax*.

Archinard[g]: Archinardus, i, m. Coaluit e verbis Germanicis *erchan* - *hard*, quae idem valent ac *vere* seu *valde strenuus*.

Ardelio[i] : Ardalio, onis, vel Ardelio, onis, m. Non constat quidem nomen vulgare *Ardelio* idem esse ac nomen Latinum, quod supra posuimus. Est autem ardelio vel ardalio « homo inquietus et hinc atque illuc cursitans, omnia se scire praedicans, et omnibus negotiis se immiscens, nullum autem bene perficiens » (Forcellini, *Lexicon*). Nomen deductum esse videtur a verbo *ardendi*.

Est etiam nomen Sancti Martyris (*Ardalion*), de quo in Mart. Rom., XVIII Cal. Mai. scriptum legimus : « qui cum Sacris Christianorum in theatro illuderet, derepente mutatus est, et ea non solum verbis sed etiam testimonio sui sanguinis comprobavit ». Erat igitur nomen mimi.

Arduina : Harduina, ae, f. ; v. *Arduino.*

Arduino[i] **Ardouin**[g] **Hardouin**[g] **Hartwin**[ge]: Harduinus, i, m. Nominis huius Germanici pars prior *hart* (*hard*) idem valet ac *durus*, *fortis*, *strenuus*, altera vero (*win*) idem atque *amicus*. Est ergo eius interpretatio : *amicus fortis.*

Arellio[i] : Arellius, ii, m., etiam unico *l*. Nominis origo non satis certa est ; cf. Schulze, p. 440.

Areta[ge] **Arete**[ge]: Arete, es, f. Est ipsum vocabulum Graecum ἀρετή, hoc est *virtus*.

Argentina[i] : Argentina, ae, f.

Argenia[i] : Argenia, ae, f. Est nomen origine Etruscum, pertinens ad *Arginnum* (*Arginnus*, *i*) ; cf. Schulze, p. 126.

Scriptum autem legimus in C.I.L., V, 4871 (ad lacum Benacum) : « Severae Profuturus coniugi b. m. deditq(ue) nomini eius gentil(itati) Argeniae (sestertium) n(ummum) ».

Argeo[i] : Argaeus, i, vel Argeus, i, m. Ducitur ab Argo (Ἄργος), quo nomine plura oppida Graeca appellata sunt, quorum praecipuum erat Argos, caput Argolidis in Peloponneso. – (Mart. Rom. IV Non. Ian.).

Argia[i] : Argia, ae, m. ; cas. acc. exit in *-an*. Cf. *Argeo.*

Argo[i] : Argus, i, m. Hoc nomen origine Graecum (Ἄργος) pertinet ad fabularem historiam veterum, siquidem eo appellabatur custos Ius ; cf. Plaut. *Aul.* 555 : « fures si Argus servet, qui oculeus totus fuit »; Paul. ex Fest. 28 : « Argus oculeus, Argus nomen est hominis qui fuisse

fingitur oculis plenus »; Cic. *De nat. deor.*, III, 56; Ovid. *Am.*, 3, 4, 19; id. *Met.* I, 624 sqq. e. a.

Item hoc nomen impositum esse fertur fabricatori navis Argonis; cf. Val. Flacc. I, 93, 314. Praeterea alii quoque eo uti consueverant; cf. C.I.L. V, 4530: « Argus Aviliae ».

Arianna[i] **Ariana**[h] **Ariadne**[ge]: Ariadna, ae, f. Etiam Ariadne, es, f. Nomen ducendum videtur ab ἀρι et ἁγνή, quae ita in Latinum convertuntur: *castissima* vel *sanctissima*; ἀρι enim *valde*, ἁγνός *castum*, *sanctum* significat (apud Cretes audiebat ἀδνός). Ita appellata est secundum fabularem Graecorum historiam Minois, regis Cretensium, filia, Thesei capta amore. Usurpatur nomen etiam in titulis, ut aliis mulieribus inditum; cf. C.I.L. VI, 6556; IX 3205, e. a. Sancta denique Ariadna recensetur in Mart. Rom. XV Cal. Oct.

Ariberto[i] **Ariberto**[h]: v. *Erberto*.

Ariodante[i]: Ariodantes, is, m. Est nomen commenticium, in carmine epico, quod *Orlando Furioso* inscribitur, viro inditum; raro autem nostra usurpatur aetate.

Aristarco[i]: Aristarchus, i, m. Hoc nomine, de quo plures scriptores veteres commemorant (cf. Arist. grammaticum e Samothracia), significatur: *optimus imperator* (ἄριστος - ἀρχή). – (Mart. Rom. prid. Non. Aug.).

Aristeo[i]: Aristaeus, i, m. Graece Ἀρισταῖος, quod nomen inditum est Apollinis filio; cf. Cic. *De nat. deor.*, III, 18, 45. Ducitur vero ab ἄριστος, cuius vis est *optimus*. – (Mart. Rom. III Non. Dec.).

Aristide[i] **Aristides**[h]: Aristides, is m. Secundum Charis. gramm. I, 41, veteres in casu genet. « et Aristidis et Aristidae et Aristidi etiam dixerunt ». Cas. acc. exit vel in *-em* (cf. Nep. *Arist.* I, 4), vel in *-en* (cf. Plin. XXXIV, 50). Est nomen *patronymicum*, ab Aristaeo derivatum (Graec. Ἀριστείδης); cf. *Aristeo*. Recensetur Caeles, ita appellatus, in Mart. Rom. prid. Cal. Sept.

Aristotele[i]: Aristotĕles, is, m. Hoc nomine, e duobus verbis Graecis (ἄριστος et τελήεις (τελέω) composito, quod idem valet atque *optimus*, *perfectus*, imprimis insignis fuit philosophus antiquorum maximus (384-322 a. Ch. n.). Aliis quoque viris imponebatur, quemadmodum eruitur ex operibus Livii (XXXVI, 21, 2), Ciceronis (*Fam.* XIII, 52), Iustini (XIII, 7, 1), Hieronymi (*Chron. ad a. ab Abr.* 1255) atque e titulis; cf. C.I.L. X, 8041, 5.

Aristodemo[i]: Aristodemus, i, m. Nomen compositum est ex ἄριστος (= *optimus*) et (δῆμος = *populus*); est igitur eius significatio: *optimus in populo*. Eo appellabatur, praeter alios, pater Euristhenis et Procles, et fortissimus vir qui cum trecentis patriae defensoribus ad Thermopylas occubuit. Cf. C.I.L. VI, 19845; est etiam nomen christianum; cf. Mansi, *Ampl. Coll.*, IX, 175: « Aristodemo reverendissimo episcopo Philomelii ».

Armanda[i]: Armanda, ae, f.; v. *Armando*.

Armando[i] **Armando**[ge] **Armand**[h]: Armandus, i, m. Est quidem, si in originem intendatur, idem nomen atque *Hermannus*, cuius antiquior scribendi ratio est *Harimann* (v. *Ermanno*), aut idem atque *Hartmannus* (v. *Hartmann*). Priori haec vis subiecta est : *miles* (*hari* = *exercitus* ; *mann* = *vir*), alteri : *vir strenuus, fortis* (*hart* = *fortis, audax, strenuus*). Galli autem, a quibus Itali et Hispani nomen vulgare *Armando* acceperunt, verba Germanica (est enim *Armando* huiusmodi), in *-mann* exeuntia, ita inflexerunt ut audirent *-ant* vel *-and* ; cf. *Allemand, Normand*.

Armenaud[g] **Armengaud**[g]: v. *Ermengarda*.

Armgard[ge]: v. *Irmgard*.

Armida[i] : Armida, ae, f. Est nomen commenticium, quo in Torquati Tassi carmine epico, quod *Gerusalemme Liberata* inscribitur, femina appellatur, eximia specie sua viros pelliciens.

Arminio[i] **Armin**[ge]: Arminius, ii, m. Nomen petendum esse videtur a sermone Etrusco ; cf. C.I.E. 29 sq., 52, 56 : *armne, armni* ; Schulze, p. 127. Praeterea nomen oppidi *Armignano* in Etruria etiamnum huiusce originis indicium fortasse est habendum. Scriptores interdum posuerunt : *Armenius* ; cf. Plin. *ep*. 65 ; 66. Hoc nomine appellatus est Cheruscorum dux, Sigimeri filius, qui Augusto imperante exercitum Romanorum in saltu Teutoburgensi profligavit. Id nominis vero illi a Romanis inditum esse conici licet ex eo quod eiusdem Arminii frater *Flavius* appellatur ; cf. Tac. *Ann*. I, 55 ; II, 88 ; Vell. II, 118, 2, e. a. Invenitur nomen etiam in titulis Latinis ; cf. C.I.L. VI, 5642.

Armodio[i] **Harmodio**[h]: Harmodius, ii, m. Ducitur ab adiect. Graeco ἁρμόδιος, quod idem valet atque *aptus, conveniens*.

Arnaldo[i] **Arnaud**[g]: Arnaldus, i, m. Coaluit e verbis Germanicis *aro* (*arin, arn*) et *wald* (*walt*), quae *aquilam* et *dominari* significant. Eo ergo signatur vir, *qui veluti aquila dominatur*.

Arne : v. *Arno* ; *Arne* a Suetis usurpari solet.

Arno[ge]: Arno, onis, m. Derivatur a verbo Germanico *aro* (*arin, arn*), quod *aquilam* significat ; cf. Förstemann, 135. Secundum alios est deminutum nomen Arnaldi.

Arnobio[i] : Arnobius, ii, m. Coaluisse videtur e verbis Graecis ἄρνος, quo *agnus*, et βίος, quo *vita* significatur, sed Iosephus Perin (*Onomasticon*) opinatur nomen probabilius e Punica lingua ortum esse, quod in Africa primum sit usurpatum.

Arnolde[ge]: Arnolda, ae, f. ; v. *Arnoldo*.

Arnoldo[i] **Arnold**[g] **Arnou**[g] **Arnold**[a] **Arnold**[ge]: Arnoldus, i, m. Est alia scribendi ratio ipsius nominis Arnaldi ; v. ib.

Arnould[g]: v. *Arnaldo*.

Arnolfo[i] **Arnoul**[g] **Arnolfo**[h] **Arnulf**[ge]: Arnolfus, i, vel Arnulfus, i, m. Vitiose ponitur a quibusdam *Arnulphus* ; est enim nomen a verbis Germanicis *arn* -*wolf* (*wulf*) repetendum, quae idem valent atque *aquila* et *lupus*. Est ergo secundum nominis

interpretationem Arnolfus vir (fortis et callidus) veluti *aquila* et *lupus*; cf. Wasserzieher, p. 20; Dauzat, p. 12. – (Mart. Rom. XV Cal. Aug. et XVIII Cal. Sept.).

Aroldo[i]: v. *Araldo*.

Aronne[i] **Aaron**[g] **Aaron**[h] **Aaron**[a] **Aaron**[ge]: Aaron, onis, m.; ab aliis non inclinatur in casus. Nomen ductum est, quemadmodum videtur, a verbis Hebr. *hâr-on*, quorum prius *montem*, alterum *robur* significat. Ita Hieron., *De nom. Hebr.*, et Isid., *Orig.* VII, 6, 47, originem explicant: « Aaron mons fortitudinis ». Derivatur ab hoc nomine adi. *Aaroneus, a, um*. In Mart. Rom. commemoratur de Aarone, principe ordinis Levitarum, et Aarone, Martyre in Britannia (Cal. Iul.).

Arrigo[i]: Henricus, i, m. Est enim *Arrigo* alia, ab Italis usurpata, appellandi ratio vulgaris nominis *Enrico* (v. ib.). Cf. Tagliavini, p. 235; Sertoli Salis, p. 37.

Arsenio[i] **Arsène**[g]: Arsenius, ii, m. Nomen ductum est a verbo Graeco ἀρσένιος (ab ἄρσην), quod idem valet ac *virilis, robustus*. – (Mart. Rom. XIV Cal. Aug. et XIX Cal. Ian.).

Artemidoro[i]: Artemidorus, i, m. Hoc nomine, quo appellatus est praeclarus geographus Graecus ('Αρτεμίδωρος), significatur *donum Artemidis* seu *ab Artemide donatus*.

Artemisia[i]: Artemisia, ae, f. Nominis vis est: *ad Artemiden pertinens*, quam deam *sagittis gaudentem* perhibet Homerus.

Artemisio[i]: Artemisius, ii, m.; v. *Artemisia*.

Artemio[i]: Artemius, ii, m. Ducitur a nomine Artemidis, de cuius origine non satis constat: sunt qui derivent ab ἀρτεμής, h. e. *sanus*. – (Mart. Rom. XIII Cal. Nov.).

Art[a] **Artie**[a]: bl. app. pro Arturo usurpata; v. *Arturo*.

Arturo[i] **Arthur**[g] **Arturo**[h] **Arthur**[a] **Artur**[ge]: Arturus, i, m. Ab aliis perverse scribitur *Arcturus*, quasi sit nomen stellae 'Αρκτοῦρος, quae est in signo Bootae; interdum vero a poetis pro ipso Boote sumitur aut, per translationem, pro autumni tempore, quo Arcturus oritur (cf. Verg. *Georg.* I, 68). Tamen longe alia est origo nominis Arturi, quod solet viris imponi; derivatur enim a sermone Celtico, in quo *art ursum* significat, *ur* vero idem valet ac *novus, florens, iuvenis, pulcher*; cf. *Dict. Scoto-Celticum*, Edinburgh 1828, I, p. 72; II, p. 243. Alii vero priorem nominis partem a voce Celtica *ard* petunt, cuius vis est *altus, nobilis*.

Arvino[i]: v. *Erwin*; nomen vulgare Italicum Arvino, quod in Manzoniano carmine, cui index *Adelchi*, scriptum videmus, idem est atque Germanicum *Erwin*, seu potius *Herwin* (ab *her* seu *hari* = *exercitus*, et *win* = *amicus*).

Asaph[a]: Asaphus, i, m., vel Asaph sine postrema syllaba Latina. Derivatur a verbo Hebr. *âsâph*, quod *colligentem* seu *collectorem* significat; cf. *Par.* I, 6, 31 et 39; 16, 4; II, 29, 30; *Esdr.* II, 12, 45. – (Mart. Rom. Cal. Mai.).

Ascanio[i]: Ascanius, ii, m. De nominis origine non constat. Nihil enim

tur ex interpretatione Servii, *ad Verg. Aen.* I, 267 : « dictum a Phrygiae flumine Ascanio ». Fuit autem *As* summus deus Phrygum ; itaque fortasse eo nomine significatur filius (*khniz*) *As*.

Asdrubale[i] : Hasdrubal, ălis, m. Ducitur a fonte Punico : *'azro Ba 'al*, h. e. *auxilium eius Baal*, qui erat deus antiquarum gentium Semiticarum, ut Phoenicum, Syrorum e. a.

Aspasia[i] **Aspasia**[a]: Aspasia, ae, f. Est genus femininum adiectivi Graeci ἀσπάσιος, quod idem valet atque *optatus*, *adamatus*, utpote ab ἀσπάζομαι ductum, cuius vis est *complecti*.

Aspreno[i] : Asprenus, i, m. Hoc nomen deductum est a verbo *asper-a-um*, quod, ad originationem quod attinet, coniunctum est cum verbo spernendi. Viro cuidam impositum hoc nomen scriptum videmus in C.I.L., X, 2848 : *Philippo Aspreno* (Puteolis).

Assalonne[i] **Absalón**[h] **Absalom**[ge]: Absălon, onis, vel Absălom, m. sine postrema syllaba Latina. Ducitur a verbis coniunctis Hebr. *'abh - shâlôm*, quorum interpretatio est : *pater pacis*. – (Mart. Rom. VI Non. Mart.).

Assia[i] : Assia, ae, f. Est nomen origine Celticum, genus femininum nominis Assii (*Assius*, *ii*), unde plures deductae sunt appellationes, veluti *Asonius*, *Assianus*, *Assicus*, *Assidius* hisque sim. ; cf. A. Holder, *Alt-celtischer Sprachschatz*, I, pp. 248-249.

Hoc veteres quoque christiani usi sunt, ut manifestum est titulo in coemeterio S. Agnetis extra moenia Urbis posito : « Assia Felicissima Successa » (non recensetur apud Diehl).

Assuero[i] : Assuerus, i, m. Est nomen Hebr. *'Ahhashvêrôsh* (cum *a prosthet.*), quod in sacris litteris (*Dan.*, *Tob.*, *Esdr.*, *Esth.*) pluries occurrit. Ducitur autem a vetere vocabulo Pers. *Khsajarsha*, quo *leo*, *rex* significatur ; in monumentis, litteris cuneatis conscriptis, invenitur etiam *Ksherse* ; Graeci hoc modo exarare soliti sunt : Ἀσσουῆρος vel Ἀσύηρος (On. Perin.).

Assunta[i] **Asunción**[h]: Maria Assumpta, f.

Asta[ge]: bl. app. pro Augusta; v. ib.

Asteria[i] : Asteria, ae, f. Derivatur a verbo Graeco ἀστήρ, έρος, quod *stellam* significat. – (Mart. Rom. IV Id. Aug.).

Asterio[i] : Asterius, ii, m. ; v. *Asteria*.

Astolfo[i] **Astolfo**[h]: Astulfus, i, m., vel secundum originationem fortasse rectius Haistulfus. Nomen ducitur a Germ. fonte : *haifst* (Goth.) quod *pugnam* significat (cf. etiam priscum adv. Germ. *heistigo = iracunde*), et a *wulf* (*wolf*), quod idem valet ac *lupus*.

Astrea[i] : Astraea, ae, f. Ita appellata est filia Astraei et Aurorae (vel Iovis ac Themidis), soror Pudicitiae eademque Latinis Iustitia quae Graecis Themis.

Astrid[a] **Astrid**[ge]: Astridis, is, f. Derivatur a priscis verbis Germ. *ast* (Goth. *ansts*), quod vetere Thules incolarum sermone *gratiam*, *deorum*

favorem significabat, et *rid*, in quo est vis *equitandi*. Femina igitur, hoc nomine signata, quasi deorum favore obtecta equo vehitur. Priorem vero nominis partem alii minus recte ab *as* (*Ase*) deducunt, quo fabulosum numen Germanicum significatur. Nomen eodem modo ad sermonem Latinum conformatum est, quo Ingridis; v. ib.

Asunción[h]: v. *Assunta*.

Atala[i]: Ătăla, ae, f. Est nomen commenticium a Chateaubriand, fabulae Milesiae auctore, feminae cuidam, filiae principis Indorum ex America Septentrionali, inditum.

Atalarico[i] **Atalaric**[g] **Alderich**[ge]: Athalaricus, i, m., vel Aldericus, i, m. Origo vocis repetitur a Germanico *athal* (= *adal*), quod idem est ac *nobilis*, et a *rîhhi*, quo *dives*, *potens* significatur. Cf. *Alderisio*.

Atalia[i]: Attalīa, ae, f. Hoc nomine, quod ab ἀταλός, cuius vis est *iuvenilis*, *laetus*, *serenus*, ducitur, plura oppida a veteribus appellabantur: A. Pamphyliae (Ἀττάλεια), cf. Hieron. *Nom. Hebr.*, 67; *Tab. Peuting.* (*Atalia*); A. Mysiae, ut videtur; A. Aeolidis; A. Lydiae.

Atanasio[i] **Athanase**[g] **Atanasio**[h] **Athanasius**[ge]: Athanasius, ii, m. Ducitur a Graeco fonte: *a* priv. et θάνατος, quo *mors* significatur; est ergo nominis interpretatio: *immortalis*. – (Mart. Rom. postr. Cal. Mai. e. a.).

Athalin[g]: v. *Attalo*.

Atenodoro[i] **Athenodor**[ge]: Athenodorus, i, m. Nominis huius Graeci (Ἀθηνόδωρος) vis est: *Athenae donum* seu *ab Athena donatus*. – (Mart. Rom. XV Cal. Nov. e. a.).

Athelstan[a]: Athelstanus, i, m. Hoc nomen Anglorum Saxonumque proprium coaluit ex *athel* (*adal*) - *stan*, quae idem valent ac *nobilis petra*, *rupes*.

Athos[i]: Athos; c. gen. - onis; c. dat. - o; c. acc. - ona vel - on; c. abl. - o. Est nomen montis paeninsulae Chalcidices, qui in mare Aegeum porrigitur; maxime vero nobilis habetur et insignis propter religionis domicilia, quae monachi Graeci ibidem colunt.

Attalo[i] **Attale**[g]: Attălus, i, m. Origo nominis ducenda videtur ab ἀτάλλω, quod idem valet ac *ludo*, *recreo*, unde ἀταλός, h. e. *iuvenilis*, *serenus*, derivatur. – (Mart. Rom. IV Non. Iun. et prid. Cal. Iun.).

Atte[i]: Acte, es, f. Verbo Graeco ἀκτή *litus maris* significatur (cf. Lat. *acta*, *ae*), unde regio Atticae antiquitus ἀκτή appellabatur, cum esset maxima eius pars in litore posita; cf. Plin. IV, 7, 11; Gell. XIV, 6. Hoc nomen inditum est Neronis libertae, quam non multum abfuit quin sibi iungeret matrimonio; cf. Suet. *Ner.* 28; 50, et Tac. *Ann.* XIII, 12.

Atteone[i]: Actaeon, ŏnis, m.; c. acc. exit in -ona. Nomen, quo appellatus est filius Aristaei, ducitur ab ἀκτή; v. *Atte*. De hoc fabulari viro cf. Ovid. *Met.* III, 138 sqq.; Hygin. *fab.* 180; Serv. *ad Verg. Georg.* I, 14 e. a.

Attico[i]: Attĭcus, i, m. Ut liquet, idem significat atque *ad Atticam*

pertinens vel *incola Atticae* vel *Athenarum.* Eo imprimis insignis fuit amicus Ciceronis (T. Pomponius Atticus), et ipse scriptor et poeta (cf. Nep. *Att.* 18,5 : « de viris, qui honore rerumque gestarum amplitudine ceteros Romani populi praestiterunt, exposuit ita, ut sub singulorum imaginibus facta magistratusque eorum non amplius quaternis quinisve versibus descripserit : quod vix credendum est tantas res tam breviter potuisse declarari »). Occurrit etiam in titulis christianis; cf. Diehl 2306, 2338, 2348 (?), 4136, 4003 C : « S. Atticus uicxit (sic) ann. VI et m. III... ». – (Mart. Rom. VIII Id. Nov.).

Attila[ge]: Attĭla, ae, m. Est nomen Gothicum *atta* (quod *patrem* significat) blande deflexum ut idem valeat ac *paterculus*. Hanc suavem appellationem indiderunt Hunnorum regi, viro saevissimo; Venantius autem Fortunatus (*vit. S. Germ.*, 159) de alio eiusdem nominis viro commemorat : « Attila vir inluster ac regalis aulae domesticus ».

Attilio[i] **Atilio**[h]: Atilius, ii, m. A quibusdam perverse scribitur Attilius vel Actilius. Tamen, inspectis codicibus, qui in emendatioribus numerantur, plurimisque veteribus inscriptionibus Latinis, sine ulla licet dubitatione affirmare *Atilium*, una *t* littera, esse scribendum ; cf. M. Dziatzko, *Ueber die Terent. Didaskalien*, *Rhein. Mus. N. F.* XX, 1865, p. 588 sq.

Atilius pertinet ad Attum, quod est praenomen Italicum antiquissimum, proprium veteris gentis plebeiae et patriciae in plures divisae familias. Apud scriptores saepe occurrit modo, qui dictus est, exaratum ; cf. Cic. *Att.* XIV, 20 ; *Fin.* I, 2, 5 ; *Tusc.* IV, 11, 25 ; *Liv.* IV, 7 ; V, 13 ; IX, 30 ; XXII, 45 ; XXVI, 33 ; XXXII, 27 ; XXI, 26 ; XXII, 35 ; XXIII, 21 ; XXXIV, 54 e. a. ; Tac., *Ann.* IV, 42 ; *Eutrop. Brev.*, II, 17 : « M. Atilio Regulo L. Iulio Libone consulibus, Sallentinis in Apulia bellum indictum est »; Gell. VII, 4, 1 : « Quod satis celebre est de Atilio Regulo, id nuperrime legimus scriptum in Tuditani libris ». Nec praetermittendum est Graecos scribere solitos esse : 'Ατίλιος vel 'Ατείλιος.

Praeterea nomen frequentatur in titulis; cf. C.I.L. V, 2, nn. 2570, 2389, 3159, 3494, 4149, 5159, 5821, 5952, 5955, 5960 e. a. Neque minus in veteribus titulis christianis occurrit; cf. Diehl, 285 : « Atilius... Crescens v. p. ex tabulario Palati, qui vixit in hoc saeculo annos XXVII... » ; 2011 : « d. m. Ulpiae Victoriae coniugi laudabilissime (sic) Atilius Iustus posuit ».

Atto[i]: Atto, onis, m. Hoc nomen, iam saeculo VII ad Latini sermonis rationem conformatum, petendum est a verbo Germanico (Goth.) *atta*, h. e. *pater* (cf. *orat. Dominic.* Ulfilae episc. e saec. IV : *atta unsar*, h. e. *pater noster*).

Tamen in prisco etiam sermone Latino invenitur praenomen Attus (cf. Attius, Atta), quod derivatum est a voce infantium propria *atta*,

h. e. *pater* (cognominis autem Attae origo videtur esse potius Etrusca; Tagliavini, p. 163).

Vulgare igitur nomen *Atto* e fonte Germanico permanavit; est autem Attonis et Atti communis origo Indica-Europaea.

Aubain[g]: v. *Albano.*

Auberon[g]: v. *Oberon.*

Aubert[g]: v. *Alberto.*

Aubin[g]: v. *Albino.*

Auboin[g]: v. *Albuino.*

Aubry[g] **Aubrey**[a]: v. *Alberico.*

Auda[a]: Auda, ae, f. Priscum nomen Germanicum *auda possessionem* significat; cf. Förstemann, p. 185; est, si originationem spectes, idem atque Uta; v. ib.

Audigier[g]: v. *Alighiero.*

Audomaro[i]: Audomarus, i, m. Est quidem, si originem spectes, idem nomen atque *Othmari* (v. *Otmar*), tamen antiquiore hac ratione exaratum vim nominis proprii obtinet. – (Mart. Rom. V Id. Sept.).

Audrey[a]: Etheldreda, ae, f.; v. ib.

Auger[g]: v. *Alighiero.*

Augerio[i]: Augerius, ii, m. Ductum est a verbo *augendi* vel rectius ab *augure*; v. *Augusto.*

Augusta[i] **Augusta**[h] **Augusta**[a] **Auguste**[ge]: Augusta, ae, f.; v. *Augusto.*

Augusto[i] **Auguste**[g] **Augusto**[h] **Augustus**[a] **August**[ge]: Augustus, i, m. Originem nominis alii aliter explicant. Veteres a verbo *augendi* ducunt, recentiores vero ab *augure*, qui *avium gestum* (cf. *avi - ger*) observat indeque futura divinat; cf. etiam Suet., *Aug.* 7. Recensetur pluries in Mart. Rom.

Augustin[g] **Augustine**[a] **Augustin**[ge]: v. *Agostino.*

Aulo[i]: Aulus, i, m.; interdum ponitur etiam, e vulgaris sermonis Latini ratione, Olus, i. Sunt qui nomen deducant ab αὐλός (= *tibia*), sed veri similius derivandum est ab *aula* (*olla*).

Aurelia[i] **Aurelia**[h] **Aurelia**[a]: Aurelia, ae, f. Hoc nomen, perinde atque Aurorae, Aurelii, ductum est a verbo primigenio *aus* (cf. prisc. Ind. *usâh*, Aeol. αὔως, Ion. ἠώς) unde derivata vox *aurora*, e linguae Latinae ratione, mutata est in *auroram*, ut *flosa* in *floram*. Hoc igitur modo *Auselius* deflexus est in *Aurelium*. Apud Paulum ex Fest., p. 22, scriptum videmus: « Aureliam familiam ex Sabinis oriundam a Sole dictam putant, quod ei publice a populo Romano datus sit locus, in quo sacra faceret Soli, qui ex hoc Auseli dicebantur ». Origo ergo est vox Sabina **ausel*, qua *sol* Latine significatur. Cf. Ernout-Meillet. Inest igitur in nomine vis lucis, quam prisci Indi-Europaei numen arbitrabantur. – (Mart. Rom. postr. Cal. Dec. e. a.).

Aureliano[i] **Aurélien**[g]: Aurelianus, i, m. Idem valet atque: *ad gentem Aureliam pertinens.* – (Mart. Rom. XVII Cal. Iul.).

Aurelio[i] **Aurelio**[h] **Aurelius**[ge]: Aurelius, ii, m. V. *Aurelia.* – (Mart. Rom. V. Cal. Aug.).

Aurora[i] **Aurora**[a]: Aurora, ae, f.; v. *Aurelia.*

Aus[a]: bl. app. pro Augustino vulgo usurpata; v. *Agostino.*

Ausilia[i]: Maria Auxiliatrix, f.

Ausonio[i]: Ausonius, ii, m. Idem valet atque *ad Ausoniam pertinens*, regionem Italiae inter Oenotriam et Tyrrheniam.

Austin[a]: v. *Agostino*.

Autari[i]: Authari, m.; non inclinatur in casus. Nomen, quo Langobardorum rex appellatus est (cf. Greg. Magn. *Ep.* VII, 23; Paul. Diac. *Hist. Langob.* III, 32), conflatum est e verbis *auda* (Goth. *audags*), quo *possessio*, *divitiae* significantur, et *hari* (Goth. *harja*; cf. Germ. rec. *Heer*), quod idem valet atque *exercitus*, *miles*.

Ava[a] **Ava**[ge]: Nomen hoc Germanicum deductum est a voce primigenia *avi* (Förstemann, 217), quae inveniri videtur in priore parte verbi Gothici *awi-lindh* = *gratiarum actio* (*awilindon* = *gratias agere*); v. S. Feist, *Vergleichendes Wörterbuch der Gotischen Sprache*, p. 70; cf. prisc. Ind. *avis* = *gratus*, *propensus*; *avati* = *laetatur*, *fovet*; *Graec.* αἰτίας, αἶτα = *amicus*; Lat. *avidus*. Nomen *Avae* (interdum scribitur *Awa*, *Awe*) occurrit saepius in M.G.H., veluti 68, p. 127 (*Epist. Karolini Aevi*, Alcuin.): « Credo te de orationibus Auae sororis nostrae fideliter facere, sed ex mea petitione aliquid superadde, quia mihi fidelis fuit ». Erat autem Ava prima poetria Germanica nomine cognita, quae sacra carmina candido ac simplici orationis genere composuit. Obiit ut *reclusa* ad monasterium Melicense (*Melk*) in Austria anno 1127.

Ave[i]: Ave, f.; non inclinatur in casus. Hoc nomen, quod est imperandi modus, imponitur puellis ob religionem Deiparae Mariae, quae ita ab angelo est salutata.

Est autem, si originem spectes, *ave* deductum a verbo Punico *havah* = *vive*, atque tardius formae *aveto*, *avete*, *avere* inductae sunt exemplo sumpto a *salvere* et *valere*; cf. Walde - Hofmann, I, pp. 30-31.

Averardo[i]: v. *Everardo*.

Avice[a] **Avicia**[a]: v. *Edvige*.

Avito[i] **Avit**[g]: Avitus, i, m. Nominis origo est avus.

Azzo[i] **Azzolino**: v. *Galeazzo*.

Axel: Absalon; v. *Assalonne*. Est enim Axel blanda appellatio a Suetis pro Absalone usurpata.

Aylmer[a] Adalmarus, i, vel Elmarus, i, m. Nomen enim derivatum est ab Anglo-Saxonico *Aethelmaer*, (*aethel* = *nobilis*; *maer* = *fama*, *gloria*); cf. *Adalmar*.

Aylwin[a]: Aluinus, i. Coaluit e verbis Germ. *adal-win*, quae sic in Latinum convertuntur: *nobilis amicus*.

B

Bab[a] **Babie**[a]: bl. app. ab Anglis pro Barbara usurpata ; v. ib.

Bab[a] **Babs**[a]: bl. app. ab Anglis pro Baptista (Ioanne) usurpata.

Babila[i]: Babylas, ae, m. Nomen repetendum esse videtur a vocabulo Chaldaico *babel* (Hebr. *babhel*), quo *confusio* significatur. – (Mart. Rom. IX Cal. Febr.).

Bacchilide[i]: Bacchylĭdes, is, m. A nonnullis perverse scribitur Bacchilides. Derivatur, quemadmodum videtur, a vocabulo Graeco βάγχυλος, cuius vis est *panis subcinericius*; alii id *restiarium* significare defendunt.

Baccio[i]: bl. app. ab incolis Tusciae interdum pro Bartholomaeo usurpata (Fumagalli, p. 33) ; v. *Bartolomeo*.

Balbina[i] **Balbina**[h]: Balbina, ae, f. De originatione cf. *Balbino*. – (Mart. Rom. prid. Cal. Apr.).

Balbino[i] **Balbin**[g] **Balbino**[h]: Balbinus, i, m. Deducitur ab adiect. *balbus, a, um*, cuius origo est verbum primitivum **bal*, soni imitatione effectum ; cf. Walde-Hofmann, p. 94.

Balbo[i]: Balbus, i, m. Cf. *Balbino*.

Baldassarre[i] **Balthasar**[g] **Baltasar**[h] **Balthasar**[a] **Balthasar**[ge]: Balthasar, aris, m. Ab aliis non inclinatur in casus. In *Vulgata* Bibliorum editione scriptum videmus : Baltassar ; apud LXX Interpretes : Βαλτασάρ. Qua in scribendi ratione duo nomina diversa, Babyloniorum et Assyriorum propria, confunduntur : *Balatshar-usur* et *Bel-shar-uzur*, quorum priore significatur : *vitam regis protege*, altero : *Bel* (*Baal*) *regem protege*. Utrumque nomen in exemplo Hebraico discernitur. Eo autem appellatus esse traditur unus e magis, qui ex orientis solis partibus advenerunt ut Christum Infantem religiosis adorarent obsequiis.

Baiamonte[i]: Baiamontes, is, m. Hoc nomen, raro pueris impositum, proprium fuit Baiamontis – ita ad Latinam rationem accommodavimus – *Tiepolo*, qui Venetiis anno 1310 seditionem conflavit.

Balder[ge] **Baldur**[ge] : Baldĕrus, i, m. Hoc nomine signabatur a priscis Germanis filius Odini et Freiae, deorum principum ; cui numini idem fere tribuebant, quod Graeci et Romani Apollini. Inest autem in nomine vis *lucis* vel *fortitudinis*.

Baldomero[h] **Baldemar**[ge] **Baldomer**[ge]: Baldomarus, i, vel Baldomerus, i, m. Coaluit e verbis Germa-

nicis *bald*, cuius vis est *fortis*, *audax*, et *mar*, quod idem valet atque *inclitus*, *clarus*. – (Mart. Rom. III Cal. Mart.).

Balderich[ge]: v. *Baudry*.

Baldo[i]: Baldus, i, m. Est priscum nomen Germanicum, cuius vis est *fortis*, *audax*, *nobilis*.

Baldovino[i] **Baudoin**[g] **Balduino**[h] **Baldwin**[a] **Balduin**[ge] : Balduinus, i, m. Hoc nomen Germanicum effectum est verbis *bald* et *wîn*, quorum prius idem valet ac *fortis*, *audax*, alterum idem atque *amicus* ; est ergo Latina interpretatio : *amicus fortis*.

Baldur[ge] : v. *Balder*.

Balthasar[g] **Balthasar**[a] **Balthasar**[ge]: v. *Baldassarre*.

Bandulf[ge] **Pandulf**[ge] : Bandulfus, i, m. Nominis origo sic explicatur: *bandu* a Langobardis appellabatur *vexillum* (cf. It. *bandiera* ; Germ. *Banner*) ; altero nomine Germanico *wulf* (*wolf*) lupus, animal fausti ominis, significatur.

Baptiste[g]: v. *Battista*.

Bar[a] **Barbe**[a] : bl. app. pro Barbara ; v. ib.

Barbara[i] (idem in ceteris linguis): Barbăra, ae, f.; v. *Barbaro*. – (Mart. Rom. prid. Non. Dec.).

Barbaro[i]: Barbărus, i, m. Hoc nomine (Graec. βάρβαρος) significatur homo *balbus* seu *balbutiens* ; barbari autem appellabantur a Graecis et Romanis gentes externae, quarum sermo inconcinnus erat quaeque lingua Graeca vel Latina difficile et corrupte utebantur.

Barberina[i]: bl. app. pro Barbara: v. ib.

Barnaba[i] **Bernabé**[g] **Bernabé**[h] **Barnaby**[a] **Barnabas**[ge]: Barnăbas, ae, m. Ducitur, ut veteribus placuit, a fonte Aramaico : *bar-nevah*, quae verba sic Latine redduntur : *filius solatus est*. Littera *v*, ut a Graecis fieri solet, mutatur in *b*, unde *nevah* audit *nabas*. Recentiores autem multi hanc alteram partem aliunde derivant, velut a *Nebô* seu *Nabû*, quo significatur numen Babylonium. – (Mart. Rom. III Id. Iun.).

Barney[a] **Barny**[a]: bl. app. pro Barnaba usurpata ; v. ib.

Barry[a]: Barrius, ii, m. Videtur esse cognomen Betutiorum, gentis Celticae, ductum ab oppido Barra in Insubria ; cf. C.I.L. IX, 6160.

Barsaba[i]: Barsăbas, ae, m. Nomen ductum est a verbis Aramaicis *bar-Saba*, quibus significatur *filius Sabae*. – (Mart. Rom. III Id. Dec.).

Bartimeo[i]: Bartimaeus, i, m. Nomen e duarum linguarum verbis, quemadmodum videtur, conflatum est : e voce Aramaica *bar*, cuius vis est *filius*, et e Τιμαῖος (vel Τίμαιος), quod vocabulum a τιμάω (= *honoro*) derivatum est.

Bart[a]: bl. app. pro Bartholomaeo usurpata ; v. *Bartolomeo*.

Bartolomeo[i] **Barthélemy**[g] **Bartolomé**[h] **Bartholomew**[a] **Bartholomäus**[ge]: Bartholomaeus, i, m. Est nomen Aramaicum, quo significari videtur *filius Thalmai* vel *Tholmai*. – (Mart. Rom. IX Cal. Sept).

Bartie[a] **Bartle**[a] **Bartley**[a]: bl. app. pro Bartholomaeo ; v. *Bartolomeo*.

Bartolo[i]: v. *Bartolomeo*.

Bartram[a]: v. *Bertram*.

Barucco[i] **Baruch**[g]: Baruch, m.; non inclinatur in casus. Est vox Hebraica *bâruk* (Sept. Βαρούχ) qua significatur *is, cui aliquis bene precatus est.*

Basilio[i] **Basile**[g] **Basilio**[h] **Basil**[a] **Basil(ius)**[ge]: Basilīus, ii, m. Est verbum Graecum βασιλεῖος, quod idem valet ac *regius, regalis.* – (Mart. Rom. Cal. Ian. e. a.).

Basilide[i]: Basilīdes, is, m. Ducitur a nomine Basilii; v. *Basilio.* – (Mart. Rom. prid. Id. Iun.).

Bastiano[i] **Basty**[a]: bl. app. pro Sebastiano; v. ib.

Bat[a]: bl. app. ab Anglis pro Bartholomaeo usurpata; v. *Bartolomeo.*

Batilde[i] **Bathilde**[g] **Bathilde**[ge]: Bathildis, is, f. Hoc nomen Germanicum coaluit ex *batu* seu *badu* et *hild*, quorum utrumque *proelium* significat. – (Mart. Rom. III Cal. Febr.).

Battista[i]: Ioannes Baptista, m.

Battistina[i]: Baptistina, ae, f. Est, ut liquet, nomen, feminino genere expressum, Ioannis Baptistae.

Batuele[i]: Bathuel, elis, m. Ab aliis non inclinatur in casus. Ducitur a verbis Hebraicis *bethu el*, quibus *domus Dei* significatur.

Baudoin[g]: v. *Baldovino.*

Baudry[g] **Balderich**[ge]: Baldericus, i, m. Derivatur a fonte Germanico: a *bald - rihhi* (*ricja*), quibus haec est vis subiecta: *fortis, audax - dominator, potens.*

Bautista[h]: v. *Battista.*

Bea[a] **Beatie**[a] **Beattie**[a]: bl. app. pro Beatrice; v. ib.

Beato[i] Béat[g] **Beat**[ge]: Beatus, i, m. Verbum *beo, as*, unde hoc nomen ductum est, repetendum videtur, perinde ac *bonus*, a, *um*, a voce primitiva *dueio* (cf. *due-no*, unde derivatur *bonus*); cf. Walde-Hofmann, I, p. 101. Nomen occurrit in veteribus titulis christianis; Diehl 2146, 3510, 4111. – (Mart. Rom. VII Id. Mai.).

Beata[i] **Beata**[a] **Beate**[ge]: Beata, ae, f; v. *Beato.* – (Mart. Rom. VIII Id. Mart.).

Beatie[a] **Beattie**[a]: bl. app. pro Beatrice; v. ib.

Beatrice[i] **Béatrice**[g] **Beatriz**[h] **Beatrix**[a] **Beatrix**[ge]: Beatrix, icis, f. Quemadmodum liquet, hoc nomine appellatur femina quae *beatum facit* eum, qui ipsam contempletur; cf. *Beato.* – (Mart. Rom. IV Cal. Aug.).

Becky[a]: bl. app. pro Rebecca usurpata; v. ib.

Bede[a] **Beda**[ge]: Beda, ae, m. Deducitur a prisco verbo Ang.-Sax. *beadu* vel *beado* (prisc. Germ. *bodh*, a *badu*), quo *proelium* significatur; cf. Förstemann, p. 224 sqq. In sermone Ang.-Sax. scribitur etiam: *Badda, Peda, Petta, Betta.* Eo appellatus est praeclarus vir, sanctimonia et eruditione insignis (Mart. Rom. VIII et VI Cal. Iun.), civis Dunelmensis, monachus, cui merito adiectum cognomentum *Venerabilis* (673-735).

Bela: bl. app. ab Hungaris pro Adalberto vel Alberto usurpata; v. suis locis.

Belinda[a]: Belinda, ae, f. Est nomen commenticium.

Belisario[i] **Belisar**[ge]: Belisarius, ii, m. Nomen, quo appellabatur dux Iustiniani imperatoris, derivatur, si

fidem habemus E. Schröder (*Zeitschrift für deutsches Altertum* XXXV, 1891, p. 244) a *Piliher*; cf. *pillich*, *billich*, in quo inest vis *honesti*, *recti*.

Bell[a] **Bella**[a] **Belle**[a]: bl. app. pro Arabella vel Isabella; v. suis locis.

Bella[i]: Bella, ae, f. Hoc nomen, quo significatur *venusta*, *pulchra*, ductum est a verbo primigenio *duen(e)los*, i. e. ab eodem fonte manavit, unde *bene*, *bonus*, *a*, *um* derivantur. V. *Bellina*.

Bellina[i]: Bellŭla, ae, f. Hoc nomine, perinde ac priore appellatione Bellae, uti solent Hebraei, idque ab antiquis temporibus. Cui rei documento est vetus titulus Iudaicus apud Diehl, 491: « locus Bellule (= Bellulae) quiescet in pace ». Qua in inscriptione effictum est candelabrum septem lucernarum, gentis Hebraicae insigne. Ad originationem nominis quod attinet, v. *Bella*.

Ben[a]: bl. app. pro Beniamino; v. ib.

Beltramo[h]: v. *Bertram*.

Bencivenni[i] **Bencivenga**[i]: Benvenutus, i, m. V. *Benvenuto*, cuius nominis vulgaris hae sunt variae scribendi rationes.

Bendita[h]: v. *Benedetta*.

Benedetta[i] **Benoite**[g] **Benita**[h] **Benedikta**[ge]: Benedicta, ae, f. – (Mart. Rom. prid. Non. Mai. e. a.). V. *Benedetto*.

Benedetto[i] **Benoit**[g] **Benito**[h] **Benedict**[a] **Benedikt**[ge]: Benedictus, i, m. Verbum benedicendi (alicui) in praestanti Latinitate idem valet ac: *bene de aliquo loqui*; cf. Cic. *Sext.* 52; Ovid. *Trist.* V, 9, 9; vel absolute: *bona verba dicere*; cf. Plaut. *Asin.* 3, 3; 115. Denique scriptores sequioris aetatis, praesertim christiani, verbum cum c. accusativo coniungentes, eidem vim quasi *sacri ominis* subiecerunt; cf. Lact. VII, 14: « Perfectis operibus, requievit die septimo eumque benedixit ». – (Mart. Rom. XII Cal. Apr. e. a.).

Benedikta[ge]: v. *Benedetta*.

Benigno[i] **Bénigne**[g] **Benigno**[h] **Benignus**[ge]: Benignus, i, m. Nomine significatur quasi *vir ingenio bono*. – (Mart. Rom. XII Cal. Dec. e. a.).

Ben[a]: bl. app. pro Beniamino; v. ib.

Beniamino[i] **Benjamin**[g] **Benjamin**[h] **Benjamin**[a] **Benjamin**[ge]: Beniaminus, i, m. Ab aliis non inclinatur in casus. Ducitur a fonte Hebr.: *bên* hoc est filius, et *yâmin*, cuius vis est *dextera*, *felicitas*. Eo igitur significatur *filius dexterae* vel *felicitatis*. – (Mart. Rom. prid. Cal. Apr.).

Benilda[i] **Benhilde**[ge]: Benildis, is, f. In opere, quod iscribitur *Polyptique de l'abbé Irmion par Guérard*, Paris 1844, p. 71, recensetur idem nomen hoc modo: Benoildis. Deducitur quidem a sermone Germanico, sed est eius interpretatio non satis certa, si priorem partem spectes, altera enim efficitur vetere vocabulo *hild*, quo *proelium* significatur. Prior vero nominis pars petenda est aut a prisca voce *bain* (cf. *Bein*), cuius vis est *crus*, aut a *bagan*, quod idem valet atque *obesse*, *litigare*, aut a verbo, Anglorum Saxonumque proprio, *ben*, quod *vulnus* significat. Cf. Förstemann, pp. 256-257 sq. – (Mart. Rom. XVII Cal. Iul.).

Benoite[g] **Benita**[h]: v. *Benedetta.*

Benito[h]: v. *Benedetto.*

Benjie[a] **Benjy**[a] **Bennie**[a] **Benny**[a]: bl. app. pro Beniamino usurpatae ; v. *Beniamino.*

Bennet[a]: bl. app. pro Benedicto ; v. *Benedetto.*

Benno[i] **Benno**[ge]: Benno, onis, m. Est quidem deminutum nomen Bernardi ; cf. M.G.H., II, p. 758, ann. 87 : « Benno et Bennolinus idem ac Bernhardus et Bernhardulus », et Wasserzieher, p. 27 ; tamen vim nominis proprii obtinet. – (Mart. Rom. XVI Cal. Iul.).

Benoit[g]: v. *Benedetto.*

Benvenuto[i] : Benvenutus, i, m. Est vulgare verbum Italicum *benvenuto*, in Latinam rationem paulum deflexum. Eodem Itali aliquem adventantem salvere iubent ; quasi, qui natus est puer, parentibus carus exspectatusque venerit. – (Mart. Rom. XI Cal. Apr.).

Beppe[i] : bl. app. pro Iosepho ; v. *Giuseppe.*

Berardo[i] **Bérard**[g] **Berhard**[ge]: Berardus, i, m. Est quidem idem nomen ac Bernardi, cum derivetur a verbis Germanicis *ber* (*bero*), cuius vis est *ursus*, et ab *hard*, quod idem valet ac *fortis*, *audax* ; tribuitur tamen peculiari ratione quibusdam Caelitibus (cf. Mart. Rom., a. d. XVII Cal. Febr.), ita ut praeter nomen Bernardi etiam hoc servandum sit.

Berecinzia[i] : Berecyntia, ae, f. Monet Servius *ad Verg. Aen.* IX, 81 : « Ultima syllaba caret aspiratione, quam addimus quotiens montem Deli Cynthum dicimus ». Nomen ductum est a Berecynto, Phrygiae monte, in quo Cybele excolebatur, unde etiam idem valet atque Cybele ; cf. Verg. *Aen.* VI, 785 ; Ovid. *Fast.* IV, 355.

Berengario[i] **Bérenger**[g] **Berengar**[ge]: Berengarius, ii, m. Coaluit e verbis Germanicis *ber* seu *bern*, cuius vis est *ursus*, et *gari* (*gêr*), quo *hasta*, *iaculum* significatur.

Berengaria[i] : Berengaria, ae, f. ; v. *Berengario.*

Berenice[i] **Berenice**[a] **Berenike**[ge]: Berenice, es, f. Est nomen Macedonum proprium (Βερενίκη), ductum ex φέρω et νίκη, unde eo significatur : *quae victoriam fert.* Cf. *Veronica.*

Berina[a]: bl. app. pro Barbara ; v. ib.

Bernabé[g]: v. *Barnaba.*

Bernadetta[i] **Bernadette**[g]: Bernardilla, ae, f. Est enim bl. app. ducta a nomine Bernardae.

Bernarda[i] **Bernarda**[a] **Bernharde**[ge]: Bernarda, ae, f. ; v. *Bernardo.*

Bernardino[i] **Bernardin**[g] **Bernardino**[h] **Bernhardin**[ge]: Bernardinus, i, m. Est deminutum nomen Bernardi ; v. *Bernardo.* – (Mart. Rom. XIII Cal. Apr. e. a.).

Bernardina[i] **Bernardine**[g] **Bernardina**[a] **Bernhardine**[ge]: Bernardina, ae, f. ; v. *Bernardo.*

Bernardo[i] **Bernard**[g] **Bernardo**[h] **Bernard**[a] **Bernhard**[ge]: Bernardus, i, m. Ab aliis minus Latine scribitur Bernhardus. Repetitur a *Berinhard*, antiquo nomine Germanico : *berin-ursus* et *hard* – *audax, animosus.* – (Mart. Rom. XIII Cal. Sept. e. a.).

Bernhelm[ge]: Bernelmus, i, m. Nomen effectum est verbis Germanicis *berin* (*ber*), cuius vis est *ursus*, et *helm*, quo *galea*, *tegmen*, *praesidium* significatur.

Bernold[ge]: Bernoldus, i, m. Coaluit e verbis Germanicis *berin* (*ber*), cuius vis est *ursus*, et *walt* (*walten*), quod idem valet ac *dominari*; *qui* ergo *dominatur ut ursus*, hoc nomine appellatur.

Bernward[ge]: Bernvardus, i, m. Nominis huius Germanici haec vis est: *berin* - *wart* (*ward*), quorum verborum priore significatur *ursus*, altero *custos*. – (Mart. Rom. XII Cal. Dec.).

Beroe[ge]: Beroë, es, f. Hoc nomine (Βερόη) appellatae sunt nutrix Semeles, Nereis quaedam, aliaeque fabulares mulieres.

Berswinda[ge]: Bersvinda, ae, f. Derivatur a verbis Germanicis *bero* (*ber*, *bern*), quod *ursum* significat, et *swind* (Goth. *svinths*), quod idem valet ac *validus*. Interdum hoc nomen scriptum videmus *Berinsuith*; cf. Förstemann, p. 271, sed in M.G.H., LVI, p. 72, hoc modo: *Berswinda.*

Bert[a] **Berthie**[a]: bl. app. pro Alberto; v. *Alberto.*

Berta[i] **Berthe**[g] **Berta**[h] **Bertha**[a] **Berta**[ge]: Berta, ae, f.; minus recte scribitur Bertha cum *h* littera post *t*. Ducitur a prisco vocabulo Germanico *berath* seu *bert* (Goth. *bairhts*), cuius vis est *splendidus*, *clarus*; cf. « Vita S. Bertae », *Act. Sanct.*, Iul. II (1721) p. 50: « Nata est autem eis (parentibus) filia, cui nomen imposuerunt Bertam, quae interpretatur fulgida seu splendida ». Vox *bert* adhibita est ad omnium plurima nomina Germanica virorum et mulierum fingenda; cf. Förstemann, p. 277 sqq. In antiquis litterarum monumentis interdum invenitur scribendi modus *Berhta* vel *Bercta*, in quo servatur aspiratio ante *t* litteram (cf. *beraht*); hanc vero Romani, nomen in suae linguae rationem transferentes, omiserunt; cf. Greg. Magn., *epist.* 11, ubi de Berta, Anglorum regina, commemorat.

Bertheide[ge]: Berthaidis, is, f. Hoc nomen Germanicum conflatum est ex *berchta* (cf. Goth. *bairhts*, prisc. Germ. *beraht* = *clarus*, *a*, *um*) et ex *haidu* (cf. Goth. *haidus* = *modus*, *qualitas*). In veteribus litterarum monumentis varia occurrit ratio nominis scribendi: *Perchthaid*, *Bertheithis*, *Berthaid* e. s.; cf. Förstemann, 287.

Fuit S. Berthaidis (*Bertheides*) abbatissa monasterii Beatae Mariae Virginis Transaquae (in Vestfalia, ut videtur), quae anno 1050 de vita pie decessit.

Berthilde[ge] **Bertilde**[ge]: Berthildis, is, vel Bertichildis, is, f. Derivatur a verbis Germanicis *bert* (*beraht*), cuius vis est *clarus*, *splendens*, et *hild*, quo *proelium* significatur. Est ergo nominis interpretatio: *bellatrix clara.* Apud Ven. Fort., *carm.* VI, 4; 41, invenitur scribendi ratio: *Bertichildis*, quae tamen barbarum quiddam sapere videtur.

Bertilla[i]: Bertilla, ae, f. Fieri potest, ut sit nomen Berthildis parce detortum vel nomen Bertae (v. ib.)

cum syllaba Latina -illa, blandae appellationis causa, adiuncta, vel nomen Bertiliae (Sanctae), paulum inflexum, quod in « Gestis Episcoporum Cameracensium », M.G.H. II, p. 16, scriptum videmus. Ita appellatur sacra virgo (Boscardin) anno 1952 Beatorum Caelitum honoribus decorata.

Berto[i]: est bl. app. pro Alberto vel Roberto; v. haec nomina suis locis.

Bertoldo[i] **Bertou**[g] **Bertoldo**[h] **Berthold**[ge]: Bertoldus, i, m. Minus recte scribitur cum *h* littera inter *t* et *o* interposita. Nomen enim deducitur a verbis Germanicis *bert* (olim *berath*; Goth. *bairthts*), quod idem valet ac *clarus*, *splendidus* (cf. *Berta*) et *walt* (*wald*, *valdan*), cuius vis est *dominari* (cf. *walten*, *Gewalt*). Quod verbum (*walt*), perinde ac *wolf* (cf. *Adolf*), cum alteri adiungitur nomini, quocum coalescat, primam litteram amittit, ita ut audiat - *ald* vel-*old*. Bertoldus ergo idem fere est ac *dominus magnificus*.

Bertram[a] **Bertram**[ge]: Bertramus, i, m. Hoc nomen ex Germanico sumptum, petitur a verbis *bert* (*beraht*), quod idem valet ac *clarus*, *splendidus*, et *raban* (*hraban*, *ram*), quo *corvus*, animal apud priscos Germanos religiosum, significatur (cf. *Rabe*).

Bertrando[i] **Bertrand**[g] **Beltrán**[h] **Bertrand**[a] **Bertrand**[ge]: Bertrandus, i, m. Nominis huius Germanici haec est interpretatio: *clarus bellator clipeatus*; *bert* (*beraht*) enim idem valet ac *clarus*, *splendidus*, *rand* (*rant*) autem idem est atque *orbis*, praesertim clipei, et ipse *clipeus*.

Beryl[a]: Beryllis, ĭdis, f. Hoc gemmae nomen (a *beryllo*), mulieri inditum, quo utuntur interdum Angli et Americani, scriptum videmus in quodam vetere titulo, C. I. L., X, 6185 (Formis): « C. Terentio Loto ... Terentia Flora filia patri suo ... fecit et Terentia Beryllidi matri eius ».

Bess[a] **Bessie**[a] **Beth**[a] **Betor**[a] **Betsey**[a] **Betsy**[a] **Betta**[a] **Betty**[a]: bl. app. pro Elisabetha; v. *Elisabetta*.

Betsey[a] **Betsy**[a]: bl. app. pro Elisabetha; v. *Elisabetta*.

Betta[a]: bl. app. pro Elisabetha; v. *Elisabetta*.

Bettina[i]: bl. app. pro Benedicta vel Elisabetha; v. *Benedetta*, *Elisabetta*.

Bettino[i] **Betto**[i]: v. *Benedetto*.

Bettrys[a]: bl. app. pro Beatrice; v. ib.

Betty[a]: bl. app. pro Elisabetha; v. *Elisabetta*.

Biagia[i]: Blasia, ae, f. V. *Biagio*.

Biagio[i] **Blaise**[g] **Blas**[h] **Blaise**[a] **Blasius**[ge]: Blasius, ii, m. Saepe scribitur cum duplici *s* littera (*Blassius*). De gente Blasia, Blaesia vel Blassia veteres commemorant, atque etiam de cognomine Blasione (*Blasio*, *onis*). Hoc igitur nomen ab aliquo sermone Italico, non Latino, petendum videtur estque idem atque adiect. Latinum *blacsus*, *a*, *um*, h. e. *balbus*. Romani hoc verbum per Oscos (cf. nomen Oscum *Blaisiis*) a Graecis acceperunt, ut conici licet, scilicet a βλαισός, h. e. *valgus*, *arthriticus*; quod genus vitii Latini ad linguam transtulere; cf. Martial. X, 65, 10: « os blaesum tibi debilisque lingua

est ». – (Mart. Rom. III Non. Febr. e. a.).

Bianca[i] **Blanche**[g] **Blanca**[h] **Blanche**[a] **Blanka**[ge]: Blanca, ae, f. Hoc nomen ex incorrupti sermonis Latini ratione audit : *Candida* ; petitur autem a verbo Germanico *blank*, cuius vis est *nitidus*, *albus*, quodque media aetate in multas receptum est linguas atque etiam quasi Latinitate donatum ; cf. Ducange, *Gloss. med. et inf. Lat.*, I, 674-675 : « blancus seu blanchus = albus, candidus ».

Bianchina[i] : v. *Bianca*.

Bianco[i] **Blanc**[g] **Blanco**[h] **Blank**[ge]: Blancus, i, m. ; v. *Bianca*.

Bibbiana[i] **Bibiane**[g] **Bibiana**[h] **Bibiana**[ge]: Bibiana, ae, f. Est ipsum nomen Vivianae quod repetitur a verbo *vivendi*, unde idem fere valet ac *vivida*, *vivax*; cf. Tagliavini, p. 415, qui hanc originationem appellat « etimologia popolare ». Antiquior autem nominis scribendi modus est : Vibiana, genus scilicet femininum nominis *Vibianus*, *i* ; quod deductum est a Bibio (*Vibius*), nomine gentis Romanae ab Etrusco vocabulo *vipi* derivato.

Neque mirandum *b* litteram loco *v* scriptam esse ; saeculo enim V p. Ch.n. litterae *b* et *v* promiscue omnino usurpabantur ; unde intellegitur cur Adamantius grammaticus librum scripserit *de b vocali et v vocali* (Keil C. Gr. L., VII). Sed iam ab aetate praestantium Latinitatis auctorum saepe *b* scribebatur pro *v* ; cf. inscr. Pompei. : *Bibius* (Vibius), *baliat* (valeat), *Berus* (Verus) ; alias invenitur : *birtus*, *bita*, *boluntas*, *biginti*, *Bictorinus* e.s. ; in sacris cryptis ad aedem S. Agnetis extra moenia Urbis hic exstat titulus : *Bibentius se bibum fecit* (Viventius se vivum, h. e. vivo, fecit). Littera enim *b* tam leniter efferebatur, ut idem fere sonaret ac *v*, seu esset quasi quidam modus acrior eandem litteram *v* enuntiandi. Cf. C. Battisti, *Avviamento allo studio del latino volgare*, p. 153 sq. – (Mart. Rom. postr. Cal. Dec.).

Bice[i]: bl. app. pro Beatrice; v. *Beatrice*.

Biddulph[a]: v. *Botolf*.

Biddy[a]: bl. app. pro Brigida ; v. ib.

Bilhild[ge] **Bilhilde**[ge] : Bilildis, is, vel Bilichildis, is, f. Hoc nomen, quo appellata est uxor regis Theodeberti II (saec. VI) et Childerici II (saec. VII), ducitur a verbis Germanicis *bili*, cuius vis est *lenitas*, *placidus* (cf. φιλ-), aut a *bîl*, quod idem valet atque *securis* (cf. *Beil*), et ab *hild*, quo *proelium* significatur ; cf. Förstemann, pp. 304 ; 306 sq. Scribendi ratio *Bilildis* invenitur in opere quod inscribitur « Histoire de Languedoc par deux religieux Bénédictins de la Congregation de St. Maur », Paris 1730, II, n. 157, ad ann. 1025. Apud Venantium autem Fortunatum, *carm.* VI, 1, 51, hoc nomen ita est in rationem Latinam translatum : *Bilichildis*, quod tamen nonnihil barbarum sapere videtur.

Bill[a] **Billie**[a] **Billy**[a]: bl. app. pro Villelmo ; v. *Guglielmo*.

Bindo[i] : Bindus, i, m. Hoc nomen olim in Tuscia pervagatum (cf. Dantem, *Paradis.*, XXIX, 103-105 :

« Non ha Fiorenza tanti Lapi e Bindi — Quante sì fatte favole per anni — In pergamo si gridan quinci e quindi »).

Saeculo XIII nomen Latinum *Bindus*, *i*, in litterarum monumentis scriptum videmus (cf. librum, cui index *Libro di Montaperti*, anno 1260 ed.). Est quidem Bindus (*Bindo*) deminutum nomen Aldobrandi (vel, ut vulgus blande appellabat, *Aldobrandino*; cf. *Aldobrando*), sed vim nominis proprii obtinebat.

Bionda[i]: Blonda, ae, vel Blunda, ae, f.

Hoc nomen a Germanorum sermone derivatum (cf. Germ. med. aet. *blunt*, Germ. rec. *blond*) idem valet ac *flavus color capillorum*. *Blondus*, *a*, *um*, vel *blundus*, *a*, *um* inveniuntur in C. di Cange *Glossario mediae et infimae Latinitatis*, I, 681-682, ubi haec verba e litterarum monumentis deprompta afferuntur: « Sicut Rogerus de Garneio pater suus, tempore Regis Willelmi Blundi avunculi sui ».

Necesse est autem hoc nomen recipere, ut distinguatur a *Flavia*, quod nomen Latinius quidem pro Blonda vel Blunda ponitur, sed vim nominis proprii et singularis obtinet.

Björn[ge]: Berno, onis, m. *Ursum* prisci Scandinavi *björn* appellabant, ceteri autem Germani *bero* vel *ber* vel *bern*. Nomen Berno, onis, saepius in litterarum monumentis media aetate Latine conscriptis invenitur; cf. *Prudentii Trecensis Annales* a. 858, M.G.H. I, p. 451; cf. et ib., VII, p. 136; 858; LV, p. 242; F. Wigger, *Jahrbuch der Vereinigung fur mecklenburg. Geschichte* 28 (1863) p. 278. De S. Bernone, Abbate Cluniacensi, commemoratur in *Act. Sanct.* O.S.B., V, pp. 67-90.

Blaise[g] **Blas**[h] **Blaise**[a]: v. *Biagio*.

Blanc[g] **Blanco**[h] **Blank**[ge]: v. *Bianco*.

Blanca[h] **Blanche**[a] **Blanche**[g] **Blanka**[ge]: v. *Bianca*.

Blanquita[e]: bl. app. pro Blanca; v. *Bianca*.

Blasius[ge]: v. *Biagio*.

Blenda[a]: Blenda, ae, f.

Bob[a] **Bobbie**[a] **Bobby**[a]: bl. app. pro Roberto; v. ib.

Boezio[i]: Boëthius, ii, m. Ducitur a verbo Graeco βοηθέω, quo significatur: *ad clamorem accurro, auxilio venio*, in bello praesertim.

Bogdan: Bogdanus, i, m. Hoc nomine Slavicae originis significatur *Dei donum* atque adeo est ipsum nomen Theodori, quo nos utimur.

Bogislaw Boguslav: Bogislaus, i, m. Hoc nomen Slavicum ita interpretandum est: *gloria Dei*.

Bogumil Bohumil: Bogumilus, i, m. Huius nominis Slavici interpretatio est: *Dei amator* seu *Theophilus*.

Boleslao[i] **Boleslaus**[g] **Boleslaw**: Boleslaus, i, m. Hoc nomen Slavicum secundum originationem idem valet atque *auctor* seu *amplificator gloriae*.

Bona[i] **Bonne**[g]: Bona, ae, f. Adiect. bonus, a, um, petitur a primitivis verbis *duenos*, *duonos*; cf. *bene*, *bellus*.

Bonaccorso[i]: Bonaccursius, ii, m. Est nomen media aetate fictum ex *bonus*, *a*, *um*, et verbo *accurrendi*.

Bonaventura[i] **Bonaventure**[g] **Buenaventura**[h]: Bonaventura, ae, m. Hoc nomine Italico *prospera fortuna* significatur. Quamvis ergo vulgare quiddam sapiat atque Latine aptius scribatur nomen *Fortunati*, tamen servandum est, eo etiam quod Sanctus Caeles, Ecclesiae Doctor, eodem appellatur. – (Mart. Rom. Id. Iul.).

Bonifacio[i] **Boniface**[g] **Bonifacio**[h] **Boniface**[a] **Bonifaz**[ge]: Bonifatius, ii, m. Ab aliis minus recte scribitur Bonifacius ; nam nominis originatio est *bonum* et *fatum*, a fando ; non autem altera pars nominis deducitur a faciendo. In veteribus titulis, quos dixeris emendatiores, semper usurpari videmus nomen Bonifatii. Accedit quod Graeci, hoc verbum suis exprimentes litteris, scripserunt Βονιφάτιος (Anatol. Ep. Constantinop., *epist. ad Leonem I* ; P. G. LIV, 976). Solum in paucis titulis inferiore aetate conditis, librisque Latinis ad criticam severitatem non exactis, invenitur scribendi modus : *Bonifacius*. – (Mart. Rom. Non. Iun. e. a.)

Bonne[g]: v. *Bona*.

Bonosa[i]: Bonosa, ae, f. Nomen ductum est ab adi. *bona*, addita terminatione *-osa*, quae augendi vim habet ; cf. *Fructuosus*. Scriptum videmus in titulis ; cf. C.I.L. VI, 2429. – (Mart. Rom. Id. Iul.).

Boris: Boris, is, m. Hoc nomen, Bulgarorum proprium, plerumque derivatur a Βόγορις (Βώγωρις, Βορίσης), quo nomine appellatus est eius gentis princeps, qui anno 864 sacris christianis initiatus est. Quod quidem petendum videtur a voce *Mongolica bogori*, quo *parvus* significatur. Alii autem putant *Borim* esse priorem partem nominis Borislai ; cf. M. Vasmer, *Russisches etymologisches Wörterbuch*, I, Heidelberg 1953, p. 107 sq.

Borso[i]: v. *Bonaccorso*, cuius nominis est *Borso* deminuta scribendi ratio.

Boso[i] **Bosone**[i]: Boso, onis, m. Est nomen origine Germanicum, derivatum a voce prisca *bôsi*, quae nunc dicitur *böse* (= *malus*). Antiquis vero temporibus haec ei videtur esse vis subiecta : *inimicus*, *hostilis* ; cf. Förstemann, 329. Nomen *Boso* scriptum legimus in fibula argentea, cui *runicis* litteris haec verba inscripta sunt : « Boso wraet runa » ; frequentatur praeterea in M.G.H. (*Boso*, *Buso*, *Poso*, *Buoso*).

Botolf[a]: Bodolfus, i, vel Bodulfus, i, m. Coaluit e verbis Germanicis *bodo* (*boto*, *botho*), cuius vis est *dominus*, et *wolf*, quod idem valet ac *lupus* ; eo ergo significatur *ursus dominans* seu *vir qui dominatur ut ursus*.

Bodwin[ge]: Boduinus, i, m. Nominis huius Germanici origo est : *bodo*, hoc est *dominus*, et *win*, quod *amicum* significat.

Bova[i]: Bova, ae, f. Recensetur in Mart. Rom. a. d. VIII Cal. Mai. Cf. *Bovo*.

Bovo[i]: Bovus, i, m. Hoc nomen, viro, ut videtur Gallo, impositum, videmus scriptum in quodam vetere titulo, C.I.L., XIII, 3987 : « Cn. Acio

Bovo d. » (h. e. defuncto, et quidem apud Treveros). Media aetate huiusce nominis usus satis invaluit : in quadam tabula, anno 1184 scripta, recensetur « Bovus, consul Montisdonnici » ; cf. D. Clerico, *Vita di San Bovo*, a cura di G. C. Bascapè, Voghera 1946, p. 87, ubi alia de hac re invenias. Occurrit etiam scribendi modus *Bovo* vel *Bobo*, *onis* ; tamen antiquior et Latinior videtur esse exarandi ratio *Bovus*, *i*.

Bradamante[i] : Bradamantes, is, f. Est nomen commenticium, in carminibus epicis Boiardi et Ariosti usurpatum.

Brand[a] **Brand**[ge]: Brandus, i, m. Est quidem deminutum nomen Hildebrandi, Aldebrandi, Herbrandi, Gerbrandi, Brandolfi, aliorumque ex hoc genere, tamen vim fere nominis proprii obtinet. Germanicum autem verbum *brand* (*brant*) *ignem* significat, seu *gladium micantem*.

Brenno[i] **Brian**[a] **Brien**[a] **Bryan**[a]: Brennus, i, m. Derivatur a verbo Celtico, quo *rex* vel *dux* significantur ; cf. A. Holder, *Alt-Celtischer Sprachschatz*, Leipzig 1896, I, p. 517 sqq. In viris hoc nomine insignibus eminet dux Gallorum, qui anno fere 387 a. Ch. n. Romam ceperunt. S. Brennus non quidem in Mart. Rom., sed alias (*Stadler*) VI Cal. Iun. recensetur.

Bresciano[i] : Brixianus, i, m. Derivatur a nomine urbis Brixiae, quod ab origine Celtica repetitur. Ut cognomen viri scriptum videmus in C.I.L., V, 4629 : « Q. Quintius Brixianus » ; et ib. IX, 3588.

Brian[a] **Bryan**[a]: v. *Brenno*.

Brice[g], v. *Brizio*.

Bride[a] **Bridget**[a] **Bridgit**[a]: v. *Brigida*.

Brien[a]: v. *Brenno*.

Brieuc[g] **Briec**[g]: v. *Bruce*.

Bruce[a]: Briocus, i, m. Est nomen originis Celticae. Eo appellatus est vir sanctimonia praeclarus, e Britannia Minore oriundus, mortuus a. 502.

Brigida[i] **Brigitte**[g] **Brigida**[h] **Bridget**[a] **Brigitte**[ge]: Brigida, ae, vel Birgitta, ae, f. Secundum originationem scribitur rectius Brigida, cum nomen deductum sit a prisco verbo Celtico *brig*, quo *vis*, *virtus* significatur. Secundum alios pertinet ad nomen deae Celticae Brigantiae (cf. *Bregenz*, urbs in Austria), in quo fortasse inest vis : *alta*, *excelsa* ; cf. *-briga*, h. e. *collis*. In Mart. Rom. recensetur S. Brigida, virgo Hibernia (Cal. Febr.) et S. Birgitta, vidua, ex nobili Suetorum genere (VIII Id. Oct.). In Martyrologio vero Hieronymiano, quod vocatur, quodque est antiquissimum, invenitur solum scribendi ratio : *Brigida*.

Brizio[i] **Brice**[g]: Brictius, ii, m. Est nomen Celticum, coniunctum cum *Briccio* et *Brixio* ; cf. A. Holder, *Alt-celtischer Sprachschatz*, I, p. 532. Ad Briccium quod attinet, cf. C.I.L., 6010, 176, 177, 178 ; X, 7098 (« M. Valerius Briccus »).

Plures Sancti Caelites hoc nomine appellantur, imprimis episcopus Turonensis, cuius sollemne in Mart. Rom. Id. Nov. recensetur. Id praeterea in nonnullis nomi-

nibus locorum adhuc servatur, veluti « Saint - Brice - et - Courcelles », «Montbré» (= *Mons Brictii*) in Gallia.

Brogio[i]: bl. app. pro Ambrosio; v. *Ambrogio*.

Bronislaus[ge] **Bronislaw**[ge]: Bronislaus, i, m. Est nomen Slavicum, cuius haec est interpretatio: *gloria armis parta* seu *bellica laus*. Cf. Wasserzieher, p. 89.

Bronia: bl. app. pro Bronislava; v. ib.

Bronislawa[ge]: Bronislava, ae, f. Est nomen Bronislai, feminino genere expressum; v. *Bronislaus*.

Brunilde[i] **Brunhild**[a] **Brunhilde**[ge] **Brunhild**[ge]: Brunildis, is, vel Brunichildis, is, f. Hoc nomen coaluit e priscis verbis Germanicis *brunja* seu *brun* (cf. *Brünne*), et *hild*, quorum prius *thoracem*, *loricam* significat, alterum *proelium*. Femina igitur, sic appellata, est quasi *bellatrix thorace induta*. Scribendi ratio *Brunildis* (*Brunihildis*) in M.G.H., VII, VIII, saepius invenitur; est autem antiquior modus *Brunichildis*, qui tamen nonnihil barbarum sapit; cf. Greg. Tur. *Franc.* IV, 51 et passim; Ven. Fort., *carm.* V, 3, 13; VI, 5, 289; VI, 151; VI, 1, 31; X, 11, 25; X, 7, 67; VI, 1, 101; Greg. Magn., *epist.* VI, 5. Hoc nomen apud Germanos praesertim invaluit propter Brunildem, heroida pugnacem, de qua in carmine epico, quod de *Nibelungis* inscribitur, fuse agitur.

Bruna[i]: Bruna, ae, f. Cf. *Bruno*.

Brunetto[i]: bl. app. pro Brunone; v. *Bruno*.

Bruno[i] **Bruno**[g] **Bruno**[h] **Bruno**[a] **Bruno**[ge]: Bruno, onis, m. Hoc nomine Germanico *color fuscus* (*bruno*, *braun*, *brown*) significatur. Id Odino, Germanorum fabulari deo summo, adiciebatur, atque etiam urso, animali apud eandem gentem religioso, propter coloris speciem. – (Mart. Rom. prid. Non. Oct. e. a.).

Brunold[ge]: Brunoldus, i, m. Haec est nominis, a Germanico fonte derivati, origo: *brun - walt* (*walt*, si cum altero coniungitur verbo, *-old*); quorum verborum prius *loricam* (cf. *Brünne*) significat, alterum *dominari* (*walten*).

Brush[a]: bl. app. ab Anglis et Americanis pro Ambrosio usurpara; v. *Ambrogio*.

Bruto[i]: Brutus, i, m. Cf. Paul. ex Fest., p. 28: « brutum antiqui gravem dicebant ».

Buenaventura[h]: v. *Bonaventura*.

Burcardo[i] **Burckhard**[ge] **Borchert**[ge]: Burchardus, i, m. Hoc nomen constat e verbis Germanicis *burg* (Goth. *baurgs*), cuius vis est *locus munitus*, *castellum*, et *hard*, quod idem valet ac *fortis*, *audax*, *validus*. Est ergo eius interpretatio: *munitio valida* vel *tutor fortis*. Verbum *burgus* in sermone quoque Latino invenitur eadem significatione qua in Germanico, a quo Romani id mutuati sunt. Cf. Oros., VII, 32, 12; Veget. *mil.* IV, 10 e. a. Potest quidem, si originationem spectes, etiam coniungi cum πύργος. Cf. Walde-Hofmann, p. 125. Nomen frequentatur in litterarum monumentis mediae aetatis; cf. M.G.H. V, pp. 67, 71, 112, 115, 116, 219, 230, 422, 423 e. a. – (Mart. Rom. prid. Id. Oct.).

C

Cadell[a]: Cadellus, i, m. Nomen, a sermone Celtico ductum, videtur significare *robur in bello* ; cf. Partridge, p. 63.

Cadmo[i]: Cadmus, i, m. Nomen a verbo Graeco κάζω deductum est, quod idem valet ac *condo*, ita ut sic in Latinum convertendum sit : *conditor*.

Cadogan[a]: Cadoganus, i, m. Prior nominis pars repetenda est a sermone Celtico, in quo *cath* seu *cad* idem valet ac *proelium*, *bellum* ; de alterius autem originatione non satis constat ; cf. Partridge, p. 63.

Cäcilia[ge]: v. *Cecilia*.

Caesar[a] **Cäsar**[ge]: v. *Cesare*.

Caintigern[a]: v. *Kentigern*; prior scribendi ratio apud Hibernos obtinet.

Caio[i] **Cayo**[h]: Caius, i, m. Enuntiatur *Gaius*, teste Quintil. I, 7. Secundum *Auct. nom. Rom.* nomen petendum est a γαίω, quod idem valet ac *glorior*, *gaudeo* ; cui officiunt recentiores in verborum originibus enodandis periti ; est enim gaius vel gaia avis, quae plerumque pica appellatur, nomine soni imitatione (*gau* vel *gai*) effecto ; cf. H. Schuchardt, *Zeitschrift f. roman. Philologie*, 30, p. 712. Alii denique a fonte Etrusco nomen derivant ; cf. Schnetz-Herbig, *Zeitschrift f. Ortsnamenforschung*, 2, pp. 5, sqq. In Mart. Rom. plures recensentur Caelites, hoc nomine insignes.

Cajétan[g]: v. *Gaetano*.

Caleb[a]: Caleb, m. Plerumque non inclinatur in casus; est autem apud LXX Interpretes, praeter Χαλέβ, etiam Χάλεβος, unde non improbaverim, qui scribat *Calebus, i.* Est nomen Hebraicum *Kâlêb*, quo *canis* vel *latrator* significatur, quodque inditum est viro e tribu Iuda, a Moyse cum aliis misso ad explorandam terram Chanaan (cf. *Num.* XIII, 7) et aliis. Eo praeterea in sacris litteris appellatur pars regionis in Palaestina (cf. I *Reg.* XXX, 14) et locus (I *Par.* II, 24).

Calimero[i]: Calemĕrus, i, vel Calhemĕrus, i, vel Calimerius, ii, m. Nomen coaluit e verbis Graecis καλός, ή, όν, et ἡμέρα, quorum priore *pulcher*, *bonus*, altero vero *dies* significatur. Scriptum videmus in C.I.L. VIII, 2929. In Mart. Rom. autem recensetur sollemne *S. Calimerii* prid. Cal. Aug.

Calisto[i] **Calixte**[g] **Calixto**[h] **Calixtus**[ge]: Callistus, i, m. Haud raro no-

men alio modo scribitur: *Calistus*, *Calixtus*, sed minus recte, cum sit ipsum verbum adiectivum Graecum superlativo gradu: κάλλιστος (a καλός h. e. *pulcher*, *bonus*). – (Mart. Rom. XVI Cal. Mai., XIX Cal. Sept., IV Cal. Ian.).

Callicrate[i] **Calicrates**[h]: Callicrătes, is, m. Derivatur a verbis Graecis κάλλος - κράτος, quibus *pulchritudo* et *robur* significantur. Quo nomine, praeter alios, appellatus est artifex Lacedaemonius, qui formicas et alia parva animalia ita fecit ut partes eorum cerni non possent; cf. Plin., VII, 21, 21; XXXVI, 5, 4.

Callimaco[i] **Calimaco**[h]: Callimăchus, i, m. Nomen effectum est verbis Graecis κάλλος - μάχομαι, quibus *pulchrum*, *pulchritudo* et *proelior* significantur. Quo appellatus est poeta Cyrenensis, qui elegiaco versuum genere mire excellebat; cf. Quintil. X, 1: « Tunc et elegiam vacabit in manus sumere, cuius princeps habetur Callimachus ».

Calliope[i] **Caliope**[h] **Calliope**[a]: Calliŏpe, es, vel Calliŏpa, ae, f. Hoc nomine Graeco appellabatur una e novem Musis, quae poesi potissimum epicae praeesse putabatur. Origo sic enodatur: κάλλος, et ὄψ, ὀπός (ab *Fοψ*; cf. prisc. Ind. *vak*, h. e. *vox*, et ipsum verbum Lat. *vox*). Eo ergo significatur femina *pulchram vocem* vel *sermonem edens*. Romanorum etiam aetate hoc nomen imponebatur mulieribus, ut eruitur e C.I.L.; cf. VII, 1973, 2485; XII, 4913 e.a. In Mart. Rom. recensetur sollemne S. Calliopae VI Id. Iun.

Calogera[i]: Calogĕra, ae, f.; v. *Calogero*.

Calogero[i] **Calogère**[g] **Calogero**[h]: Calogĕrus, i, m. Nomen effectum est verbis Graecis καλός et γέρων vel γεραιός, quorum priore *pulcher*, altero *senex* significatur. – (Mart. Rom. XIV Cal. Iul.).

Calvin[a]: Calvinus, i, m. Nomen, quo appellatus est novae doctrinae religiosae auctor, et quo Americani nostra aetate saepius utuntur, repetitur, si originationem spectes, ab adi. Lat. *calvus*, *a*, *um* (ex *kalouos*; cf. Pers. *kal*, Germ. *kahl.*, h. e. *calvus*).

Calipso[a]: Calypso, us vel onis, f. Quintil. negat in casu acc. dicendam esse Calypsonem pro Calypso; sed, ut ipse fatetur, nequit improbari: « Neque enim iam Calypsonem dixerim ut Iunonem, quamquam secutus antiquos C. Caesar utitur hac ratione declinandi » (I, 5, 63). Apud Liv. Andron. in *fragm.* Prisc. *Gramm.* II, 209, corripitur contra receptum morem paenultima syllaba: « Apud nympham Atlantis filiam Calypsŏnem ». Nomen ductum est a verbo καλύπτω, quo *abdo*, *occulo* significatur; Calypso enim in specu abdita habitare putabatur, ubi Ulixen sex annos retinuisset.

Camilla[i] **Camila**[h] **Camilla**[a]: Camilla, ae, f. V. *Camillo*.

Camillo[i] **Camille**[g] **Camilo**[h]: Camillus, i, m. Camillus et Camilla apud Romanos puer et puella erant, nobili genere orti, qui Flamini Diali et Flaminicae in sacris faciendis administrabant. Nomen hoc Latini ab

Etruscis mutuati sunt (cf. *Camitlnas*), qui ex orientis partibus id acceperant. Cf. Varr. *L. L.* VII, 34 : «Casmilus nominatur Samothrece(s) mysteriis dius quidam administer diis magnis». Camillum olim Casmillum audivisse documento est etiam Verg. *Aen.* XI, 549 : « nomine Casmillae mutata parte Camillam ». – (Mart. Rom. prid. Id. Iul. seu XV Cal. Aug.).

Candida[i] **Candida**[a]: Candĭda, ae, f.; v. *Candido*. In Mart. Rom. VI recensentur Sanctae Caelites, hoc nomine appellatae.

Candido[i] **Candide**[g] **Candido**[h]: Candĭdus, i, m. Ducitur, ut liquet, a verbo *candendi* ; cf. prisc. Ind. *candati*, h. e. *illuminatus*. In Mart. Rom. VI Caelitum, hoc nomine insignium, sollemnia recensentur.

Canio[i]: Canio, onis, vel Canius, ii, m. Altera scribendi ratio in veteribus litterarum monumentis magis frequentatur ; cf. Mart. I, 61, 9 ; III, 20 ; IX, 3, 20 ; Varr. *L. L.* VI, 8, 81 (de loco ambigitur); Cic. *Orat.* II, 69, 280 ; *Off.* III, 14, 58 ; C.I.L. VI, 5661. Canionis nomen scriptum videmus in C.I.L. IX, 3109, quod etiam mulieribus imponitur. Ex Ecclesiae usu dicitur Canion, onis (cf. Mart. Rom. Cal. Sept.), sed non est cur ponatur terminatio Graeca *-on*, cum ab origine Latina nomen, ut videtur, sit derivandum, scil. ab adi. *canus, a, um* ; quod verbum repetitur a *cas-nos* ; cf. Osc. *casnar*, h. e. *senex* ; Lat. *cascus*, h. e. *priscus* ; prisc. Germ. *hasan*, h. e. *leucophaeus* (Germ. rec. *Hase*, h. e. *lepus*).

Canisio[i] **Canisius**[ge]: Canisius, ii, m. Hoc modo in Latinam rationem translatum est cognomen, quod vocamus, Petri Kanis (vel *Kanes*, *Kannees*, *Kanys*), civis Noviomagensis, Ecclesiae Doctoris e S. I. Ipse scribere solitus est *Kanisius* (cf. « manu mea scripsi Petrus Kanisius Nouiomagus ») vel *Canisius*. – (Mart. Rom. XIII Cal. Ian. et V Cal. Mai.).

Canuto[i] **Canut**[g] **Canuto**[h] **Canute**[a] **Knut**[ge]: Canutus, i, m. Non est verbum adi. canutus, a, um, h. e. *canus* (cf. Plaut. *fr. inc.* 16 ; Gloss. II, 412, 3), sed a fonte Germanico derivatur, estque gentium Scandinaviae proprium. Ductum est enim, ut videtur, a voce Goth. *kuni*, seu a prisco vocabulo Germanico *kunni*, quibus *genus*, *stirps* significatur. Est ergo fere eius interpretatio : *vir genere insignis*. Alii autem derivant a verbo Scand. *knut* (*knutr*, *knude* ; cf. Germ. rec. *Knoten*), quo *nodus* significatur, vel a voce Germ. med. aet. *knuz*, cuius vis est *audax*. Recensetur in Mart. Rom. VII Id. Ian.

Car[a]: bl. app. pro Carmichaele ; v. *Carmichael*.

Cara[a]: Cara, ae, f. Quamquam nomen ab eodem fonte communi derivatum est, unde verbum adi. Lat. carus, a, um, pertinet tamen ad sermonem Celticum, in quo *car amicum* significat (*caraim* = *amo*) ; atque adeo Cara idem valet atque *amica*.

Caradoc[a]: Caradocus, i, m. In hoc nomine, a lingua Celtica deducto, inest vis : *vir amatus* ; cf. *Cara*.

Cariberto[i]: Charibertus, i, m. Est idem nomen atque Herberti (v.

Erberto), sed priscum quiddam et obsoletum sapit ; quod coaluit e verbis Germanicis *hari* (*hêr*) - *bert* (*berath*), quorum priore *exercitus*, *vulgus*, altero *splendens*, *fulgidus* significatur. Eo appellatus est rex Francorum, de quo Greg. Tur., *Franc.* IV, 3 et pass., commemorat ; item Venant. Fortun., *carm.* VI, 2.

Caridad[h]: v. *Charity*.

Carla[i] **Carlotta**[i] **Charlotte**[g] **Carlota**[h] **Charlotte**[a] **Karla**[ge] : Carŏla, ae, f. V. *Carlo*.

Carlo[i] **Charles**[g] **Carlos**[h] **Charles**[a] **Karl**[ge]: Carŏlus, i, m. Nomen derivatum est a fonte Germanico, scilicet a prisco verbo *charal*, *charel*, *carl* (apud Angl. Sax. *cearl*), quo *vir*, *mas* significatur (Förstemann, p. 359) ; in sermone Germanico etiamnum frequentatur vox *Kerl*, quae idem valet ac *vir validus* seu *vir viracius* (cf. Varro, frg. ap. Non., p. 187, h. e. « magnarum virium », v. Gloss.).

Eadem igitur significatione in sermone Germanico adhibebatur verbum *charal*, qua apud Latinos *vir*, quod vocabulum est cum *vi* (*vis*, *vires*) cognatione coniunctum : utroque enim significatur *masculus* in genere hominum ; deinde *maritus* : in veteribus litterarum monumentis Germanicis Christus appellatur « der charal der seele », h. e. *sponsus animae* (cf. J. u. W. Grimm, *Deutsches Wörterbuch* V, p. 218) ; ad Latinos quod attinet, cf. Ter. *Hecyr.* IV, 1, 1 ; Petron. *Sat.* 111 : « Matrona cum virum extulisset », e. a. Praeterea in *glossis*, seu verborum interpretationibus, verbum Latinum *mares* (beluarum) redditur Germanice *charala* (J. u. W. Grimm. ibid.) ; cf. Verg. *Ecl.* VII, 7, 7 : « Vir gregis ipse caper deerraverat ». Iuvat praeterea memorare verbo *karl* apud Francos praesertim olim significatum esse *virum liberum*, *ingenuum*, qui tamen non haberet opes paternas, in quas succederet ; atque eodem nomine temporum decursu appellatos apud eandem gentem praefectos regiae domus, ita ut esset muneris proprium.

Repetitur autem *karl* a primitiva voce Indica-Europaea *ger*, qua homo *maturus*, *senex*, ut videtur, significatur ; cf. Graec. γέρων.

Nomen Germanicum in Latinam rationem translatum (*Carolus*) quoquoversus propagatum est, praesertim ob *Carolum Magnum* et *S. Carolum Borromaeum*. – (Mart. Rom. III et prid. Non. Nov.).

Carlomanno[i] **Carlomán**[h] **Karlmann**[ge]: Carolomannus, i, m. Hoc nomine, quo plures e domo regia Carolingorum appellati sunt, bis *vir* significatur ; quoad priorem nominis partem v. *Carlo* ; altera est vox *mann* ; cf. Tac. *Germ.* II : « Mannus » h. e. unus e conditoribus gentis Germanicae.

Carlotta[i] **Carlota**[h]: v. *Carla*, *Carlo*.

Carmela[i] **Carmen**[h] **Carmel**[a]: Maria Carmelitis, idis, f. ; v. *Carmelo*.

Carmelo[i] **Carmen**[h]: Carmelus, i, m. Derivatur ab Hebraico vocabulo *Karmel* quo *hortus* significatur. Ita appellatur mons in regione aquilonari Palaestinae situs, in quo almae Deiparae Mariae sacra est aedes ;

unde nomen accepere religiosi sodales Carmelitae.

Carmen[h]: v. *Carmela*, *Carmelo*.

Carmencita[h]: bl. app. pro *Carmen* ; v. *Carmela*.

Carmichael[a]: Carmichael, is, m. Est nomen sermonis Celtici proprium, e cuius ratione *amicum Michaelis* (Archangeli, ut liquet) significat ; v. *Cara* et *Michele*.

Carmide[i] : Charmĭdes, is, m. ; apud Plaut., *Trin.* 359, cas. gen. exit in *-i* vel *-ei*. Nomen ductum est a verbo Graeco χάρμα vel χάρμη, cuius vis est *laetitia*. De philosopho sic appellato commemorat Cic. *Fin.* V,31, 94. Fuit etiam nomen servile; cf. C.I.L. V,7239.

Carmine[i] : v. *Carmelo*, *Carmela*.

Carneade[i] **Carnéades**[h]: Carneădes, is, m. Nomen videtur derivatum esse a Carno (Κάρνος), unde secundum Hieron., *chron. ab. Abr.*, 890, sacerdotes appellati sunt Carnii. Praeterea *Carnius* est cognomentum Apollinis, fortasse a Carno ductum, viro Acarnane, qui artem divinandi a deo acceperat ; cf. Paus. III, 13, 4. Nomine Carneadis in primis insignis fuit philosophus Academicus, de quo plures scriptores veteres commemorant.

Carol[a]: v. *Carlo*.

Carola[i] **Carola**[a] : Carŏla, ae, f. ; v. *Carla*.

Carolina[i] **Carolina**[h] **Caroline**[a]: Carola, ae, f. ; v. *Carlo*.

Carpoforo[i] : Carpophŏrus, i, m. Est verbum Graecum Καρπόφορος, in Latinam rationem translatum, quod idem valet ac *frugifer* (καρπός - φέρω). – (Mart. Rom. VI Cal. Sept. e. a.).

Carrie[a] **Carry**[a]: bl. app. pro Carola ; v. *Carla*.

Carsten[ge]: bl. app. pro Christiano.

Casimiro[i] **Casimir**[g] **Casimiro**[h] **Casimir**[a] **Kasimir**[ge]: Casimirus, i, m. Huiusce nominis, a Polonorum sermone (*Kazimierz*) derivati, interpretatio est : *qui illustris est*, seu *valet imperio*. – (Mart. Rom. IV Non. Mart.).

Cassandra[i] **Cassandre**[g] **Casandra**[h] **Cassandra**[a]: Cassandra, ae, f. Nomen, quo appellata est Priami filia, petendum est a verbo primigenio Graeco καδ (cf. καίνυμι, Κάστωρ, κόσμος), in quo inest vis *decoris*, *excellentiae*, et a vocabulo ἀνήρ, ἀνδρός, quo *vir* significatur.

Cassie[a]: bl. app. pro Cassandra ; v. ib.

Cassiano[i] **Casiano**[h] **Kassian**[ge]: Cassianus, i, m. Est nomen a Cassio (v. ib.) ductum, adiuncta terminatione *-anus*. De Sancto Martyre Christi, cui nomen Cassiano (Mart. Rom. Id. Aug.), Prudentius carmen condidit (*Perist.* 9), eiusque corpus, cum Romam peteret, in Foro Cornelii praesens est veneratus : « Stratus humi tumulo advolvebar, quem sacer ornat – martyr dicato Cassianus corpore ».

Cassio[i] **Casio**[h]: Cassius, ii, m. De nominis origine non consentiunt viri etymologiae periti ; magis autem probatur opinio eorum, qui a sermone Etrusco eam repetunt, quocum, ad rem quod attinet, congruunt quaedam linguae Asianae ; cf. Tagliavini, p. 273. – (Mart. Rom. III Cal. Iul. e. a.).

Castore[i] **Castor**[h] **Kastor**[ge]: Castor, ŏris, m. In soluta oratione cas. acc. solet exire in *-em*, in astricta in *-a*, more Graecorum. De originatione cf. *Cassandra*. In Mart. Rom. tres recensentur Caelites hoc nomine appellati.

Cataldo[i] : Cataldus, i, m. Est nomen originis Germanicae, effectum verbis *cath - walt*, quorum priore videtur significari *loqui* aut *laetus*, *hilaris*, cf. prisc. Scand. *katr* (Förstemann, p. 360), alterum autem idem valet ac *dominari*. Videtur autem magis haec originatio esse probabilis : *hathu* (= *pugna*) *-walt*, adeo ut Latine sit reddendum : *bellator dominans* ; cf. *Catualda*, dux Gotonum. Recensetur sollemne S. Cataldi in Mart. Rom. VI Id. Mai.

Catalina[h]: v. *Caterina*.

Catello[i] : Catellus, i, m. Hoc nomine significatur *catulus canini generis* ; cf. Germ. med. aet. *hatele*, et vulg. serm. Helvetiorum *hatle*, h. e. *capra* ; non videtur derivari a catto, h. e. fele (Walde-Hofmann I, p. 183). Adhibebatur a Romanis in blanditiis amantium ; cf. Plaut. *Asin.*, 693 : « Dic me anaticulam, columbam vel catellum... » ; Hor. *serm.* II, 3, 259 : « Porrigis irato puero cum poma, recusat ; – ‘ sume, catelle ’ : negat... ». Nomen frequentatur in titulis quoque ; cf. Diehl, 1137 ; 3179 ; 4005 ; 3115 ; 3118 ; 3179 ; 3118.

Caterina[i] **Catherine**[g] **Catalina**[h] **Katherine**[a] **Katharina**[ge]: Catharina, ae, f. Hoc nomine, a voce Graeca καθαρός deducto, significatur *pura*, *munda* ; haec enim originatio in Ecclesia occidentali invaluit. Orientales autem etiamnum scribunt Αἰακατερίνη (Russi : *Ekaterine*), qua exarandi ratione ad veram originem revocamur. Αἰκατερίνη seu potius Ἐκατερίνη (αι enim idem sonat atque ε) pertinere videtur ad Ἕκατος, Apollinis cognomen (cf. ἑκατηβόλος, h. e. *sagittas longe emittens*) vel ad Ἑκάτη, numen inferorum. Cf. Tagliavini, p. 133. – (Mart. Rom. VII Cal. Dec., prid. Cal. Mai. e. a.).

Cath[a] **Cathie**[a]: bl. app. pro Catharina; v. *Caterina*

Catherine[g] **Catherina**[a]: v. *Caterina.*

Catuca[h] **Catufa**[h] **Catuja**[h] **Catunga**[h]: bl. app. pro *Catalina*, ut Hispani Catharinam appellant ; v. *Caterina.*

Cayetano[h]: v. *Gaetano.*

Cec[a]: bl. app. pro Caecilia ; v. *Cecilia.*

Cecca[i]: bl. app. pro Francisca; v. *Francesca.*

Cecco[i]: bl. app. pro Francisco ; v. *Francesco.*

Cece[i]: bl. app. pro Caesare; v. *Cesare.*

Cecilia[i] **Cécile**[g] **Cecilia**[h] **Cecilia**[a] **Cäcilia**[ge]: Caecilia, ae, f. Secundum plerosque in enodandis originibus peritos nomen ductum est ab adi. *caecus, a, um*, in cuius verbo primitivo *qai* haec inest vis : *solus* (cf. *cae - lebs*) ; Walde - Hofmann, I, p. 129. Itaque caecilia appellatur etiam serpens caeca (cf. vulg. It. *cecella*, *cicigna*), de qua Plin., Col., Veget. commemorant. Caecilii autem originem gentis suae a Caeculo, Praenestes conditore, se ducere gloriabantur, quod nomen, ut V. Schulze,

pp. 75, 579 docet, a sermone Etrusco repetitur. – (Mart. Rom. X Cal. Dec.).

Cecilio[i] **Cecil**[a]: Caecilius, ii, m. Cf. *Cecilia.*

Cecily[a]: Caecilia, ae, f. ; v. *Cecilia.*

Ceferino[h]: v. *Zefirino.*

Celerino[i] **Celerin**[ge]: Celerinus, i, m. Nomen derivatum est, quemadmodum liquet, ab adi. *celer, is, e,* seu potius a Celere (*Celer, is* ; cf. C.I.L. XI, 2324 ; III, 10805), cuius origo est verbum primitivum *qel,* h. e. *movere, impellere* ; cf. prisc. Ind. *kalayati,* h. e. *movet* ; Graec. κέλλω, κέλ-σω, h. e. *navem appello,* κελεύω, h. e. *moveo* (imperio), *iubeo.* De Celerino, viro bellica virtute illustri, commemorat Claudian. *carm.* 31, 69 ; est etiam cognomentum Herculis ; cf. C.I.L. VI, 30733. Eo denique appellatus est Martyr Christi in Africa (Mart. Rom. III Non. Febr.), cuius laudes celebrat Cyprian. *ep.*, 34.

Celeste[i] **Celeste**[g] **Celeste**[h]: Caelestis, is, m. et f. De originatione vocabuli *caeli,* unde nomen deductum est, non satis constat. Fortasse derivandum est a verbo primitivo *caid* (*-slom*) vel *cait*(*-slom*), in quo inest vis *splendendi* ; cf. Walde-Hofmann, I, p. 130. Usurpatur quoque nomen *Caelestius, Caelestia* ; in titulis sive viros sive mulieres nomine Caelestis appellatos videmus ; cf. C.I.L. VIII, 4866.

Celestino[i] **Célestin**[g] **Celestino**[h] **Cölestin**[ge]: Caelestinus, i, m. ; minus recta est ratio scribendi : *Coelestinus, i.* De originatione v. *Celeste.* Hoc nomine appellatus est, praeter alios, rerum scriptor, de quo commemorat Treb. Valer. 8, ac praesertim Romanus Pontifex, Sanctorum honoribus insignis, cuius sollemne in Mart. Rom. XIV Cal. Iun. recensetur (S. Caelest. V).

Cele[i]: v. *Celina.*

Celia[a]: v. *Celina.*

Celidonio[i]: Chelidonius, ii, m. Interdum, sed minus recte, scribitur Celidonius. Nomen est ipsum verbum Graecum χελιδών, quo significatur *hirundo* ; cfr. prisc. Germ. *gellan* = *sonum acutum emittere, stridere* ; Germ. rec. *gellen, Nachtigall* (= *lusinia*), Boisacq, p. 462.

Nomen occurrit apud Leonem Magnum, *Epist.* 10, 3 (*Celidonii*) ; C.I.L. XIV, 800, 1892 = 3533 apud Diehl : « Caelidonius hic dormit, qui bixit (sic) annis XXV, mes. (sic) VIII, diaes (sic) XVIIII. loca quae ipse clusit ». De SS. Chelidonio et Hemiterio, Martyribus Calagurritanis, Prudentius condidit carmen (*Peristeph.* 1). – (Mart. Rom. V Non. Mart.).

Celina[i] **Céline**[g] **Celina**[h] **Celine**[a]: Caelia, ae, f. ; non improbandus videtur, qui scribat *Caelina, ae.* Nomen *Caelia, ae,* quod cum vocabulo *caeli* coniungi videtur, occurrit, mulieribus impositum, in C.I.L. VIII 16587 ; XIII, 678.

Celio[i]: Caelius, ii, m. Nomen ductum est a caelo (v. *Celeste*). Quo appellatus est praesertim medicus (Caelius Aurelianus), qui de arte salutari scripsit ; idem frequentatur in titulis ; cf. C.I.L. VIII, 973 ; X, 3732 ; XV, 7108.

Celso[i] **Celse**[g] **Celso**[h]: Celsus, i, m. Est reapse partic. temp. perf. verbi *-cellere*, cui praeponitur particula, (cf. *antecellere*, *excellere*, *praecellere*), quodque a voce primitiva *qel(e)*, in qua inest vis *eminendi*, *elevandi*, repetitur ; huc pertinent etiam : *collis* (ex *col - nis*), *columen*, *culmen*, *columna*. Cf. Graec. κολωνός, κολώνη, h. e. *collis* ; Ang. *hill*, h. e. *collis* (Walde - Hormann I, p. 197). – (Mart. Rom. V Id. Ian. ; V Cal. Aug. e. a.).

Cenaide[h]: v. *Zenaide*.

Cencio[i] : bl. app. pro Vincentio ; v. *Vincenzo*.

Cenobio[h] **Cenobia**[h]: v. *Zenobio*, *Zenobia*.

Cesare[i] **César**[g] **César**[h] **Caesar**[a] **Cäsar**[ge]: Caesar, ăris, m. De origine huius nominis ex veteribus scriptoribus alii alia commentati sunt ; cf. Spartian. Ael. 2 : « Caesarem vel ab elephanto, qui lingua Maurorum caesai dicitur, in proelio caeso, eum, qui primus sic appellatus est, doctissimi viri et eruditissimi putant dictum : vel quia mortua matre et ventre caesa sit natus ; vel quod cum magnis crinibus sit utero matris effusus ; vel quod oculis caesiis et ultra humanum morem viguerit ». Eodem fere modo Paul. ex Fest. 50 ; Plin. VII, 9, 7 ; Serv. *ad Verg. Aen.* I, 286 ; Priscian. *Gramm.* II, 118, 10 ; Isid. *Orig.* IX, 3, 12, e. a. nominis originem enodare sunt conati. E recentioribus vero multi nomen a fonte Etrusco derivant, in quibus A. Ernout et A. Meillet, *Dict. étym. de la langue lat.* Paris 1951. Cfr. tit. Etrusc. : « Cezartle : cezr-tli ; Caezir-tli » (C.I.E., 708 ; 1075).

Cesarina[i] **Cesarina**[h]: Caesarina, ae, f. Adi. *Caesarinus, a, um*, in veteribus litterarum monumentis haud semel occurrit ; cf. Cic. *Att.* XVI, 10 : « Aiunt enim eum (Antonium) Caesarina uti celeritate » ; Plin. IV, 22, 25 : « Caesarina colonia » ; id. III, 1, 3 ; C.I.L. II, 1315 : « Caesarini municipes ». Cf. *Cesare*.

Cesario[i] **Césaire**[g] **Cesario**[h]: Caesarius, ii, m. Nomen ductum est a Caesare (v. *Cesare*) ; frequentatur in litterarum monumentis et in titulis. – (Mart. Rom. V Cal. Febr. e. a.).

Cesidio[i] : Caesidius, ii, m. A verbo adi. Latino *caesius, a, um*, quo significatur color *subviridis* seu *glaucus*, ductum est nomen Caesii (cf. Caesius Bassus, poeta lyricus), cui saepe adiunctae sunt, e ratione Etrusci sermonis, terminationes ; cf. Caesennius, Caesilius atque, ut hoc loco, Caesidius ; cf. Caesiedius in C.I.L. IX, 4327. Ita docet V. Schulze, p. 135. – (Mart. Rom. prid. Cal. Sept.).

Cesira[i] **Cesira**[h]: Caesira, ae, f. Videtur quidem esse deminutum nomen Caesarinae, sed hoc breviore modo exaratum communi usu receptum est.

Ceslao[i] **Ceslaus**:[ge] Ceslaus, i, m. Est quidem deminutum nomen Venceslai (v. *Venceslao*), sed hoc modo scriptum iam invaluit.

Chantal[g]: Ioanna Francisca Cantalensis vel de Chantal, f. Praeclara Caeles, quae *Chantal* vulgo appellatur, filia fuit Benigni Frémiot atque viginti annos nata, nobili ba-

roni *de Chantal* nupsit. Mature vidua effecta, totam se dedit precationibus piisque operibus. S. Francisco Salesio magistro ac moderatore usa, religiosam familiam monialium a Visitatione B. Mariae Virginis instituit. De vita decessit anno 1641.

Chantal dicitur e ratione vulgaris sermonis in Limovicum finibus et Arvernia obtinentis pro *Cantal*, cuius vis videtur esse *petra* ; cf. Dauzat, p. 108. *Cantal* est etiam nomen loci (ac provinciae).

In nonnullis vocibus vulgaribus adiectivum *Cantalensis* deprehenditur : incolae enim provinciae, quae *Aveyron* vocatur, caurum boream appellant *contoleso* ; alibi (*Albas*) *cantalés* vel *kantalezo* idem valet atque *aquilo* (ventus) ; quae verba a quodam adiectivo *Cantalensis* sunt derivata ; cf. W. v. Wartburg, *Französisches Etymologisches Wörterbuch*, 1940, II, p. 220. - (Mart. Rom. XII Cal. Sept).

Charis[a] **Charissa**[a]: Charis, ĭtos, f. Est ipsum verbum Graecum χάρις, qua *gratia* significatur ; cf. Plin. XXXV, 79 : « deesse illam suam Venerem, quam Graeci Charita vocant ». Hoc nomine appellantur quoque tres Gratiae ; cf. Ovid. *Fast.* V, 219 : « Protinus arripiunt Charites nectuntque coronas » ; Plin. XXXVI, 32. Ducitur autem a verbo χαίρω (aor. ἐχάρην) ; cf. prisc. Ind. *haryati*, h. e. *desiderat* ; Lat. *horitor* seu *hortor* ; prisc. Germ. *geron*, h. e. *desiderare* (cf. Germ. rec. *gern*, h. e. *libenter*) ; E. Boisacq, pp. 1047, 1051. Nomen Charitos iam Romanis erat usitatum ; cf. Dessau, 820, 7446, 8201.

Charity[a]: Caritas, tis, f. Vitiose scribitur a nonnullis Charitas ; est enim nomen Latinum, non Graecanicum, a χάρις (= *gratia*) ductum. Caritas et carus, a, um, repetuntur a verbo primitivo *qa-*, in quo inest vis *cupiendi* ; cf. Walde - Hofmann I, p. 175 ; id deprehenditur in prisc. Ind. *káyamanah*, h. e. *amans* ; Celt. *car*, h. e. *amicus* ; Goth. *hors*, h. e. *moechus* (cf. Germ. rec. *Hurer*) ; prisc. Germ. *huora* (nunc *Hure*), h. e. *meretrix*. Sollemne S. Caritatis, virginis, Hadriano imperatore ob fidei professionem necatae, in Mart. Rom. Cal. Aug. recensetur.

Charles[g] **Charles**[a]: v. *Carlo*.

Charley[a] **Charlie**[a]: bl. app. pro Carolo ; v. *Carlo*.

Charlotte[g] **Charlotte**[a]: v. *Carla*, *Carlotta*.

Chatty[a]: bl. app. pro Carola ; v. *Carla*.

Checca[i]: bl. app. pro Francisca ; v. *Francesca*.

Checchino[i] **Checco**[i]: bl. app. pro Francisco ; v. *Francesco*.

Cherubino[i]: Cherubinus, i, vel, licet minus eleganter, sine terminatione Latina : Cherub, m. Apud Cyprianum Gallum *Exod.* 1078, hoc nomen Hebraicum (*cherubîm*) ad Latinam rationem accommodatum videmus, ex qua ponitur *Cherubinus, i*, atque etiam in codicibus Latinis emendatioribus verbum Hebraicum *cherubîm* ita exaratum invenimus : *cherubin*. Communior huius vocis interpretatio, veterum scriptorum fir-

mata testimonio, est : *scientiae multitudo*. Recentiores autem in verborum originibus enodandis periti nomen petunt a sermone Aegyptiorum, quo *figuram*, *simulacrum* significat ; cf. Brugsch, *Hieroglyphisch - demotisches Wörterbuch* II, p. 961. Animadvertendum denique *Cherubim* esse pluralem numerum ; cf. Hieron., *in Ezech.*, IX, 2 : « Quamquam plerique χερουβείν neutrali genere numeroque plurali dici putent, nos scire debemus singulari numero Cherub generis masculini et plurali eiusdem generis Cherubim ».

Cherry[a]: bl. app. pro Caritate ; v. *Charity*.

Chiara[i] **Claire**[g] **Clara**[h] **Clare**[a] **Klara**[ge]: Clara, ae, f. Nomen repetitur a verbo *calandi* (*calare*, unde appellatae Calendae et calator, h. e. nuntius, sacerdotum apparitor), in quo inest vis *vocandi*, et quocum coniungitur verbum *cla-mare*. Eodem praeterea significatur *lucidus*, *fama nobilis* ; cf. κλη - τός, *in - clutus*. Duarum virginum, hoc nomine insignium, sollemnia in Mart. Rom. recensentur (prid. Id. Aug. ; XVI Cal. Sept.).

Childerico[i]: Hildericus, i, vel, quamquam minus probabiliter, Childericus, i, m.

Chirico[i] : Cyriăcus, i, m. ; v. *Ciriaco*.

Chloe[a]: v. *Cloe*.

Chris[a]: bl. app. pro Christophoro aut Christina ; v. *Cristoforo*, *Cristina*.

Christabel[a]: Christabella, ae, f. Coaluit e diversi sermonis verbis : e χριστός, unde dicitur Christus, h. e. *unctus*, et ex adi. Lat. *bellus*, *a*, *um*.

Christian[g] **Christian**[a] **Christian**[ge]: *v. Cristiano*.

Christiane[g] **Christiana**[a] **Christiana**[ge]: v. *Cristiana*.

Christie[a] **Christy**[a]: bl. app. pro Christophoro ; v. *Cristoforo*.

Christine[g] **Christina**[a] **Christina**[ge]: v. *Cristina*.

Cristophe[g] **Christopher**[a] **Christoph**[ge]: v. *Cristoforo*.

Chrodegang[ge]: Chrodegangus, i, vel Rodegangus i, m. Nomen derivatum est a vocibus Germanicis *hrôth* (*ruod*, *rod*), cuius vis est *clarus*, *inclitus*, et *gang*, quo *gressus*, ac praesertim *congressio ad pugnandum* significantur. Eo igitur fere signatur *vir clarus in congrediendo cum hostibus*, eoque appellatus est Sanctus Caeles, episcopus Metensis, m. a. 766.

Chrysanth[ge]: Chrysanthus, i, m. Hoc nomine significatur *aureus flos* (χρυσός-ἄνθος). – (Mart. Rom. VII Cal. Nov.).

Chrysostome[g] **Chrysostom**[a]: v. *Crisostomo*.

Chrystal[a]: Crystallis, ĭdis, f. Hoc nomen, a *crystallo* ductum, quod mulieribus interdum imponitur, eodem modo a me fictum est, qui alias deprehenditur ; cf. *Myrtis*.

Cia[i]: bl. app. pro Lucia ; v. ib.

Cicely[a]: v. *Cecilia*.

Cicerone[i] **Cicéron**[g] **Cicerón**[h] **Cicero**[a]: Cicĕro, onis, m. Ducitur a *cicere*, genere leguminis, rotundas ferente siliquas. De cuius verbi origine non satis constat.

Cilli[ge]: bl. app. a Germanis pro Caecilia usurpata ; v. *Cecilia*.

Cincinnato[i]: Cincinnatus, i, m.

Hoc nomen, quo vir *capillos intortos habens* significatur (cf. *cincinnus*), Romani a Graecis receperunt, scil. a κίκιννος. Ipsa autem origo a sermone aliquo Asiano vel Aegaeo repetenda esse videtur (Walde - Hofmann I, p. 216).

Cinzia[i]: Cynthia, ae, f. Nomen deductum est a *Cyntho*, monte Deli insulae, ubi Dianam natam esse constat, ut est apud Serv. *ad Verg. Aen.* I, 498. Fuit praeterea nomen amicae Propertii, cf. I, 1, 1, et pass.; Ovid. *ars am.* III, 536; legitur etiam in C.I.L. VI, 33672.

Cinzio[i]: Cynthius, ii, m. Ita cognominatus est Apollo; cf. Paul. ex Fest. 52: « Cynthius Apollo a Cyntho Deli monte vocatus »; Verg. *Ecl.* VI, 3; *Georg.* III, 36, e. a.

Cipion[h]: v. *Scipione*.

Cipriano[i] **Cyprien**[g] **Cipriano**[h] **Cyprian**[a] **Zyprian**[ge]: Cyprianus, i, m. Nomen deductum est a *Cypro*, magna insula Maris Interni, seu potius a *Cyprius, ii*, h. e. *incola Cypri*; cf. etiam *Cyprium aes*, seu *cyprum* vel *cuprum*, ut sequiore aetate ipsum aes appellatur (Gall. *cuivre*, Hisp. *cobre*, Angl. *copper*, Germ. *Kupfer*). *Cypria* praeterea cognominabatur Venus, quippe quae ibidem maxime excoleretur. Praeter alios hoc nomine insignis fuit episcopus Carthaginiensis, Valerio imperante martyrio affectus, cuius sollemne in Mart. Rom. recensetur XVI Cal. Oct.

Ciriaco[i] **Cyriaque**[g] **Ciriaco**[h] **Cyriak**[ge]: Cyriăcus, i, m. Nomen derivatum est ab adi. Graeco κυριακός (a κύριος), quod Latine redditur: *dominicus*.

Cirillo[i] **Cyrille**[g] **Cirilo**[h] **Cyril**[a] **Cyrill**[ge]: Cyrillus, i, m. Nomen ductum est a κύριος, quo *dominus, vir potens* significatur; cf. prisc. Ind. *çura-s*, h. e. *fortis, hero*. Iudaei et Christiani hoc nomine appellare consueverant Deum (*Dominum*). In Mart. Rom. XII recensentur Caelites, ita appellati.

Ciro[i] **Cyrus**[a]: Cyrus, i, m. De origine huius nominis, quo in primis appellatus est Persarum regni conditor, non satis constat; alii enim deducunt a voce Hebraica *kôresh* vel *hhâras*, qua *sol* significatur, alii a Graeco vocabulo κῦρος, cuius vis est *potentia, auctoritas*; cf. prisc. Ind. *çura-s*, h. e. *fortis, hero*. In Mart. Rom. recensentur duo Caelites hoc nomine insignes (prid. Cal. Febr.; prid. Id. Iul.).

Cita[h]: v. *Zita*.

Clair[g]: Clarus, i, m. Ad originationem quod attinet, v. *Chiara*. – (Mart. Rom. prid. Non. Nov; VI Id. Nov.).

Clara[i] **Claire**[g] **Clare**[a] **Clair**[a]: v. *Chiara*.

Clarence[a]: Clarentius, ii, m. Nomen ductum est, quemadmodum liquet, a verbo *clarendi*; eo igitur significatur *vir illustris*. – (Mart. Rom. VI Cal. Mai).

Claretta[i]: Clarina, ae, f. Hoc blandum nomen, a Clara deductum (v. *Chiara*), scriptum videmus in titulo 1554 apud Diehl.

Claribel[a]: Clarabella, ae, f. Hoc nomen, ab Anglis usurpatum, eodem

fere modo structum est, quo *Christabel*; scilicet coaluit e verbis adi. *clarus, a, um* (v. *Chiara*), et *bellus, a, um*, quod repetitur a prisco verbo *duenos*, h. e. *bonus* (*bene*).

Clarice[i] **Clarice**[a]: v. *Clarissa.*

Clarimond[a] **Clairmond**[a]: Clarimunda, ae, f. Nomen, a diverso fonte derivatum, Latino (*clara*) et Germanico (*mund*), idem fere valet ac *clara tutrix*; in prisco enim vocabulo *mund* vis inest *tuendi, defendendi*; cf. Germ. rec. *Vor-mund*, h. e. *tutor.*

Clarinda[a]: Clarinda, ae, f. Est nomen commenticium, in quo subauditur verbum adi. *clarus, a, um.*

Clarissa[i] **Clarissa**[a]: Clarissa, ae, f. Est nomen a *Clara* ductum, quo sacrae virgines Clarales vulgo solent appellari. Imponitur etiam puellis, ex quo a Samuele Richardson in fabulis conscribendis est adhibitum; cf. Sertoris Salis, p. 61; Partridge, p. 74.

Clarrie[a]: bl. app. pro Clarentio vel Clara; v. *Clarence, Chiara.*

Claude[g] **Claude**[a]: v. *Claudio.*

Claudia[i] **Claudia**[h] **Claudia**[a] **Claudia**[ge]: Claudia, ae, f. Cf. *Claudio.* – (Mart. Rom. XII Cal. Apr.; XV Cal. Iun.).

Claudina[i] **Claudine**[g] **Claudine**[a]: Claudilla, ae, f. Est nomen Claudiae cum adiuncta terminatione, blandae appellationis causa; scriptum videmus in C.I.L. III, 4330. Non autem improbandus videtur exarandi modus: *Claudina, ae*, quamquam in veteribus litterarum monumentis, quod sciam, non occurrit.

Claudio[i] **Claude**[g] **Claudio**[h] **Claudius**[a] **Claudius**[ge]: Claudius, ii, m. Nomen ductum est ab adi. *claudus, a, um*, de cuius originatione non consentiunt eruditi (fortasse derivatur a *clavidus*, h. e. quasi *clavi praepeditus*). In Mart. Rom. nomen pluries occurrit.

Cleandro[i]: Cleander, dri, m. Hoc nomine, quo Alexandri Magni temporibus appellatus est praetor regius, Commodo vero imperatore praefectus praetorio, significatur *gloria virorum* seu potius *vir gloria ornatus* (κλέος-ἀνήρ, ἀνδρός).

Cleante[i]: Clanthes, is, m. Nominis interpretatio haec est: *gloria florum* (κλέος - ἄνθος); quo in primis appellatus est philosophus quidam Stoicus.

Clearco[i]: Clearchus, i, m. Nomen duci cuidam Lacedaemoniorum olim impositum, idem valet ac *gloria principum* (κλεός - ἄρχομαι).

Clelia[i] **Clelia**[h]: Cloelia, ae, f. « Cloelia virgo, una ex obsidibus (Porsinae traditis), cum castra Etruscorum forte haud procul ripa Tiberis locata essent, frustrata custodes, dux agminis virginum inter tela hostium Tiberim tranavit, sospitesque omnes Romam ad propinquos restituit » (Liv. II, 13, 6); cf. etiam Verg. *Aen.* VIII, 651; Plin. XXXIV, 58; Sen. *ad Marc.* 16, (1). Nomen ductum est a verbo *cluendi* (*clueo, cluo*), quo significatur *nominari, praedicari*; cf. *in-clutus*; Graec. κλύω, h. e. *audio*; prisc. Germ. *hlot, hlod*, h. e. *gloria.*

Clem[a]: bl. app. pro Clemente; v. ib.

Clemence[g] **Clemencia**[h] **Clemency**[a]: v. *Clemenza.*

Clemente[i] **Clément**[g] **Clemente**[h] **Clement**[a] **Clemens**[ge]: Clemens, tis, m. Ducitur fortasse a *kléiomenos*, scil. a verbo *clinandi* (cf. *ac-clinis*, *inclinis*); M. Bréal, *Mémoires de la Societé de linguistique* 3, 1870, pp. 248 sqq.; H. Osthoff, *Archiv für lateinische Lexikographie*, 4, 1887, p. 463. In Mart. Rom. V recensentur Sancti Caelites hoc nomine insignes.

Clementina[i] **Clémentine**[g] **Clementina**[h] **Clementine**[a] **Clementine**[ge]: Clementina, ae, vel Clementilla, ae f. Prius nomen scriptum videmus in C.I.L. XV, 4120, alterum ibid. VI, 11133. Quod ad originationem attinet, cf. *Clemente*; ab hoc enim nomine utrumque ducitur cum adiuncta terminatione, blandae appellationis gratia.

Clemenza[i] **Clémence**[g] **Clemencia**[h] **Clemency**[a] **Clementia**[ge]: Clementia, ae, f. Hoc nomine dea apud Romanos appellata est, de qua Plin. II, 14; Claudian. *Laud. Stilich.* II, 6; Stat. *Theb.* XII, 481, commemorant; praeterea mulieribus imponebatur; cf. C.I.L. XII, 2861, 3627, 4127; XV, 4120.

Cleonice[i]: Cleonice, es, f. Hoc nomen Graecum effectum est verbis κλέος et νίκη, quorum priore *gloria*, altero *victoria* significatur. Ut nomen muliebre scriptum videmus in veteribus titulis; cf. G. Gatti, *Notizie degli scavi*, 1905, p. 81.

Cleo[a]: v. *Cleopatra.*

Cleofe[i]: Maria Cleophae, Mariae Cleophae, f. Itali nomen *Cleofe* puellis imponunt, quamquam re vera est casus genetivus nominis virilis *Cleophas, ae.* Sed huius originis in vulgi consuetudine nulla iam ratio ducitur. De pia hac muliere commemoratur in Sacris Bibliis; cf. *Io.* 19, 25: «Stabant autem iuxta crucem Iesu mater eius et soror matris eius Maria Cleophae, et Maria Magdalene». Erat autem coniux vel «soror», ut quidam opinantur, Cleophae. Hoc nomine appellabatur discipulus Domini; cf. *Luc.* 24, 18: «Et respondens unus, cui nomen Cleophas, dixit: Tu solus peregrinus es in Ierusalem, et non cognovisti que facta sunt in illa his diebus?».

Cleophas (Graece Κλεοφᾶς vel Κλεόπας) est nomen *hypochoristicum*, quod vocant, id est e vulgari quadam loquendi ratione positum pro Κλεόπατρος, perinde atque Ἀντίπας pro Ἀντίπατρος; estque eius interpretatio: *a patre* (πατήρ) *illustri* (κλέος) *genitus.* – (Mart. Rom. V Id. Apr.).

Cleofonte[i]: Cleophon, ontis, m. Est nomen virile Graecum Κλεοφῶν, quo appellatus est dux Atheniensium; cf. Cic. *rep.* IV, 11: «Esto, (comoedia) populares homines improbos, in re publica seditiosos, Cleonem, Cleophontem, Hyperbolum laesit»; Aug. *Civ. Dei*, II, 9.

Cleopatra[i] **Cleopatra**[a]: Cleopătra, ae, f. Hoc nomine Graeco significatur *patris gloria* (κλέος - πατήρ). Quo appellata est Aegypti regina, a Caesare et Antonio adamata; id vero in titulis quoque ut commune nomen

muliebre frequentatur; cf. C.I.L. VI, 3529, 4588, 5018, 13451.

Cleto[i] **Clet**[g] **Cleto**[h]: Cletus, i, m. Est verbum adi. Graecum κλητός (a καλέω ductum), in rationem Latinam translatum, quo *vocatus*, *desideratus*, *exspectatus* significatur. Quo nomine appellabatur secundus post Petrum Pontifex Romanus (Mart. Rom. VI Cal. Mai.); id vero etiam alias (in titulis) occurrit; cf. C.I.L. II, 2903; III, 7906, e. a. Non est ergo, ut multi defendunt, deminutum nomen Anacleti.

Clifford[a]: Cliffordus, i, m. Est cognomen, quod nos dicimus, alicui familiae inditum; quod, ut moris est apud Anglos, interdum pro nomine usurpatur. Si originem spectes, appellatio tracta est a *vado prope scopulum* (*cliff* = *scopulus*, *rupes*; *ford* = *vadum*). Cf. Partridge, p. 76.

Clio[i]: Clio, gen. Clius, f.; cf. Ovid. *ars am.* I, 27: « Cliusque sorores ». Nomen ductum est a κλείω, quo *celebro* significatur, vel a κλέος, cuius vis est *fama*, *gloria*. Eo praesertim appellabatur Musa, quae historiae praeesse putabatur; cf. Hor. *carm.* I, 12, 1-3: « Quem virum aut heroa lyra vel acri — Tibia sumis celebrare, Clio, — Quem deum? ».

Clito[i]: Clitus, i, m. Nomen derivatum est a κλείω, quo *celebro* significatur (cf. Lat. *in-clu-tus*; prisc. Germ. *hlud*, *hlod*, h. e. *fama*, *gloria*). Eo appellatus est militum dux in exercitu Alexandri Magni; cf. Curt. VIII, 1, 4, 28; Cic. *Tusc.* VI, 79; Sen. *ep.* 83, 19. Occurrit praeterea in titulis ut nomen virile; cf. C.I.L. V, 7510; VI, 739; XV, 4940.

Clo[a]: bl. app. pro Chloe vel Chlothilde usurpata; v. *Cloe*, *Clotilde*.

Clodimiro[i]: Chlodomeris, is, vel Chlodomirus, i, m. Est nomen Germanicum, deductum a *hlôth*, (prisc. Germ. *hlût*, Germ. rec. *laut*), cuius vis est *clarus* (cf. Lat. *inclutus*), et *mîr* (Goth.), *mâr*, cuius est eadem fere significatio. Nomen Chlodomeris scriptum legimus apud Gregorium Turonensem, *Franc.* II, 29; apud Marium, Aventicensem episcopum, *Chron.* II, 235, 524; in Carmine cod. Petav., 16 (epitaphium Chlodomeris filii regis Francorum): « Chlodomeris enim excellens regia proles ».

Clodio[i]: Clodius, ii, m. Est idem nomen atque Claudius (v. ib.); coniunctae enim litterae *au* a gentibus Latii, rustica loquendi consuetudine usis, conversae sunt in *o*; cf. *Plauto*.

Clodoaldo[i] **Cloud**[g] **Clodoaldo**[h] **Cloud**[a] **Klodewald**[ge]: Chlodovaldus, i, vel Chlodoaldus, i, vel, ex usu Ecclesiae (cf. Mart. Rom. VII Id. Sept.), Clodoaldus, i, m. Scribendi ratio, ex qua post *c* litteram ponitur *h*, propinquius accedit ad originem Germanicam, unde nomen repetitur, eademque a Gregorio Turonensi, *Franc.* III, 6, usurpatur. Nomen autem effectum est verbis *hlôth* (*lud*; cf. Germ. rec. *laut*, h. e. *clara voce*; Lat. *in-clu-tus*) et *walt* (*valdan*), quorum priore significatur *fama*, *gloria*, altero vero *dominari*; itaque Latine sic redditur: *dominator clarus*.

Clodoveo[i] **Clovis**[g] **Clodoveo**[h]: Chlodovechus, i, vel Clodovēus, i, m. Nomen hoc Germanicum, in Latinam rationem deflexum, scriptum videmus apud Alcim. Avit. *ep.* 46; Venant. *carm.* IX, 4, 5; 5, 5; Iordanem, *de orig. actib. Getarum*, 295, e. a. Eo, ut notum est, appellabatur auctor regiae domus Merovingorum. Est autem haec prisca scribendi ratio; nam successu temporis nomen blandiore modo efferebatur, ita ut audiret *Ludovicus*; quoad originationem, v. *Ludovico.*

Cloe[i] **Chloe**[a]: Chloe, es, f. Est verbum Graecum χλόη, quo *herba viridis* significatur; cf. χλωρός, h. e. *viridis*; Lat. *helvus*, *(h)olus*; prisc. Germ. *gelo*, rec. Germ. *gelb*, h. e. *helvus*. Hoc nomen, puellis inditum, apud veteres scriptores, in sacris litteris atque titulis non raro occurrit; cf. Hor., *carm.* I, 23, 1; Mart. III, 53; IV, 28; IX, 16; I *Cor.* I, 11; C.I.L. VI, 2326; IX, 586; 110; 2741.

Clorinda[i]: Clorinda, ae, f. Est nomen commenticium, heroidi cuidam in Torquati Tassi carmine epico impositum, quod « Hierosolyma liberata » inscribitur.

Clotario[i]: est idem nomen atque Lotharii; v. *Lotario.* In veteribus autem litterarum monumentis huius nominis prisca occurrit scribendi ratio *Chlothacharius* vel *Chlotharius*; cf. Greg. Turon. *Franc.* III, 1; VII, 7; Venant. *carm.* VII, 16, 33; C.I.L. XIII, 1483.

Clotilde[i] **Clotilde**[g] **Clotilde**[h] **Clotilda**[a] **Klotilde**[ge]: Chlothildis, is, vel, ex usu Ecclesiae, Clotildis, is, f. (cf. Mart. Rom. III Non. Iun.); potest, meo quidem iudicio, *h* littera post *C* omitti, non autem post *t* (*Clothildis*); nomen enim effectum est duobus verbis Germanicis *hlôth* - *hild*, quorum priore *fama*, *gloria*, altero vero *proelium* significatur; id ergo hoc fere modo interpreteris: *bellatrix gloria circumfluens.*

Cloud[a]: v. *Clodoaldo.*

Clovis[g]: v. *Clodoveo.*

Cola[i]: v. *Nicola.*

Colberto[i]: Colbertus, i, m. Altera pars nominis sine dubio est Germanica; id est verbum *beraht* (*bert*), quod idem valet ac *fulgidus*, *splendens*; prior autem pars a quibusdam coniungitur cum prisca voce Scandinava *kollir* (= *galea*), minus probabiliter cum adiectivo Germanico *kühl* (= *paulum frigidus*), ut Dauzat, p. 140, opinatur. Hoc nomen praeterea evasit cognomen, quod nos dicimus, Gallicum *Colbert.*

Colman[g] **Colman**[a] **Coloman**[ge] vel **Kol(o)man**[ge]: Colomanus, vel Colmanus, i m. Videtur esse nomen Columbani, ab Hibernis e sermonis sui ratione deflexum; cf. Partridge, p. 78 (in prisco enim huius gentis sermone *colum* significat *columbam*, unde etiam derivatur; H. Pedersen, *Vergleichende Grammatik der keltischen Sprachen*, Göttingen 1908, I, p. 195).

Utraque scribendi ratio occurrit in Mart. Rom., (VIII Id. Iul. et III Id. Oct.).

Colomba[i] **Coulombe**[g] **Columba**[h]: Columba, ae, f. Nomen avis columbae iam antiquitus adhibebatur in

blanditiis; cf. Plaut. *Asin.* 693: « mea columba »; id. *Cas.*, 138; atque etiam in sacris litteris, *Cant.* V, 10. Erat autem temporibus imperii Romanorum nomen servile, plurimumque usurpabatur a Christianis propter mysticam significationem; cf. imaginem columbae in sacris eorum cryptis. In Mart. Rom. duae recensentur virgines, ita appellatae (XV Cal. Oct.; prid. Cal. Ian.).

Colombano[i] **Colomban**[g] **Columbano**[h] **Columban**[ge]: Columbanus, i, m. Cf. *Colombo.* – (Mart. Rom. X Cal. Dec.).

Colombo[i] **Colomb**[g]: Columbus, i, m. Nomen avis maris columbi antiquis iam temporibus imponebatur viris; cf. Suet. *Cal.*, 55: « Myrmillonum armaturas recidit Columbo victori »; frequentatur in titulis quoque: C.I.L. XII, 3325; XIII, 175, 180, 10025. Repetitur autem a verbo primitivo *qel* seu *qol*, in quo inest vis *coloris atri*; cf. Walde-Hofmann I, p. 249; cf. Graec. κελαινός, h. e. *ater*.

Columbine[a]: Columbina, ae, vel Columbŭla, ae, f. Adi. *columbinus, a, um*, apud veteres scriptores saepe occurrit. Nomen vero Columbulae scriptum videmus in C.I.L. XI, 3299 (*Columbola*).

Côme[g]: v. *Cosma.*

Como[i]: v. *Giacomo.*

Con[a]: bl. app. pro Conrado aut Constantia; v. *Corrado, Costanza.*

Conan[a]: Conanus, i, m. Est nomen Celticum, cuius significatio non satis perspicua est (Partridge: *sapientia* vel fortasse *celsus*). Eo appellatur Sanctus Caelcs ex Hibernia; cf. C. Plummer, *Vitae Sanctorum Hiberniae*, Oxonii 1910, II, p. 51 (*Conannus*).

Concepción[h]: v. *Concetta.*

Concha[h] **Concepcion**[h]: v. *Concetta.*

Concetta[i] **Concepción**[h]: Maria Concepta, vel ab immaculato conceptu. Appellatur, ut liquet, a catholicae doctrinae capite, ex quo Deipara Maria, cum conciperetur, a prima labe Dei beneficio servata est immunis.

Concettina[i] **Conchita**[h] **Concita**[h]: v. *Concetta.*

Connie[a]: bl. app. pro Constantia; v. *Costanza.*

Conrad[g] **Conrado**[h] **Conrad**[a]: v. *Corrado.*

Consalvo[i] **Gonzalo**[h]: Gundisalvus, i, vel Gunsalvus, i, m. Nomen hoc Visigothicum e diverso fonte derivatum est: prior enim pars est priscum verbum Germanicum *gund*, quo *proelium* significatur (Förstemann, p. 709), altera vero est adi. Latinum *salvus* (id., p. 1290). Non una est huiusce nominis scribendi ratio: *Gondesalvius*, *Histoire de Languedoc par deux religieux bénédictins de la Congrégation de St. Maur*, Paris 1730, I, n. 76 (a. 852); *Gondesalvus*, ibid. II, n. 176 (a. 1036), A. Potthast, *Wegweiser durch die Geschichtswerke des europ. Mittelalters*, Berlin 1895, I, p. 536; *Gonsalvus, Acta Sanct.* Ian. I, p. 738, II, p. 409. Rectior vero videtur esse scribendi ratio, in initio proposita.: *Gundisalvus*; cf. *Acta Sanct.* Ian. II, p. 1132 sq.; Febr. III, pp. 107, 109;

vel *Gunsalvus* ; cf. *Acta Sanct.* Ian. II, p. 413.

Consiglio[i] **Consilio**[i] : Consiliatus, i, m.; appellatur hoc modo vir propter religionem Beatae Mariae Virginis a Bono Consilio, quae vocatur.

Consilia[i] : Maria benesuada ; cf. *Consiglio.*

Consolación[h] : v. *Consolata.*

Consolata[i] **Consuelle**[g] **Consuelo**[h] : Consolata, ae, f.

Consolo[i] : Consolatus, i, m. Hoc nomen imponitur pueris propter religionem Beatae Mariae Virginis, gementium solatricis.

Constance[g] **Constance**[a]: v. *Costanza.*

Constancio[h]: v. *Costanzo.*

Constant[g] **Constante**[h]: v. *Costante.*

Constantin[g] **Constantino**[h] **Constantine**[a]: v. *Costantino.*

Consuelle[g] **Consuelo**[h]: v. *Consolata.*

Contardo[i] **Gontard**[g] **Contardo**[h] **Gunthard**[ge]: Gunthardus, i, vel Contardus, i, m. Prior scribendi modus propius ad originem Germanicam, unde nomen derivatum est, accedit ; coaluit enim e verbis *gund - hard*, quorum priore *proelium*, altero *strenuus*, *fortis*, *audax* significatur. Hac fere ratione scriptum videmus in *Gestis Abbatum Fontanellensium*, M.G.H. *Script.* II, p. 279 (*Gundhardus*) ; cf. ib. p. 193 (*Guntard*) ; *Contardus* vero occurrit in libro, qui inscribitur *Chronicon ducum Beneventi, Salerni etc.*, M.G.H. III, p. 212 ; cf. *Script. rer. Merov.* p. 573 e. a.

Cora[i] **Cora**[a]: Cora, ae, f. Nomen derivatum est a verbo κόρη, cuius vis est *puella* et quod Proserpinae antiquitus plerumque adiciebatur ; cf. Serv. *ad Verg. Aen.* III, 111 ; C.I.L. VI, 1780. Id etiam aliis mulieribus imponebatur ; cf. C.I.L. VI, 16084.

Corallina[i] **Coralina**[h] **Coral**[a] vel **Coralie**[a]: Corallis, ĭdis, f. Hoc nomine significatur *gemma minio similis* ; cf. Plin. XXXVII, 153.

Corbinian[ge]: v. *Korbinian.*

Cordelia[i] **Cordelia**[h] **Cordelia**[g]: Cordelia, ae, f. Videtur esse nomen commenticium, in quo subauditur verbum Latinum *cor*. Fieri autem potest ut a nomine Cordulae deductum sit, quod a Germanis usurpari solet ; sunt praeterea qui putent a fonte Celtico id esse derivandum (a *Creiryddlydd*, h. e. *filia maris*, Partridge, p. 80). Invaluit potissimum propter personam, sic appellatam, tragoediae, quam Villelmus Shakespeare, Anglorum poeta summus, de rege *Lear* inscripsit.

Cordula[ge]: Cordula, ae, f. Qui verborum originibus student, nomen plerumque a *corde* derivant, quasi sit *corculum*, blanda scilicet appellatio. Sed potius a *cordo* (*cordus, a, um*) deducendum est (minus recte scribitur *chordus*), quo significatur *tarde natus* aut *maturescens* ; cf. Varr. *R.R.* II, 1 ; Plin. VIII, 47, 72 ; XVIII, 28, 67 ; Cato *R.R.* 5 ; Col. XII, 13 (« olus cordum »). Adiciebatur hominibus quoque ; cf. Quintil. I, 4 : « et ex casu nascentium ; hinc Agrippa et Opiter et Cordus et Postumus erunt ». Itaque, si haec est nominis origo, idem fere valet ac Postumia. Recensetur in Mart. Rom. sancta

virgo, ita appellata et ab Hunnis ob christianae fidei professionem martyrio affecta (X Cal. Nov.).

Corinna[i] **Corinne**[g] **Corina**[h] **Corinna**[a] : Corinna, ae, f. Est nomen Graecum Κόριννα, a κόρη (= *puella*) deductum, quo appellata est poetria Boeotica, Pindari aequalis ; praeterea amica Ovidii. Frequentatur denique ut nomen muliebre in titulis ; cf. C.I.L. IX, 17588, 3979.

Coriolano[i] : Coriolanus, i, m. Cn. Marcius a capto oppido Coriolis (prope Tarracinam, fortasse *Monte Giove*, ut Nibby opinatur) appellatus est Coriolanus, qui, « cum civis egregius fuisset, populi ingrati pulsus iniuria se ad hostes contulit conatumque iracundiae suae morte sedavit » (Cic. *Brut.*, 10).

Cornelia[i] **Cornelia**[h] **Cornelia**[a] **Cornelia**[ge]: Cornelia, ae, f. Cf. *Cornelio*. Recensetur in Mart. Rom. prid. Cal. Apr.

Cornelio[i] **Corneille**[g] **Cornelio**[h] **Cornelius**[a] **Cornelius**[ge]: Cornelius, ii, m. De originatione non consentiunt eruditi ; magis videtur probanda opinio eorum qui nomen a *cornu* derivant. – (Mart. Rom. XVI Cal. Oct. e. a.).

Corney[a]: bl. app. pro Cornelia ; v. ib.

Cornic[a] **Corny**[a]: bl. app. pro Cornelio aut Cornelia ; v. ib.

Corona[i] : Corona, ae, f. Videtur quidem esse ipsum verbum coronae, e Graeco sermone (κορώνη) in Latinum receptum. V. Schulze autem, p. 77, et I. Devoto, *Studi Etruschi*, 4, 227, monent nomen gentilicium Coronae (*Corona*) a fonte Etrusco manavisse ; cf. *Coronius* = Etrusc. *curunei*.

Sollemne S. Coronae martyris in Syria, prid. Id. Mai. recensetur in Mart. Rom., ubi hoc scriptum legimus : « Cum autem ipsum (S. Victorem) Corona uxor cuiusdam militis beatum praedicaret ob martyrii constantiam, vidit duas coronas de caelo lapsas, unam Victori et alteram sibi missam ; cumque hoc audientibus cunctis testaretur, ipsa quidem inter arbores scissa, Victor vero decollatus est ».

Corradino[i] **Konradin**[ge]: Conradinus, i, m. Est nomen Conradi (v. *Corrado*), cui blanda terminatio *-inus* (*ino*) adiuncta. Quo appellatus est filius Conradi IV imperatoris, anno 1268 supplicio affectus.

Corrado[i] **Conrad**[g] **Conrado**[h] **Conrad**[a] **Konrad**[ge]: Conradus, i, m. Nomen effectum est coniunctis vocabulis Germanicis *kuoni* (*küene*, nunc audit *kühn*) et *rât* (*rad*), quorum priore *strenuus*, *fortis*, altero *consilium* significatur. Id ergo interpreteris : *virum strenuum consilio* (atque etiam in consilio seu in contione) seu *consiliarium fortem*. Ad sermonem Latinum conformatum, nomen frequentatur in litterarum monumentis media aetate conditis, ex. gr. M.G.H., XXX, pp. 517, 519, 521, 523, 577, 597, 598. – (Mart. Rom. XI Cal. Mai. et VI Cal. Dec.).

Cos[a]: bl. app. pro Cosmo ; v. ib.

Cosa[i] **Cosette**[g]: Cosa, ae, f. Videtur quidem esse in vulgari sermone deminutum nomen, quod plenius *Cosima* audit. In veteribus autem ti-

tulis scriptum videmus nomen Cosae (*Cosa*), mulieribus inditum, quo etiam oppidum in Etruria et in Lucania appellatur. Cf. C.I.L. III, 12010 ; V, 4074 ; XI, 29, 6695.

Cosima[i] : Cosma, ae, f. ; v. *Cosimo.*

Cosimo[i] **Cosmo**[i] : Cosmus, i, m. Nomen derivatum est a κόσμος, quo *ordo, ornamentum, mundus* (a verbo primigenio καδ - cf. καίνυμι = *excello*) significantur. Iam Romanorum aetate frequentabatur ut nomen virile ; cf. Cosmum, unguentorum artificem Romanum, de quo Mart. III, 55 (in Gelliam : « Quod quacumque venis, Cosmum migrare putamus») et Iuven, VIII, 86, commemorant ; unde vox Cosmianum (scil. unguentum) deducta est ; cf. Mart. XII, 55 : « Aut libram petit illa Cosmiani », e. a. Nomen Cosmi occurrit in titulis quoque ; cf. Diehl, I, 1617 ; II, 2610 ; 4498.

Cosma[i] **Côme**[g] **Cosme**[h] **Kosmas**[ge]: Cosmas, ae, m. Hoc nomine appellatus esse perhibetur medicus Arabs, Diocletiano imperatore propter Christi fidem martyrio affectus ; plurimum autem usurpabatur aetate imperii Byzantini. Origo plerumque repetitur a κόσμιον, quo *ornamentum* significatur (cf. *Cosimo*) ; placet autem magis sententia Caroli Tagliavini (p. 326), ex qua Cosmas sit modus quidam *hypochoristicus*, seu nomen compositum, blandae appellationis causa contractum ; cf. *Antipas* = *Antipatros.* De altera nominis parte non constat (ἵππος ?) ; prior vero, ut liquet, ducta est a κόσμος vel κοσμέω, h. e. *ordo, mundus, in ordinem redigo.* – (Mart. Rom. V Cal. Oct.).

Costante[i] **Constant**[g] **Constante**[h]: Constans, tis, m. Proprie idem valet ac *stans, gravis, tardus* ; cf. Lucret. III, 190 : « mellis est constantior natura » (quam aquae) ; significat deinde *animum stabilem ac tenacem propositi.* Hoc nomine appellabatur Constantini filius e. a. ; idemque frequentatur in titulis ; cf. C.I.L. VI, 3462 ; XIV, 29491.

Costantina[i] **Konstantine**[ge]: Constantina, ae, f. Plures mulieres e regia domo Constantini ita appellatae sunt ; cf. Trebell. Claud. 13 ; Aurel. Vict. *epit.* 42 ; Ammian. Marc. XIV, 1, 2 ; Greg. M. *ep.* 4 ; 5.

Costantino[i] **Constantin**[g] **Constantino**[h] **Costantine**[a] **Konstantin**[ge]: Constantinus, i, m. Nomen, ut liquet, derivatum est a Constante, cum adiuncta blanda terminatione-*inus.* – (Mart. Rom. V Id. Mart.; prid. Id. Apr. ; V Cal. Aug.).

Costanza[i] **Constance**[g] **Contancia**[h] **Constanza**[h] **Contance**[a] **Konstanze**[ge]: Constantia, ae, f. Nomen frequentatur apud scriptores et in titulis, praesertim christianis. Cf. *Costante.* – (Mart. Rom. XIII Cal. Oct.).

Coulombe[g]: v. *Colomba.*

Cradock[a]: v. *Caradoc.*

Crépin[g]: v. *Crispino.*

Crescente[i] **Crescent**[g]: Crescens, tis, m. Pertinet ad verbum *creandi,* quod a primigenia voce Indica Europaea *kere* repetitur, unde et *Ceres, pro-cerus, cre-ber* derivantur ; cf. Graec. κορέννυμι, h. e. *satio*; Germ. *Hirse,* h. e. *milium.* Nomen frequen-

tatur apud scriptores; cf. Tac. *Hist.* I, 76 (libertus Neronis), Hieron. *de vir. ill.* 23, e. a., in sacris litteris. II *Tim.* 4, 10, ac passim in titulis. In Mart. Rom. VII recensentur Caelites, hoc nomine insignes.

Crescentino[i]: Crescentinus, i, m. Nomen, a Crescente (v. *Crescente*) ductum, in veteribus titulis occurrit.

Crescenzia[i] **Kreszenz**[ge]: Crescentia, ae, f. Est modus femininus nominis Crescentii (v. *Crescenzio*); frequentatur in titulis ut nomen muliebre, et apud scriptores christianos. Recensetur in Mart. Rom. XVII Cal. Iul.

Crescenzio[i] **Crescencio**[h]: Crescentius, ii, m. Nomen derivatum est a Crescente (v. *Crescente*); frequentatur apud christianos scriptores, et in titulis; in Mart. Rom. IV Caelites recensentur, eo insignes.

Creusa[i]: Creūsa, ae, f. Nomen, quo appellabatur filia Terrae, a Peneo adamata, uxor Iasonis, filia Priami eademque uxor Aeneae, e. a., ductum est a verbo κρέω, quo significatur *impero*.

Criseide[i]: Chrysēis, ĭdis, f. Cas. acc. exit in *-da*, vel *-dem*, vel *-n* (*Chrysin*). Vocabulum factum est a nomine patris (*Chryses, ae*), qui sacerdos Apollinis fuit secundum fabularem historiam cuiusque filiam Achilles abduxit; cf. Ovid., *rem. am.* 469: «Atrides - Marte suo captam Chryseida victor amabat». Nomen occurrit in titulis quoque; cf. C.I.L. VI, 1921, 23225; XIV, 803.

Crisippo[i]: Chrysippus, i, m. Coaluit e χρυσός - ἵππος (= *aurum* - *equus*), estque interpretatio: *aureos equos habens*. Nomen frequentatur apud scriptores et in titulis.

Crisologo[i]: Chrysolŏgus, i, m. Hoc nomine significatur vir *aureo sermone praeditus* (a χρυσός - λόγος, i. e. *eloquentissimus*). Ita cognominatus est Petrus, episcopus Ravennas. – (Mart. Rom. postrid. Cal. Dec. et prid. Non. Dec.).

Crisostomo[i] **Chrysostome**[g] **Crisostomo**[h] **Chrysostom**[a] **Chrysostomus**[ge]: Chrysostŏmus, i, m. Nomen, quo significatur *aureum os* (χρυσός-στόμα), scriptum videmus, ut viro cuidam inditum, in C.I.L. VI, 27275; est praeterea cognomentum Ioannis, episcopi Constantinopolitani et Ecclesiae Doctoris. – (Mart. Rom. XVIII Cal. Oct.).

Crispino[i] **Crépin**[g] **Crespín**[h] **Crispin**[a] **Crispin**[ge]: Crispinus, i, m. Nomine, significatur vir *crispo capillo* (a verbo primitivo *cris-* ductum, in quo inest vis *vibrandi*; cf. *crines*, *crista*, *criso*). In Mart. Rom. V recensentur Caelites, eo appellati.

Cristiana[i] **Christiane**[g] **Cristiana**[h] **Christiana**[a] **Christiana**[ge]: Christiana, ae, f. Cf. *Cristiano*. – (Mart. Rom. XVIII Cal. Ian.).

Cristiano[i] **Christian**[g] **Cristián**[h] **Cristiano**[h] **Christian**[a] **Christian**[ge]: Christianus, i, m. Cf. Hieron. *ep.* 65: «Apostolis credentibusque unctionis suae (Christus) vocabulum tribuit, ut ab uncto vocentur uncti, id est Christiani»; ducitur enim nomen a χρίω, quo *ungo* significatur. Recensetur in Mart. Rom. Sanctus Caeles, ita appellatus, prid. Id. Nov.

Cristina[i] **Christine**[g] **Cristina**[h] **Christina**[a] **Christine**[ge]: Christina, ae, f. Cf. *Cristiano*, ac praeterea Aug. *ep.* 256; C.I.L. XI, 281. – (Mart. Rom. III Id. Mart.; IX Cal. Aug.).

Cristino[i] : Christinus, i, m. Cf. *Cristìano.*

Cristofano[i] : v. *Cristoforo.*

Cristoforo[i] **Cristophe**[g] **Cristobal**[h] **Christopher**[a] **Christoph**[ge] : Christophŏrus, i, m. De hoc nomine, quod *Christi gestatorem* significat (a Χριστός - φέρω), hi scriptores veteres commemorant : Greg. Turon., *Franc.* VII, 46, Greg. Magn., *ep.* 9 (apud quos est commune nomen virile). – (Mart. Rom. VIII Cal. Aug.; XII Cal. Sept.).

Crucita[h]: Maria a Cruce, f. Solent Hispani cognomentum Beatae Mariae Virgini adiectum ut nomen puellis imponere.

Crystal[a]: v. *Chrystal.*

Cunegonda[i] **Cunégonde**[g] **Cunegunda**[h] **Kunigunde**[ge]: Cunegundis, is, f. Nomen effectum est priscis verbis Germanicis *kunni* (Goth. *kuni*) - *gund*, quorum priore *genus*, *gens*, altero vero *proelium* significantur. Eo ergo appellatur quasi *bellatrix suae gentis.* Recensetur in Mart. Rom. VII Non. Mai.

Cuniberto[i] **Kunibert**[ge]: Cunibertus, i, m. Quoad priorem nominis partem (*kuni*), v. *Cunegonda*; altera efficitur prisco verbo Germanico *bert* (*beraht*), quod idem valet ac *splendens*, *clarus*; qui ergo *apud suam gentem clarescit*, hoc nomine appellatur. – (Mart. Rom. prid. Id. Nov.).

Curzio[i]: Curtius, ii, m. Nomen, gentis Romanae proprium et ab adi. *curtus*, *a*, *um*, ductum, videtur repetendum esse a verbo primitivo (*s*)*qer-*, in quo inest vis *secandi*; cf. *caro*; Graec. καρῆναι, h. e. *tondere*; prisc. Ind. *krnati*, h. e. *secat*, *occidit.* Villelmus autem Schulze, p. 78, opinatur a fonte Etrusco nomen fortasse derivandum esse; cf. C.I.L. 3430 : « Qurtius » (Tarquiniis); *curthuna* (h. e. *Cortona*).

Cuthbert[a]: Cuthbertus, i, m. Hoc nomine, Anglorum Saxonumque proprio, significatur vir *fama nobilis*, *notus* atque *splendens*, *clarus*; *cuth* enim a *kunnen* ductum est (cf. Germ. *kennen*, h. e. *cognoscere*); cf. A. L. Mayhew - W. A. Skeat, *A concise Dictionary of middle English*, Oxford 1888, pp. 127-128; I. Orchard, *A Dictionary of archaic and provincial words*, London 1924, p. 288. Verbum autem *bert* (*beraht*), quod in multis nominibus Germanicis est invenire, idem valet ac *fulgens*, *clarus.* – (Mart. Rom. XIII Cal. Apr.).

Cy[a]: bl. app. pro Cyro; v. *Ciro.*

Cynth[a] **Cynthie**[a]: bl. app. pro Cynthia; v. *Cinzia.*

Cyprien[g] **Cyprian**[a]: v. *Cipriano.*

Cyprienne[g]: Cypriana, ae, f. Hoc nomen muliebre, a Cypriano deductum (v. *Cipriano*), scriptum videmus in vetere titulo apud I. B. De Rossi, *Inscr. christ.* I, n. 928, et in *Carm. epigr.* 1363,

Cyriaque[g] **Cyriak**[ge]: v. *Ciriaco.*

Cyrille[g] **Cyril**[a] **Cyrill**[ge]: v. *Cirillo.*

Cyrus[a]: v. *Ciro.*

D

Daffy[a]: bl. app. pro Daphne ; v. nom. sequ.

Dafne[i] **Daphne**[g] **Daphne**[a] : Daphne, es., f. Est nomen Graecum δάφνη, quo *laurus* significatur.

Dagmar[a] **Dagmar**[ge] **Dagomar**[ge] : Dagomarus, i, m. Nominis huius Germanici haec est originatio : *dag* (*daga*, *tag*) - *mar*, quorum verborum priore *dies*, altero *clarus*, *inclitus* significatur. Qui ergo eo appellatur, est quasi *inclitus ut dies*.

Transiit hoc nomen etiam in genus femininum : *Dagmara* vel *Dagmar*, cuius Latina interpretatio haec est : Dagomara, ae, f.

Dagoberto[i] **Dagoberto**[h] **Dagobert**[ge] : Dagobertus, i, m. Hoc nomen structum est e verbis Germanicis coniunctis *dag* (*daga*, *tag*), quo *dies* significatur, et *bert* (*beraht*), quod idem valet ac *fulgidus*, *clarus*. Est ergo eius interpretatio : *splendens ut dies*.

Daisy[a]: Bellis, ĭdis, f. Vulgare nomen *daisy* derivatum est a verbis Anglorum Saxonumque propriis *daeges eage*, quae sic in Latinum convertuntur : *diei oculus*. Est autem nomen flosculi humilis atque venusti, qui Italice *pratolina*, *margheritina* vocatur (Gall. *marguerite* ; Hisp. *margaritita de prado* ; Germ. *Massliebchen*) ; Latine autem appellatur *bellis* ; cf. Plin XXVI, 26 et Pseud. Apul., *herb.*, 57 ; quae vox fortasse ab adiect. *bellus*, *a*, *um*, ducta est, adiuncta postrema syllaba Graeca : is, idis (Walde-Hofmann, I, p. 100).

Dalila[i] : Dalila, ae, f. Ducitur a vocabulo Hebraico *delylah*, quo *delicata* significatur ; Isidorus autem interpretatur : *paupercula vel situla* (*Orig.* VII, 6, 56). Eo nomine appellata est femina Philistaea, a Samsone amata (*Iud.* XVI, 4).

Dalmazio[i] : Dalmatius, ii, m. Verbum adiect. *Dalmatius* in tit. scriptum videmus ; cf. C.I.L. III, 6575 : « argentariae Dalmatiae ». Ductum est autem, quemadmodum liquet, a *Dalmatia*, regione Illyrica, de qua Plinius aliique commemorant. In codicibus emendatioribus atque etiam in titulis frequentatur exarandi modus *Delmatia*, *Delmatae* ; cui etiam documento est Vell. II, 39, 3 : « Placet ut Delmatiam, non Dalmatiam pronuntiemus, quoniam a Delmanio maxima civitate tractum nomen existimatur ». Quoad originationem cf. vocabulum Alba-

nense *delme*, h. e. *ovis* (interpreteris igitur : *terram ovium*). Nomine Dalmatii seu Delmatii appellatus est imperator, qui fuit saeculo IV (*Flavius Iulius D.*), et Sanctus Caeles, cuius sollemne in Mart. Rom. Non. Dec. recensetur.

Damaso[i] **Damase**[e] **Dámaso**[h] **Damasus**[ge]: Damăsus, i, m. Est nomen Graecum Δάμασος in Latinam rationem translatum, quod petendum est a verbo δαμάω, h. e. *domo*, utpote cognatione coniuncto ; cf. prisc. Ind. *damayati*, h. e. *domat* ; Germ. *zahm*, h. e. *domatus*, *mansuetus*. – (Mart. Rom. III Id. Dec.).

Damiana[i] **Damienne**[g]: Damiana, ae, f. ; v. *Damiano*.

Damiano[i] **Damien**[g] **Damian**[h] **Damian**[a] **Damianus**[ge]: Damianus, i, m. Nomen derivandum videtur a *damia*, h. e. *bona dea*, unde *damium* dictum est sacrificium, quod sub divo eidem numini a matronis fiebat; damia autem (Δαμία) videtur esse nomen, per Etruscos a Romanis acceptum, Demetros. Alii autem ducunt a δαμάω, h. e. *domo*. Recensetur in C.I.L. VIII, 9481. – (Mart. Rom. prid. Id. Apr. e. a.).

Damocle[i]: Damŏcles, is, m. Coaluit e verbis Graecis δᾶμος et κλεός, quibus *populus* et *gloria* significantur.

Dan[a]: bl. app. pro Daniele.

Dandie[a]: bl. app. a Scotis usurpata pro Andrea.

Dannie[a]: bl. app. pro Daniele.

Daniela[i]: Daniela, ae, f. Cf. *Daniele*.

Daniele[i] **Daniel**[g] **Daniel**[h] **Daniel**[a] **Daniel**[ge]: Daniel, elis, m. Huius nominis Hebraici, e tribus verbis *dani-y-âl* vel *dan-i-êl* compositi, interpretatio est : *iudex meus Deus*, seu potius : *Deus iudicavit*. – (Mart. Rom. III Non. Iun.).

Danilo[i]: Daniel, elis, m. E Slavici enim sermonis ratione *Danilo* pro Daniele usurpatur. Graecum nomen Δανιήλ (ab Hebraeis, ut liquet, quasi mutuo acceptum) effertur *Daniíl*, quandoquidem η ut ι enuntiatur. A Graecis nomen, ita prolatum, ad Slavicas gentes manavit.

Dante[i]: Dantes, is, m. *Dante* est imminutum nomen vulgare *Durante* (v. ib.), quod, ut liquet, deductum est a verbo *durandi*. Tamen, ad Latini sermonis rationem conformatum, nomen Dantes, is, quo summus Italorum poeta nuncupatus est, ubique invaluit.

Daphné[g] **Daphne**[a] : v. *Dafne*.

Daria[i]: Darīa, ae, f. Cf. *Dario*. – (Mart. Rom. VIII Cal. Nov.).

Dario[i] **Dario**[h] **Darius**[a]: Darīus, ii, m. Ab aliis scribitur Darēus, cui exarandi modo etiam veteres codices suffragantur. Sequioris aetatis auctores *i* litteram corripere consueverant (Sidon. Apoll., Claudian.) Nomen deductum est a fonte Persico : veteres quidem id derivaverunt a verbo primigenio *darak* vel *adir*, quo *excelsus*, *fortis* significari perhibetur; cf. Strab. 16 : Δαριήκην Δαρεῖον ἐκάλησαν. Erat autem Δαριήκης idem fere quod deus Mars apud Romanos. Secundum recentiores autem Δαρεῖος est nomen Persicum *Dârayavahush*, ad Graeci sermonis ra-

tionem accommodatum, unde Romani id acceperunt. Cui nomini haec est sententia subiecta: *qui possidet bona*, vel *qui tenet* seu *servat bona*. Cf. Tagliavini, p. 436. – (Mart. Rom. XIV Cal. Ian.).

Dauphin[g]: v. *Delfino*.

Davie[a] **Davy**[a]: bl. app. ab Anglis pro Davide usurpata.

Davide[i] **David**[g] **David**[h] **David**[a] **David**[ge]: David, ĭdis, m., vel non inclinatur in casus. Cas. genet. *Davidis* scriptum videmus apud Iuvencum, I, 121, 157; IV, 47 (« Respondent illum Davidis origine nasci »). Cas. acc. apud eundem, I, 119; II, 576, exit in *-a*. Altera syllaba apud veteres scriptores christianos modo producitur, modo corripitur. Videtur autem nomen ducendum esse a verbo primigenio Hebraico *dûd*, in quo inest vis *amandi*, unde *dôd* idem valet atque *amabilis*. Augustinus vero alio modo explanat: « David interpretatur manu fortis vel desiderabilis » (*c. Faust.*, XXII, 87). Inter scriptores ethnicos cf. Ammian. XXX, 1, 11 sq. – (Mart. Rom. IV Cal. Ian. e. a.).

Davino[i]: Davinus, i, m. Videtur esse nomen *Davus, i*, quod apud veteres comoediarum scriptores servis imponebatur, cum adiuncta terminatione blandae appellationis causa. – (Mart. Rom. III Non. Iun.).

Dawn[a]: Aurora, ae, f. Verbum enim Anglicum *dawn auroram* significat.

Dea[i]: Dea, ae, f. Nomen, cuius perspicua est interpretatio, olim scribebatur *deira* vel *dera*; quod verbum, perinde ac *deus*, repetitur a prisca voce Indica-Europaea *déiuos*, in qua inest vis *lucendi*.

Deb[a] **Debby**[a]: bl. app. pro Debora; v. ibi.

Debora[i] **Deborah**[h] **Deberah**[a]: Debora, ae, f. Est vocabulum Hebraicum *debôrâh*, quo significatur *apis*.

Debald[ge]: v. *Teobaldo*.

Decio[i] **Decius**[a]: Decius, ii, m. Nomen, ut liquet, ductum est a *decem*; cf. prisc. Ind. *dása*; Graec. δέκα; Celt. *dek*; Goth. *taihun*; prisc. Germ. *zehan* (nunc *zehn*). Nomen Decii Oscorum sermone audiebat *Dekis* (Walde-Hofmann, I, p. 329).

Dedi[i]: bl. app. pro Adelaide; v. ib.

Dejanira[i]: Deianira, ae, f. Est nomen feminae fabularis, quod coaluit e verbis Graecis δήιος et ἀνήρ, quorum priore *hostilis*, altero *vir* significatur. Est ergo eius intepretatio: *femina viris hostilis* vel *cum viris pugnans*.

Deidamia[i]: Deidamīa, ae, f. Nomen hoc feminae fabularis compositum est, ut videtur, e verbis Graecis δήιος et δαμάω, quorum priore *hostilis*, altero *domo* significatur.

Deifobo[i]: Deiphŏbus, i, m. Hoc nomen, quo appellabatur filius Priami, structum est e verbis Graecis δήιος, cuius vis est *hostilis*, et φόβος quo *timor* significatur.

Delfina[i]: Delphina, ae, f.; cf. *Delfino*. Occurrit ut nomen muliebre in tit. apud Mommsen, n. 6528.

Delfino[i] **Dauphin**[g]: Delphinus, i, m. Est nomen piscis marini velocissimi et, ut veteres fabulantur, amici homini et musicae ac prae-

sertim hydrauli sono; cf. Plin. IX, 8; Gell. VII, 8, e. a. De S. Delphino, episcopo Burdigalensi, commemorat Paulin. Nol. *ep.* 2, 9, 15; *carm.* 30, 76. – (Mart. Rom. IX Cal. Ian.).

Delia[i] **Delia**[a]: Delia, ae, f. Nomen deductum est a voce *Delus*, qua appellabatur insula Maris Aegaei, apud antiquos religiosissima. A poetis Delia interdum vocatur Diana; cf. Verg., *Ecl.* III, 67; Ovid. *Her.* IV, 40, et XIX, 95; Tibull. IV, 3, 5. Est etiam nomen commenticium amicae Tibulli, quam carmine celebravit (I *Eleg.* 1, 2, 3, 5, 6) ac postea infidelem deseruit.

Delicia[a]: Delicia, ae, f. Romani puellam blande interdum *delicias* appellabant; nomen autem singulare Delicia, ae, quod Angli hac aetate usurpant, etiam antiquis erat usitatum; cf. C.I.L. III, 2161, ubi mulierem libertam eo videmus cognominatam.

Demetrio[i] **Demetrio**[h] **Demetrius**[a]: Demetrius, ii, m. Pertinet ad nomen deae Demetros, quod compositum est e vocibus δη (= γη), h. e. *terra*, et μήτηρ, h. e. *mater*; sed originem prioris partis alii aliter enodant. – (Mart. Rom. IV Id. Nov. e. a.).

Democrito[i] **Démocrite**[g] **Demokrit**[ge]: Democrĭtus, i, m. Nominis huius Graeci (δῆμος-κριτής) interpretatio est: *populi iudex*.

Demofonte[i]: Demophoon, ontis, m. Nominis huius Graeci, aliquot viris fabularibus impositi, interpretatio est: *populi occisor* (δῆμος-φονεύω).

Demostene[i]: Demosthĕnes, is, m. Nomen coaluit e verbis Graecis δῆμος et σθένος, atque adeo *robur populi* significat.

Den[a]: bl. app. pro Dionysio; v. *Dionigi*.

Denise[g]: Dionysia, ae, f.; cf. *Dionigi*. De hoc nomine commemorant Cic. *Rosc.* 8; Gell. I, 5, 3.

Denis[g] **Denis**[a] vel **Dennis**[a]: v. *Dionigi*.

Deodato[i] **Deodato**[h] **Deodatus**[a]: Deodătus, i, m. Hoc nomen, perinde ac *Theodotus*, significat *hominem datum a Deo*.

Deogracias[h]: Deogratias, m.; non inclinatur in casus. Hoc nomine imprimis insignis fuit episcopus Carthaginiensis, qui saeculo V fuit et ad quem S. Augustinus epistulam (102) dedit («fratri et conpresbytero Deogratias»). Nomen praeterea in veteribus titulis christianis occurrit; cf. Diehl, 2085, 2713 B adn. – (Mart. Rom., XI Cal. Apr.).

Derek[a] **Derrick**[a]: bl. app. pro Theodorico; v. *Teodorico*.

Desdemona[i]: Desdemŏna, ae, f. Est nomen e tragoedia, quam V. Shakespeare, poeta Britannus, *Othello* inscripsit, sumptum, ac videtur aliquo modo derivatum esse a verbo Graeco δυσδαίμων, ὁ, ἡ = *infortunatus, -a*; sed non agitur de originatione ad verae doctrinae rationem facta, quam ob rem praestat nomen quasi commenticium, ut est confictum, recipere.

Desiderata[i] **Désirée**[g]: Desiderata, ae, f.; v. *Desiderato*.

Desiderato[i] **Désiré**[g]: Desideratus, i, m. Quemadmodum considero «a

contemplatione siderum » dicitur (Paul. ex Fest. 223), ita desiderare idem valet atque *de caelo* (*sideribus*) *auspicari*, *petere*; cf. A. F. Pott, *Zeitschr. f. vergleich. Sprachforschung*, 26, p. 242; Walde-Hofmann, I, p. 263.

Desiderio[i] **Didier**[g]: Desiderius, ii, m. Quoad originationem, v. *Desiderato*. – (Mart. Rom. X Cal. Iun. e. a.).

Désirée[g]: v. *Desiderata*.

Desmond[a]: Desmondus, i, m. Derivatur a nomine tribus Hiberniae.

Detlev[ge]: v. *Theodulf*.

Detta[i]: bl. app. pro Benedicta; v. *Benedetta*.

Devota[i]: Devota, ae, f. Devotus, ut liquet, est participium verbi devovendi, atque primo idem valet ac *detestandus*, *exsecrabilis*, deinde *deditus*, *fidelis*, *oboediens*, demum apud Christianos idem ac *pius*, quae significatio nominis Devotae propria est.

Diamantina[i]: Adamantĭna, ae, f. Est quidem *adamantina*, si rem diligenter consideras, adi. generis feminini ad verbum *adamas*, *antis*, pertinens, sed ut nomen muliebre hic usurpatur. Apud veteres invenitur nomen virile *Adamas*; cf. Iren. I, 29, 3: « Emittit Autogenes hominem perfectum et verum, quem et Adamantem vocant »; C.I.L., II, 1165, III, 1028, VI, 7006. Praeterea non raro occurrit nomen *Adamantius*, *ii*. Verbum adi. *adamantinus*, *a*, *um*, apud Lucretium, Plinium, Horatium, Propertium scriptum videmus. Cum adamas sit lapis maximi inter gemmas pretii, perspicua est nominis Adamantinae significatio.

Diana[i] **Diane**[g] **Diana**[a]: Diana, ae, f. Missis veterum originationibus (cf. Varr. *L. L.* X, 68: a *Divia*, unde quasi *Diviana*, quia *duplici via* procedit; Cic. *nat. deor.* II, 27, 69, quia noctu quasi diem efficit), nomen derivatum esse videtur a *diuios* (h. e. *divus*), ita ut antiquitus audiret *divia-na*; cf. F. Solmsen, *Studien zur lat. Lautgesch.*, Strassburg 1909, p. 111 sq. Hoc nomen deae etiam mulieribus e vulgo imponebatur; cf. C.I.L. I, 1242.

Dick[a] **Dickie**[a] **Dicky**[a]: bl. app. ab Anglis pro Richardo usurpatae; v. *Riccardo*.

Didaco[i] **Didace**[g]: v. *Diego*.

Didier[g]: v. *Desiderio*.

Didière[g]: v. *Désirée*, *Desiderata*.

Dié[g]: v. *Deodato*.

Diego[i] **Diègue**[g] **Diego**[h]: Didăcus, i, m. Certa origo huiusce nominis, Hispanorum proprii, nos latet. Omnino reicienda est opinio Ernesti Wasserzieher, p. 97, qui id putat esse corruptum nomen *Santiago* (h. e. *Sanctus Iacobus*); nec probanda videtur sententia, ex qua sit verbum Graecum διδαχή (h. e. *doctrina, disciplina*), masculino genere expressum. Fortasse, ut C. Tagliavini, p. 389, defendit, nomen derivandum est a fonte Hiberico (non Latino-Hispano). Recensetur in Mart. Rom. Id. Nov.

Dietbald[ge]: v. *Tebaldo*.

Dietbert[ge]: v. *Teodeberto*.

Dietberta[ge]: Theodeberta, ae, f.

Coaluit e priscis vocabulis Germanicis *theuda* et *bert* (*beraht*), quae idem valent ac *gens* et *clarus*. Quae igitur *clara est apud suam gentem*, hoc nomine appellatur.

Dietbrand[ge]: Theodebrandus, i, m. Nomen compositum est e priscis verbis Germanicis *theuda*, quo gens significatur, et *brand*, cuius vis est *ignis* ac praesertim *gladius micans*.

Dieter[ge] **Diether**[ge]: v. *Teodorico*.

Dietger[ge] **Dittger**[ge]: v. *Theodegar*.

Diethard[ge] **Dietert**[ge] : Theodardus, i. m. Nomen structum est e verbis Germanicis *theuda* et *hard*, quorum priore *gens*, altero *fortis*, *audax* significatur.

Diethilde[ge]: Theodildis, is, f. Huius nominis Germanici, compositi e *theuda* et *hild*, interpretatio est : *bellatrix pro populo*.

Diettinde[ge]: v. *Teodolinda*.

Dietmar[ge]: v. *Theodemar*.

Dietmund[ge]: Theodemundus, i, m. Nomen coaluit e verbis Germanicis *theuda*, cuius vis est *gens*, et *mund*, quo *praesidium*, *munimen* significatur. Est ergo Theodemundus quasi *defensor* seu *praesidium populi*.

Dietrich[ge]: v. *Teodorico*.

Dieudonné[g]: Adeodătus, i, vel Deusdĕdit, m. Ad prius nomen quod attinet, v. *Adeodato*. Alterum, quod, ut liquet, in casus non inclinatur, frequentabatur prisca Christianorum aetate ; cf. Diehl, 1144 adn., 1286 adn., 1925, 1414, 3760, 4560 ; 1195 : « hic levitarum primus in ordine vivens — Davidici cantor carminis iste fuit... iustitiae cultor, vitae servator honestae — pauperibus dives, sed sibi pauper erat. — Ecce Deusdedit nomen qui forte gerebas, — ecce Deus dedit regna beata tibi ». Quo in titulo, memoriae pii probique lectoris posito, in verbi *dedit* paenultima syllaba licenter producitur. Summi autem Pontificis Deusdedit sollemne in Mart. Rom. VI Id. Nov. recensetur.

Dilia[ge]: bl. app. pro Odilia ; v. ib.

Dina[i] **Dinah**[a]: Dina, ae, f. Nomen vulgare *Dina* plerumque est blanda appellatio pro *Bernardina*, *Albertina*, *Leopoldina* e. s. ; est autem etiam nomen Dina, a fonte Hebraico ductum (*dînâh*, h. e. *iudicata*), quo appellabatur filia Iacobi et Liae (*Gen.* XXI) ; apud Sept. Interpretes legitur : Δείνα.

Dino[i]: est quidem nomen vulgare Italicum *Dino* plerumque blanda appellatio pro *Aldobrandino*, *Bernardino*, *Corradino*, *Gherardino*, *Orlandino*, *Rinaldino* e. s.; tamen interdum vim nominis proprii obtinet. Quod cum accidit, haud improbaverim eum, qui scribat : *Dinus, i.*

Dioclecio[h]: Diocletius, ii, m. Nomen coaluit e verbis Graecis Διός et κλητός (a καλέω), quorum altero *Iupiter* (c. gen.), altero *vocatus*, *desideratus*, *exspectatus* significatur.

S. Diocletii, martyris in urbe Auximo, sollemne V Id. Mai. in Mart. Rom. recensetur.

Diodato[i]: v. *Deodato*.

Diodoro[i] **Diodore**[g]: Diodorus, i, m. Hoc nomine significatur *Iovis* (Διός) *donum* (δῶρον). - (Mart. Rom. IV Cal. Mart. e. a.).

Diogene[i]: Diogĕnes, is, m. Hoc

nomen, quo significatur *Iove genitus*, coaluit ex Διός et verbo primigenio γεν. – (Mart. Rom. VIII Id. Apr.).

Diomede[i]: Diomedes, is, m. Nominis, a Διός et μῆδος ducti, interpretatio est: *Iovis cura* vel *consilium*. – (Mart. Rom. postr. Cal. Sept.).

Diomira[i]: Theodemira, ae, f. Est nomen Germanicum, conflatum e *theuda* (= *gens*, *populus*) et *mar* (*mir*), cuius vis est *clarus*, *a*. Cf. *Theodemar*.

Dionisia[h]: v. *Denise*.

Dionigi[i] **Denis**[g] **Dionisio**[h] **Denis**[a] **Dionys**[ge]: Dionysius, ii, m. Nomen, apud veteres scriptores et in titulis saepe occurrens, petitur a Dionyso, qui praeesse putabatur naturae et laetitiae. – (Mart. Rom. VIII Id. Oct. et alias).

Dioscoride[i]: Dioscorĭdes, is, m. Hoc nomine significatur *filius* vel *puer* (κόρος, Ion. κοῦρος; cf. Lat. *creo*, *cresco*) *Iovis* (Διός); apud Graecos, a quibus nomen Romani acceperunt, ponitur Διοσκορίδης vel Διοσκουρίδης. Ut facile intellegitur, veteres hanc appellationem coniunxerunt cum nomine Dioscurorum.

Dioscorides nuncupati sunt, praeter alios, sculptor insignis, qui Augusti floruit aetate, medicus e Cilicia a Galeno laudatus, vir Aegyptius, legatus, de quo Caesar in *Bello civili*, III, 109, commemorat. Invenitur etiam in titulis; cf. C.I.L. III, p. 131: « Aelia Tullia Quinta viva sibi et marito suo Dioscuride... ». – (Mart. Rom. VI Id. Mai., V Cal. Iun.).

Diosdado[h]: bl. app. ab Hispanis pro Adeodato vel Deusdedit usurpata; v. *Adeodato* sive *Dieudonné*.

Diva[i]: Diva, ae, f. Hoc nomen nostra aetate, qua homines, quod rarum est et inauditum, expetere solent, et feminae artis cinematographicae peritae plus aequo existimantur (divae ab Italis appellantur), invaluit. Ad originationem quod attinet, v. *Dea*.

Dodo[a]: bl. app. pro Dorothea; v. *Dorotea*.

Dolce[i] **Dolcina**[i]: Dulcis, is., f. Hoc nomen, cuius significatio perspicua est, puellae impositum invenitur in *Anthologia Latina*, p. prior., 381: « Sic ego nunc, Dulcis, diro sum captus amore ». Cf. etiam veterem titulum Iudaicum apud Diehl, 4911.

Pro *Dolcina* vero, ut blandius dicitur, poni potest Latine: Dulcinia, ae, f., quod nomen in C.I.L. II, 127 scriptum legimus.

Doll[a] **Dolly**[a]: bl. app. pro Dorothea; v. *Dorotea*.

Dolores[h]: Maria Perdŏlens, entis, vel Maria Dolorosa, ae, f.

Doloritas[h]: bl. app. pro *Dolores*; v. ib.

Domenica[i] **Dominga**[h] **Dominika**[ge]: Dominĭca, ae, f.; cf. *Domenico*. – (Mart. Rom. prid. Non. Iul.).

Domenico[i] **Dominique**[g] **Domingo**[h] **Dominic**[a] **Dominik**[ge]: Domĭnicus, i. m. Uti liquet, hoc nomine significatur is, *qui pertinet ad dominum*, seu ad eum, qui *domui* praeest et in familiam imperium habet. – (Mart. Rom. prid. Non. Aug. e. a.).

Domitilla[i] **Domitille**[g]: Domitilla,

ae, f. Est nomen Domitiae, cui adiuncta blanda terminatio.

Domizia[i]: Domitia, ae, f. Nomen videtur esse derivatum a verbo *domandi* (*domitus*); cf. prisc. Ind. *damyati*, h. e. *mansuetus est*; Graec. δαμάω, h. e. *domo*; Goth. *gatamjan*, h. e. domare; prisc. Germ. *zamjan*, h. e. *domare*; Germ. rec. *zahm*, h. e. *mansuetus*.

Don[a]: bl. app. pro Donaldo; v. *Donald*.

Donald[a]: Donaldus, i, m. Nomen ductum est a vocabulo Celtico *Domhnall*, quo significari videtur *orbis terrarum rector*; cf. Partridge, p. 92.

Donatella[i]: Donatilla, ae, f. Blandum hoc puellae nomen scriptum videmus in veteribus titulis christianis; Diehl, 2042, 2043, 3721, 3243.

Donatello[i]: Donatillus, i, vel Donatŭlus, i, m. Prior scribendi ratio frequentatur in C.I.L., altera legitur apud Dessau, 1198; cf. *Donato*.

Donatina[i]: Donatilla, ae, f.; v. *Donatella*.

Donato[i] **Donat**[g] **Donato**[h] **Donat**[ge]: Donatus, i. Nomen ductum est, ut liquet, a verbo *donandi*, quod pertinet, perinde ac *dos* et *donum*, ad vocem *do* (*dare*); eo ergo significatur puerum *donatum* esse a Deo; cf. *Adeodatus*, *Theodorus*, *Nathanael*. – (Mart. Rom. prid. Non. Febr. e. a.).

Doné[h]: bl. app. ab Hispanis pro Dionysio usurpata; v. *Dionigi*.

Donnino[i]: Domninus, i, m. Verba dominus in *Lege agr.* et domina iam saec. I p. Ch. n. imminuta sunt ut audirent *domnus*, unde derivatum est nomen *Domninus*, et *domna*. Cf. Walde-Hodmann, I, p. 367. – (Mart. Rom. XII Cal. Mai. e. a.).

Dora[i] **Dora**[ge]: bl. app. pro Dorothea; v. *Dorotea*.

Dori[a]: bl. app. ab Americanis pro Dorinda usurpata; v. ib.

Dorina[i]: bl. app. pro *Dora*; v. *Dorothea*.

Dorinda[i] **Dorinda**[a]: Dorinda, ae, f. Est nomen commenticium, derivatum fortasse a Dorothea.

Doris[i] **Doris**[a]: Doris, ĭdis, f. Cas. gen. exit etiam in *-idos*; acc. plerumque in *-ida*. Est quidem Doris idem quod Dorica seu Doriensis; cf. Suet. *Tib.* 56: «Doris dialectus»; Verg. *Culex* 335; Sen. *Herc. f.* 81. Tamen antiquis etiam temporibus feminis imponebatur, veluti filiae Oceani ac Tethyos, uxori Nerei (cf. Ovid. *Met.* XIII, 742), Nereidi cuidam, uxori Herodis, matri Antipatri, amicae Propertii e. a.

Fieri autem potest ut *Doris*, praesertim apud Britannos, sit deminutum nomen Dorotheae; v. *Dorotea*.

Dorotea[i] **Dorothée**[g] **Dorotea**[h] **Dorothy**[a] **Dorothea**[ge]: Dorothĕa, ae, f. Coaluit e verbis Graecis δῶρον vel δωρεά et θεός, unde Latine redditur: *donum Dei*. – (Mart. Rom. VIII Id. Febr. e. a.).

Dorothée[g] **Dorothy**[a] **Dorothea**[ge]: v. *Dorotea*.

Doroteo[i]: Dorothĕus, i, m.; v. *Dorotea*. – (Mart. Rom. V Cal. Apr.; Non. Iun.; V Id. Sept.).

Dosolina[i]: Dosolina, ae, f. Videtur esse nomen commenticium; est autem qui arbitretur a *Desolata* id fortasse derivatum esse (Tagliavini).

Dot[a] **Dotty**[a]: bl. app. pro Dorothea usurpata ; v. *Dorotea*.

Douglas[a]: Duglasius, ii, m. Nomen, Scotorum proprium, ductum est a fonte Celtico ; cuius e sermonis ratione significare videtur *obscurum fluvium* ; cf. Partridge, p. 94.

Drusilla[i] : Drusilla, ae, f. Nomen derivatum est, blanda terminatione adiuncta, a Druso, seu, secundum priscam appellandi rationem, a Drauso (cf. Suet., *Tib.* 3, 2). Drusus vero, ut est apud Gloss., Lindsay, I, 188, idem valet ac *patiens* aut *rigidus* aut *contumax*, atque adeo idem quod *durus*.

Duarte[h]: Eduardus, i, m. Vulgare hoc nomen, paulum detortum, derivatum est ab *Huerte* cum praepositione, ex usu Vasconici sermonis, ipsumque idem valet atque *Eduardus*. Cf. Ruy de Pina, *Chronica do senhor rey D. Duarto* (= Eduardus, rex Lusitaniae, 1391-1438). Ad significationem quod attinet, v. *Eduardo*.

Dubislaw: Dubislaus, i, m. Hoc nomen originis Slavicae e duobus compositum est verbis, quibus Latine *quercus* et *gloria* significantur.

Duccio[i] : Duccius, ii, m. Est blandum nomen, in Tuscia praesertim usitatum, scilicet extrema pars vulgaris nominis *Balduccio*, *Bernarduccio*, *Tebalduccio*, *Andreuccio*, *Gherarduccio*, *Orlanduccio* e. s. ; sed iam saeculo XIII et XIV Florentiae vim nominis proprii, etiam ad sermonis Latini rationem conformati, obtinuit (*Duccius*).

In C.I.L., V, 6908, scriptum quidem videmus nomen *Ducii* (*Ducius*), sed non pertinet ad rem.

Dugald[a]: Dugaldus, i, m. Nominis huius Celtici est haec fere interpretatio : *alienigena fuscus* ; cf. Partridge, p. 95.

Duilio[i] : Duilius, ii, n. De hoc nomine commemorat Cic. *Orat.*, 45, (153) : « Hominum etiam nomina contrahebant, quo essent aptiora ; nam ut duellum bellum et duis bis, sic Duellium Bellium nominaverunt, cum superiores appellati essent semper Duelli ». Cf. etiam Quintil. I, 4, 15.

Haec autem originatio non videtur ad verae doctrinae rationem facta esse, sed popularem nominis explicandi redolet modum.

Dulce[a] **Dulcie**[a] **Dulcia**[a]: Dulcis, is, f. V. *Dolce*.

Duncan[g]: Duncanus, i, m. Hoc nomen Celticum ductum esse videtur aut a *Donnachu*, cuius vis est *bellator fuscus*, aut a *Donncean*, quo *caput fuscum* significatur ; cf. Partridge, p. 96.

Dunstan[a]: Dunstanus, i, m. Nomen pertinet ad sermonem Anglorum et Saxonum, e cuius ratione *rupem collis* (*dun-stan* ; cf. *stone*) significat. – (Mart. Rom. XIV Cal. Iun.).

Durante[i] : Durandus, i, m. Nomen deductum est a verbo *durandi*, atque adeo *virum constantem* significat ; cf. *Dante*.

E

Eaco[i]: Aeăcus, i, m. C. acc. exit saepe, more Graeco, in *-on*; cf. Ovid. *Met.*, IX, 405, 440; XIII, 573. Nomen, quod nonnulli ab αἶα (= *terra*) derivant, quoque appellatus es filius Iovis ex Europa vel Aegina, scriptum videmus, ut viris inditum, in C.I.L. III, 13344; IV, 1327.

Eamon[a]: Edmundus, i, m. V. *Edmondo.*

Easter[a]: Paschalina, ae, f. Nomen vulgare *Easter*, quo Pascha significatur, Angli interdum puellis imponunt, tempore augusto, quo Christi anastasis recolitur, in lucem editis.

Ebe[i] **Hebe**[a]: Hebe, es, f. Nomine Ἥβη signatur dea iuventutis seu Iuventas, filia Iovis et Iunonis.

Eberhard[ge]: v. *Everardo.*

Eberharde[ge] **Eberhardine**[ge]: Eberarda, ae, f. Cf. *Everardo.*

Ebermund[ge]: Ebermundus, i, m. Coaluit e verbis Germanicis *ebur*, quo *aper* significatur, et *mund* (cf. Graec. μύνη; Lat. *munio*; Germ. rec. *Vormund*, h.e. *tutor*), quod idem valet ac *praesidium*, *tutamentum*. Est ergo nominis interpretatio *aper tutans.*

Ebermut[ge]: Ebermodus, i, m. Nomen structum est e verbis Germanicis *ebur* (= *aper*) et *môda* (Goth. *môds*, Germ. rec. *Mut* = *animus alacer*, *fortis*). Hoc nomine appellatus est vir Ostrogothus, qui fuit saec. VI; cf. Procop.: Ἐβριμούθ.

Eberto[i] **Ebert**[ge]: v. *Everardo.*

Eckehard[ge]: Echardus, i, m. Nomen compositum est e verbis Germanicis *ekka* (apud Scandinavos audiebat *egg*; est autem vox primitiva *ag*), et *hard*, quorum priore *acies gladii*, altero *strenuus*, *fortis* significantur; cf. Förstemann, p. 14.

Ed[a]: bl. app. ab Anglis pro Edgario, Edmundo, Eduardo, Eduino usurpata; v. haec nomina suis locis.

Edda[i] **Eda**[ge] **Edda**[ge]: Edda, ae, vel Eda, ae, f. Verbo Germanico *ed*, *ead* (apud Anglos et Saxones) vel *auda*, *ôd*, *ôt*, significatur *possessio* (cf. *allod*, h. e. *tota possessio*). Haec igitur est vis, quae in nomine Edda inest, quod videtur esse prior pars vocabuli Edithae, vel Hedvigis vel Edbertae vel Eduinae. Cf. Wasserzieher, p. 70.

Edbert[ge]: Edbertus, i, m. Nomen compositum est e priscis verbis Germanicis *ed* vel *ead*, ut Angli et Saxones appellabant, vel *auda*, *ôd*, *ôt*, ut apud ceteros Germanos audiebat. atque ex *bert* (*berath*); quorum priore

significatur *possessio*, altero *fulgens*, *splendidus*. Est ergo nominis interpretatio: (vir) *possessione sua clarus*. In Mart. Rom. prid. Non. Mai. recensetur S. Eadbertus, Episcopus Lindsfarnensis. Cf. *Otbert*, h. e. eiusdem nominis Edberti alia scribendi ratio.

Edberta[ge] : Edberta, ae, f. Cf. *Edbert*.

Edgar[g] **Edgar**[a] **Edgar**[ge] : Edgarius, ii, m. Quod ad priorem nominis partem (*ed*) attinet, cf. *Edda* et *Edbert*; altera pars est priscum verbum Germanicum *gar* (*gari*), quo *iaculum* significatur (nunc audit *Ger*). *Qui* ergo *iaculo possessionem suam defendit*, est nominis huius interpretatio, quod alio modo scribitur *Otger* vel *Otker*.

Edgardo[i] **Edgardo**[h]: Edgardus, i, m. Nomen conflatum est e verbis Germanicis, seu sermonis Anglorum Saxonumque propriis *ed* (cf. Germ. *auda*, *ôd*, *ôt*) - *gard*, quorum priore *possessio* significatur, altero *circumsaepire*, *tueri* (cf. Angl. *garden*; Germ. *Garten*, h. e. *hortus*; It. *guardare*, *guardia*). Interpreteris igitur: *custos* seu *defensor possessionis*.

Apud Germanos idem nomen olim audiebat: *Autgart* (cf. *Codex Laureshamensis*, n. 2514), vel *Otgart* (ib.).

Edia[i] : Hedīa, ae, f. Est adi. Graecum ἡδεῖα, quo *dulcis* significatur. Hoc nomen antiquis iam temporibus imponebatur feminis, ut est apud Plin., X, *ep.* 4 (Antonia Hedia, liberta Antoniae Maximillae); C.I.L., VI, 19171 (*Hedeia*), 2130.

Edie[a]: bl. app. pro Editha usurpata; v. ib.

Edilio[i] : Hedylus, i, vel Hedylius, ii, m. Nomen deductum est ab ἥδυλος = *dulciusculus* (ἡδύς). Nomen *Hedylus, i*, in titulis scriptum legimus; cf. C.I.L., V, 4236; X, 4645, non autem *Hedylius, ii*, sed non perperam novatur; cf. nom. mul. in titulis *Hedulio*, *Hedulis*, *Hedulium*.

Edio[i] : Hedius, ii, m. Nomen ductum est ab adi. Graeco ἡδύς. Recensetur in nonnullis veteribus litterarum monumentis; cf. C.I.L., II, 4124; III, 26; Ulp., *Dig.* 50, 2; 3.

Edipo[i] : Oedĭpus, i, vel ŏdis, m.; c. gen. more Graecorum (Oedipodis) est apud Cic., *Fin.* V, 1. De originatione alii aliter sentiunt, rectius autem derivandum videtur nomen ab οἰδέω (οἰδάω), quod idem valet ac *tumeo*, et a πούς, ποδός, quo *pes* significatur, ita ut, qui eo appelletur, sit quasi *tumidos pedes* habens.

Editta[i] **Edita**[h] **Edith**[a] **Edith**[ge]: Editha, ae, f. Hoc nomen, ab Anglis Saxonibusque petendum, quo appellata est uxor Ottonis I Imperatoris, ad haec prisca verba Germanica revocatur: ad *êd* (*ead*; ita enim apud Anglos Saxonesque audiebat; cf. *ôd*, *ôt*) et *gydh* vel *gudh* (cf. *gund*), quorum priore *possessio*, *felicitas*, altero *proelium* significatur.

Edmea[i]: Edmaea, ae, f. Est nomen commenticium, aetate nostra, novorum et inauditorum nominum cupida, invectum. Fieri tamen potest, ut prior pars a fonte Germanico seu Anglico-Saxonico sit de-

rivata, i. e. ab *ead* (= *auda*, *ôd*), cuius vis est *possessio*, *divitiae*. Quod quidem verbum in pluribus nominibus, veluti in Edmundo, Edgardo, deprehenditur.

Edmondo[i] **Edmond**[g] **Edmundo**[h] **Edmond**[a] **Edmund**[ge]: Edmundus, i, m. Nomen effectum est priscis verbis Germanicis *êd* (vel *auda*, *ôd*, *ôt* ; apud Anglos et Saxones *ead*) et *mund*, quorum priore *possessio hereditaria*, altero *munitio*, *praesidium* significantur. Est ergo interpretatio : *tutor possessionis hereditariae*. In veteribus diplomatibus (cf. *Bull. Rom.*, 1693, I, p. 130 sq.) et in Mart. Rom. (XII Cal. Dec.) scriptum legimus etiam nomen *Eadmundi*. Cf. praeterea *Otmund*.

Edmonda[i] : Edmunda, ae, f. ; v. *Edmondo*.

Edna[i] **Edna**[a]: Edna, ae, f. Hoc nomine, quod mulieribus recentiore aetate interdum imponitur, appellabatur, ut est apud apocryphos, mulier viri ex Antiquo Testamento cogniti Henoch. Cf. Librum Henoch, i. e. F. Martin, *Le livre d'Hénoch traduit sur le texte éthiopien*, Paris 1906, p. 198 : « Avant de prendre ta mère Edna, je vis une vision sur ma couche... » (= antequam matrem tuam Ednam ducerem uxorem, speciem in lectulo vidi per somnum oblatam). In eodem libro Henoch uxor eius appellatur etiam Ednî ; cf. op. mem., p. CVIII.

Edo[i]: Hedus, i, m. Quemadmodum liquet, nomen est verbum Graecum ἡδύς (= *suavis*, *dulcis*) in Latinam rationem translatum. Scriptum id videmus in C.I.L. X, 3693, 6823.

Edoardo[i] **Edouard**[g] **Eduardo**[h] **Edward**[a] **Eduard**[ge]: Eduardus, i, m. Quoad priorem nominis huius Germanici partem (*êd*, *ead*, *auda*, *ôt*), cf. *Edmondo* ; altera deducta est a *wart* (*ward*), in quo inest vis *custodiendi*. Est ergo nominis interpretatio : *custos possessionis hereditariae*. – (Mart. Rom. Non. Ian., XV Cal. Apr.).

Eduardo[h] **Eduard**[ge]: v. *Edoardo*.

Edvige[i] **Edwige**[g] **Eduvigis**[h] **Hedwig**[ge]: Hedvigis, is, f. Hoc nomine Germanico quod olim *Hadwig* audiebat, bis *proelium* significatur. Est enim compositum ex *hadu* (*had* ; cf. Germ. rec. *Hader*) et *wig* (*wic* ; cf. Germ. rec. *weigern*), quorum utrumque idem valet ac *pugna*, *proelium*, Est ergo nominis interpretatio : *femina bellica laude praestantissima*. – (Mart. Rom. Id. Oct. vel XVI Cal. Nov.).

Edward[a]: v. *Edoardo*.

Edwina[ge]: Eduina, ae, f. ; v. *Edwin*.

Edwin[a] **Edwin**[ge]: Eduinus, i, m. Quoad priorem nominis partem, v. *Edmondo*. Altera effecta est prisco verbo Germanico *win*, quo *amicus* significatur. Est ergo nominis interpretatio : *amicus possessionis hereditariae*.

Effie[a]: bl. app. pro Euphemia ; v. *Eufemia*.

Efisio[i]: Ephisius, ii, m. Nomen fortasse ductum est ab ἔφισος, quod saepe pro ἔπισος (= ἴσος, h. e. *aequalis*) usurpatur ; cf. H. Stephan., *Thes. Graec. Lingu.* s. v. Alii autem

opinantur hanc esse aliam scribendi rationem nominis 'Εφέσιος (*Ephesius*), quo civis urbis Ephesi significatur.– (Mart. Rom. XVII Cal. Febr.).

Efraim[i] **Ephraim**[g] **Efrén**[h] **Ephraim**[a] **Ephrem**[ge]: Ephraimus, i, m., vel Ephraim vel Ephraem sine postrema syllaba Latina. Nomen derivatur a fonte Hebraico : *'ephraim*, qua voce secundum alios *pulvis* vel *terra* vel *fructificatio duplex* significatur ; cf. On. Perin. – (Mart. Rom. IV Non. Mart., XIV Cal. Iul.).

Efrem[i]: v. *Efraim*.

Egberta[ge] **Egbertine**[ge]: Egberta, ae, f. V. *Egberto*.

Egberto[i] **Egberto**[h] **Egbert**[a] **Egbert**[ge]: Egbertus, i, m. Nomen coaluit e priscis verbis Germanicis *eg* (*ekka*, *agi*), quo *acies teli* seu *gladii* significatur, et ex *bert* (*beraht*), quod idem valet ac *fulgidus*, *clarus*. – (Mart. Rom. VIII Cal. Mai.).

Egesippo[i] **Hégésippe**[g] **Hegesipo**[h] **Hegesipp**[ge]: Hegesippus, i, m. Ducitur a verbis Graecis ἡγέομαι et ἵππος, atque adeo *ductorem equorum* significat.

Egidio[i] **Gille**[g] **Egidio**[h] **Giles**[g] **Aegid**[ge]: Aegidius, ii, m. Nomen ductum est a Graeco vocabulo αἴξ, αἰγός, quo *capra* (αἰγίδιον = *capella*) et, per translationem, *fluctus vehemens* significatur. Sunt autem qui derivent ab αἰγίς, αἰγίδος, quae vox idem valet atque *scutum quernum* (cf. prisc. Germ. *eih* ; Germ. rec. *Eiche*, h. e. *quercus*) ; atque etiam Latine Iovis et Minervae scutum *aegis* appellatur. S. Aegidii sollemne Cal. Sept. in Mart. Rom. recensetur.

Egina[i]: Aegina, ae, f. Est nomen nymphae, filiae Asopi, de qua veteres scriptores commemorant ; Graece scribitur Αἴγινα vel Αἰγῖνα (ab αἴξ, αἰγός, h. e. *capra*).

Eginhard[ge] **Einhard**[ge]: v. *Eckehard*.

Egisto[i]: Aegisthus, i, m. Hoc nomine, quod ductum esse videtur ab αἴξ, αἰγός (*capra*), appellatus est filius Thyestis ; cf. Cic., *Nat. deor.* III, 39, 91. Id vero etiam aliis viris imponebatur ; cf. C.I.L. VI, 33, 136 et alibi.

Egle[i]: Aegle, es, f. Est nomen nymphae, filiae Iovis et Neaerae, ita appellatae ab αἴγλη, quo verbo *fulgor*, *splendor* significatur ; cf. Verg. *Ecl.* VI, 20-22 : « addit se sociam timidisque supervenit Aegle, — Aegle Naiadum pulcherrima, iamque videnti — sanguineis frontem moris et tempora pingit ». Aliae quoque mulieres fabulosae hoc nomine vocabantur.

Egmond[a] **Egmont**[a] **Egmund**[ge]: Egmundus, i, m. Nomen coaluit e verbis Germanicis *eg* (*ekka*, *agi*), quo *acies gladii* vel *gladius* ipse significatur, et *mund*, quod idem valet ac *munitio*, *praesidium*. *Qui* ergo *gladio tuetur*, hoc nomine appellatur.

Egone[i] **Egon**[ge]: Egĭno, onis, m. Nomen effectum est prisco verbo Germanico *agin*, quod ab *ag* deductum est, quoque *acies gladii* significatur ; Förstemann, p. 36. Nomen Eginonis frequentatur in litterarum monumentis media aetate conditis (M. G.H.).

Ehrenfried[ge]: Erenfridus, i, m. Nomen effectum est verbis Germanicis

era (nunc audit *Ehre*), quo *honor* significatur, et *frid*, cuius vis est *circumsaepio*, *munio*, *tueor*. *Qui* ergo *honorem tuetur*, hoc nomine appellatur. Fieri autem potest, ut prior pars non sit *era* sed *arn*, quo *aquila* significatur. Cf. Wasserzieher, p. 32.

Ehrenreich[ge]: Erenricus, i, m. Est idem nomen atque Erici (v. *Erico*) ; occurrit in M.G.H., *Script.* X, p. 319.

Ehrentraud[ge]: Erentrudis, is, f. Nomen compositum est e verbis Germanicis *arn* (*arin*, *erin*), quo *aquila* significatur, et *trude* (*drude*), quo *mulierem virtute praestantem* seu *sagam* appellabant.

Eilhard[ge] **Ehlert**[ge]: Agilardus, i, m. Quemadmodum liquet, nomen a fonte Germanico est derivatum : ab *agil*, quo *acies gladii* significatur (ab *ag*), et ab *hard*, cuius vis est *fortis*, *strenuus*.

Eileen[a]: v. *Elena*.

Elain[a] **Elaine**[a]: v. *Elena*.

Elda[i]: v. *Ilda* ; est enim *Elda* parce detortum a verbo Germanico *hild*, quo *proelium* significatur (Hilda, ae, f.).

Eleazaro[i] **Eleazar**[a]: Eleazarus, i, m. Hebraice audit *El-azar*, h. e. *quem Deus adiuvit*. – (Mart. Rom. IX Cal. Sept.).

Elena[i] **Hélène**[g] **Elena**[h] **Helen**[a] **Helene**[ge]: Helĕna, ae, f. Appellatur ab ἕλη, cuius vis est *splendor*, vel a voce ἑλάνη, quae idem valet ac *fax* ; cf. prisc. Ind. *svarati*, h. e. *illuminat* ; Lat. *sol* ; Germ. *schwelen*, h. e. *lente ardere*. Priscus 'Ελένης scribendae modus est *F*ελενα ; quae omnia repetuntur a communi voce primitiva Ind.-Europ. *swel*. Filiae Iovis, aliisque mulieribus hoc nomen ab antiquis impositum est, ac praesertim matri Constantini, quae diversitoris filia (*mulier stabularia*, Ambros. *de obitu Theod.* 42), « virtutum splendore » inclaruit. – (Mart. Rom. XIV Cal. Aug.).

Eleno[i]: Helĕnus, i, m. Quoad originationem huius nominis, quo appellatus est filius Priami, v. *Elena*.

Eleonora[i] **Eléonore**[g] **Leonor**[h] **Eleanor**[a] **Eleonore**[ge]: Eleonora, ae, f. Nomen, parce detortum, derivatur a sermone Arabum, ab *Ellinor* vel *Alinor*, cuius vis est *Deus lux mea*.

Eletta[i]: Electa, ae, f. Derivatur, ut liquet, a verbo *eligendi*.

Elettra[i] **Elektra**[ge]: Electra, ae, f. Hoc nomen, quo appellabatur mater Atlantis, ducitur a voce ἤλεκτρον, quod Latine *sucinum* audit ; quod verbum Graecum cognatione coniunctum est cum ἠλέκτωρ, quo *sol splendens* significatur ; cf. Lat. *vulcanus ;* ἠλέκτωρ enim derivatur ab ἠ - *F*λεκτωρ (*F*λεκ - *F*ελκ).

Eleuterio[i] **Eleuthère**[g]: Eleutherius ii, m. Nomen deductum est ab adiectivo ἐλεύθερος, quo *liber* significatur, seu potius ab 'Ελεύθερος, cognomento Dionysi, quem et Romani Liberum appellabant. – (Mart. Rom. IX Cal. Mart. e. a.).

Elfriede[ge]: Elfrida, ae, f. Nomen hoc Germanicum coaluit ex *alf* vel *elf*, quo verbo signabantur *genii homini amici* (*Elfen*, *elfi*), et e *frid*, cuius vis est *munitio*, *defensio*. Est ergo nominis interpretatio: *quae a*

geniis, qui vulgo Elfen appellantur, defenditur.

Elia[i] **Elie**[g] **Elías**[h] **Elias**[a]: Elias, ae, m. Nomen deductum est a verbis coniunctis Hebraicis *El iyajahu*, quibus significatur: *meus magnus Dominus.* – (Mart. Rom. XIII Cal. Aug., XIII Cal. Oct. e. a.).

Eliana[i] **Eliane**[g]: Aeliana, ae, f. Cf. *Elio, Eliano.* Nomen occurrit in titulis; cf. C.I.L. VI, 34655, X, 5672, e.a.

Eliano[i]: Aelianus, i, m. Nomen ab Aelio ductum (v. *Elio*), haud raro scriptum videmus in veteribus litterarum monumentis; cf. Eutrop. IX, 20; Aur. Vict. *Caes.*, 39, e.a. et in titulis; cf. C.I.L. III, 14077; X, 3677.

Elide[i]: Elēis, ĭdis, f. Ita Latine reddendum videtur vulgare nomen *Elide*, quod Itali puellis interdum imponunt. Est autem Eleis idem atque *ad Elidem pertinens*; cf. Verg. *catal.* 11, 32. Elis autem appellatur parva regio Peloponnesi, propter Olympia, quae quinto quoque anno ibi celebrabantur, in lucem famamque provecta. Quod verbum derivatum est a *Ϝαλις* (Dores Elidem appellabant Ἆλιδα); cf. Lat. *vallis*; Boisacq, p. 321. Perperam a quibusdam inducitur nomen *Helis, idis,* quo apud Martialem, I, 34, appellatur meretrix notissima. Agitur enim de nomine corrupto, rectiusque in exemplaribus ad criticam rationem exactis eo legitur loco: « A Chione saltem vel ab Iade (non: Helide) disce pudorem ».

Eligio[i] **Eloi**[g] **Eloy**[h] **Eligius**[ge]: Eligius, ii, m. Nomen deductum est a verbo *eligendi* (« electus a Deo »). – (Mart. Rom. Cal. Dec.).

Elihu[a]: v. *Elia.*

Elijah[a]: v. *Elia.*

Elio[i] **Helio**[h]: Aelius, ii, m. Non una est scribendi ratio huiusce nominis: Ailius, ut est in antiquissimo nummo et in C.I.L. VI, 10813; Allius, ut est in fastis cons. Capitol.; Haelius, Helius, C.I.L. VI, 19138; Graeci autem semper suis litteris scribebant Αἴλιος. Sunt qui putent nomen coniungi cum vetere verbi ἥλιος (*sol*) exarandi modo ἅλιος vel ἀέλιος.

Eliodoro[i] **Héliodore**[g] **Heliodoro**[h]: Heliodorus, i, m. Coaluit ex ἥλιος et δῶρον atque adeo *donum solis*, qui ut numen colebatur, significat.

Elinor[a]: v. *Eleonora.*

Elisa[i]: v. *Elisabetta.*

Elisabetta[i] **Elisabeth**[g] **Isabel**[h] **Elizabeth**[a] **Elisabeth**[ge]: Elisabetha, ae, f; ab aliis non adiungitur postrema syllaba Latina (Elisabeth). Derivatur a fonte Hebraico: *'Elîsheba'*; Sept.: Ελισαβέθ; *Luc.* I, 7: Ελισαβέτ, h. e. *Deus meum iusiurandum.* Altera autem nominis pars, in *th* (ϑ, τ) litteram exiens, corrupta esse videtur; fortasse subauditur etiam *shabat*, h. e. *quiescere*, aut *sheba*, h. e. *septem*, quo numero perfectio absolutioque significatur. – (Mart. Rom. XIII Cal. Dec.; VIII Cal. Aug. e. a.).

Eliseo[i] **Elisha**[a]: Elisēus, i, m. Nomen ductum est a verbis coniunctis Hebraicis *'Elîsha'* (ex *'Elî Yesha'*); Sept. Ελισά vel Ελισαιέ; N. T. Ἐλισσαῖος, quibus significatur: *Deus*

meus salus, vel *Deus servat.* – (Mart. Rom. XVIII Cal. Iul.).

Eliza[a]: v. *Elisabetta.*

Ella[a]: v. *Elena.*

Elli[ge]: bl. app. pro Elisabetha vel Eleonora.

Ellen[a]: v. *Elena.*

Ellie[a]: bl. app. pro Helena vel Eleonora.

Elliot[a] **Eliot**[a]: bl. app. pro Elia.

Ellis[a]: bl. app. pro Elia.

Elmar[ge]: Elmarus, i, m. Nomen coaluisse videtur e verbis Germanicis *all - mar*, quorum altero *totus, a, um* vel *valde*, altero *clarus, inclitus* significatur, ita ut idem fere valeat atque *ab omnibus laude celebratus* vel *valde clarus.*

Elmer[a] : Elmerus, i, m. ; cf. *Aylmer.* Videtur esse idem nomen atque Elmari (v. *Elmar*), tamen secundum quosdam structum est e priscis verbis Germanis *agil - mar* ; prius pertinet ad vocem primitivam *ag*, unde verbum *ekka* derivatum est (*acies gladii*) ; altero vero significatur *inclitus, fama nobilis* ; cf. Förstemann, p. 36.

Elmo[i] **Elmo**[h]: Erasmus, i, vel, licet minus probabiliter, Elmus, i, m. Italicum nomen *Elmo* deductum est ab Erasmo (v. ib.), ac quidem quatenus Graeco more enuntiabatur : *Erasmo* (cf. Graec. Ἔρασμος). Hinc factum est nomen *Ermo* (cf. apud Ariostum « luce di Santo Ermo » = *Elmo*), quod in *Elmo* ex Italici sermonis ratione abiit.

S. Erasmus adiutor habebatur navigantium, qui eius patrocinium in periculis expetebant ; quapropter micantia lumina, quae in summis navium malis maxime post tempestates emicare consueverunt, ab eo appellabantur ; cf. Ital. *fuochi di S. Elmo* et e linguae Latinae, quae media aetate viguit, ratione : *lumen sancti Elemi* (saec. XIV). Cf. J. E. Stadler, *Vollständiges Heiligen = Lexikon*, II, p. 78 ; C. Battisti - G. Alessio, *Dizionario etimologico italiano*, II, p. 1452.

Eloi[a]: v. *Eligio.*

Eloisa[i] **Héloise**[g] **Heloisa**[h] **Heloisa**[a]: Aloisia, ae, f. Cf. *Luisa.*

Elpide[i] : Elpis, dis, f. Est ipsum verbum Graecum ἐλπίς, δος, quo *spes* significatur. Hoc nomen, quo hac aetate interdum Itali utuntur, iam christianis puellis Romanorum temporibus imponebatur ; cf. Diehl, 1716 adn. : « Furia Helpis (sic) virgo devota » ; item 575 (*Heelpis*) ; 3236 B : « dormitio Elpidis, que (sic) vixit annis LXXX, diebus V ; benemerenti sui fecerunt ».

Est autem praeclarior hic titulus versibus astrictus (Diehl, 3484) : « Helpis dicta fui, Siculae regionis alumna, — quam procul a patria coniugis egit amor, — quo sine maesta dies, nox anxia, flebilis hora. — nec solum caro, sed spiritus unum erat. — lux mea non clausa est tali remanente maritomaiorique animae partis superstis (sic) ero. — porticibus sacris iam non peregrina quiesco — iudicis aeterni testificata thronum. — ne qua manus bustum violet, nisi forte iugalis — haec iterum cupiat iungere membra suis, — ut tha-

lami tumulique comis (= comes) nec morte revellar — et socios vitae nectat uterque cinis ». Cf. praeterea ib. 3839 C adn., 3244, 4498, 4581.

Elpidio[i]: Elpidius, ii, m. Derivatur ab ἐλπίς, δος, quo verbo *spes* significatur. – (Mart. Rom. Cal. Sept. e. a.).

Elsa[i] **Elsa**[a] **Elsie**[a] **Else**[ge] : v. *Elisabetta.*

Elspah[a] **Elspeth**[a] **Elspie**[a]: v. *Elisa.*

Elvezio[i]: Helvetius, ii, m., scil. vir ex Helvetia oriundus.

Elvia[i]: Helvia, ae, f. Cf. *Elvio.*

Elvino[i]: v. *Alboino.*

Elwine[ge]: v. *Alwine.*

Elvio[i] : Helvius, ii, m. Nomen ductum est, quemadmodum videtur, ab adi. *helvus, a, um,* quod Paulus ex Fest. , 99, ita interpretatur : « color boum, qui est inter rufum et album appellaturque helvus » Cf. *gilvus, a, um* (ex *gelvos,* verbo originis Celt.) ; Germ. *gelb.*

Hoc vero nomen feminino genere in C.I.E., 1408, occurrit (*Helvia*) atque adeo nominibus Etruscis accensetur. Quod eo explanari potest, quod nomen primitus Latinum ab Etruscis quasi mutuo receptum est, qui ad sermonis sui rationem id accommodaverunt (cf. V. Schulze, p. 421). Plinius, *Nat. hist.*, XIV, 32, 84, de vitium generibus disputans, de *Helvennaca* memoriam inicit. Quod verbum, vitis alicuius proprium, a nomine *Helvenna,* quo homo appellabatur, derivatum esse videtur, scilicet ab Etrusca ratione nominis Helvii exarandi.

Apud Romanos pluribus viris non ita obscuris hoc nomen, ad gentem satis antiquam pertinens, erat impositum : ita appellabatur M. Helvius aedilis plebis, qui anno 198 a. Ch. n. cum C. Sempronio Tuditano ludos Romanos quater instauravit (Liv. XXII, 27), Celtiberos devicit ovansque Romam tribus annis post est ingressus (id. XXIV, 10).

C. Helvius Cinna amicissimus fuit Iulii Caesaris ; cf. de eo Suet. *Caes.* 52.

C. Helvius Cinna, eodem nomine ac prior appellatus, poesi famam est adeptus ; cf. Catull. 10, 19 ; 95,1 (« Zmyrna mei Cinnae nonam post denique messem — quam coepta est nonamque edita post hiemem ») ; erat enim ei familiaritate coniunctus. Cf. praeterea Verg., *Buc.* IX, 35-36 : « nam neque adhuc Vario videor nec dicere Cinna — digna... ».

Elvira[i] **Elvira**[h]: Elvira, ae, f. Est nomen Hispanicum, a fonte Visigothico ductum. Antiqua scribendi ratio est : *Geloyra, Gelovira, Gelvira, Jelvira.* Omissa deinde ex Hispanici sermonis ratione prima littera ante sonum, qui palato effertur (cf. *Ianuarius-enero*), nomen mutatum est in *Elvira.*

Cuius prior pars est verbum Gothicum *gails,* h. e. *iaculum,* vel *gail,* h. e. *alacer, laetus* (cf. *gailjan = laetari*), altera *wêrs,* h. e. *comis* (Tagliavini, p. 26 sq.). Minus autem probatur opinio eorum, qui nomen deducunt a verbis Germanis coniun-

ctis *al - war* (Germ. rec. *alles wehren*), h. e. *omnia* vel *plane defendens*.

Em[a]: v. *Emma*.

Emanuele[i] Emmanuel[g] Manuel[h] Emmanuel[a] Emanuel[ge]: Emmanuel, elis, m. Ab aliis non inclinatur in casus. Nomen compositum est e verbis Hebraicis *im anu El*, quibus significatur : *nobiscum Deus*. – (Mart. Rom. XVII Cal. Apr.).

Emerald[ge] : v. *Smeralda*.

Emerenziana[i] Emerence[g] Emerenz[ge]: Emerentiana, ae, f. Nomen ductum est a verbo *emerendi*. – (Mart. Rom. X Cal. Febr.).

Emerico[i] Emeric[g] Emery[g] Emerico[h] Emmery[a] Emry[a] Emmerich[ge]: Emericus, i, m. Est idem quod Aimericus, si originationem spectes (v. *Amerigo*) ; tamen vim nominis proprii obtinet. – (Mart. Rom. prid. Non. Nov.).

Emidio[i]: Emygdius, ii, m. Fabula est sanctum episcopum Asculanum, hoc nomine insignem, Diocletiano imperatore martyrium subiisse ; tamen nomen non videmus scriptum in litterarum monumentis, quae sint saeculo XI priora. Atque etiam scribendi modus *Emygdius* quandam Graeci sermonis speciem praefert, quae nulla ratione probabili innititur. Fortasse prior pars a vocabulo Germanico *Ermin* repetitur, quo semideus Saxonicus significatur; cui adiecta est terminatio Latina - *idius*, ut C. Tagliavini opinatur ; sed res adhuc sub iudice est neque ullus vir in enodandis originibus peritus adhuc quaestionem potuit persolvere. (Mart. Rom. Non. Aug.).

Emilia[i] Emilie[g] Emilia[h] Emily[a] Emilia[ge]: Aemilia, ae, f. Cf. *Emilio*.

Emiliano[i] Emilien[g] Emiliano[a] Emilian[ge]: Aemilianus, i, m. Cf. *Emilio*. – (Mart. Rom. prid. Id. Sept. e.a.).

Emilie[g]: v. *Emilia*.

Emilien[g]: v. *Emiliano*.

Emilio[i] Emile[g] Emilio[h] Emile[a] Emil[ge]: Aemilius, ii, m. De origine huius nominis, quod a Romanis frequentabatur, non satis constat. Sunt qui ducant ab *aemulo*, aut, ac quidem rectius, a fonte Etrusco ; cf. C.I.E., 629 *eimlnei* ; 3329 : *Aemili*. – (Mart. Rom. XI Cal. Iun. ; V Cal. Iun. ; prid. Non. Oct.).

Emily[a]: v. *Emilio*.

Emira[i]: Emira, ae, f. Hoc nomen, quod nostra aetate, novarum cupida appellationum, puellis interdum imponitur, deductum est a verbo Arabico *emīr*, quod e vulgi usu ponitur pro *amīr* (= *dux*, *princeps ;* cf. It. *ammiraglio*). Primitus *emīr* erat princeps totius sectae Mahometanae (*emir - el - mumenin*). Postquam vero imperatores (*sultani*) et reges (*melik*) creati sunt, nomen *emīr* proprium evasit principum et exercitus ductorum. Cf. C. Battisti - G. Alessio, *Dizionario etimologico italiano*, II, p. 1464.

Emma[i] Emma[g] Ema[h] Emma[a] Emma[ge] : Emma, ae, f. Est nomen Germanicum, quod etiam *Imma* appellatur, atque femininum genus nominis *Immo*, quod iam saec. VII occurrit. Videtur esse blandae ap-

pellationis causa usurpatum pro nomine composito, veluti *Irmingard*, *Irmgard* (*Irminfried*), atque adeo esse nomen *hypochoristicum*, quod vocant ; est autem *Irmin* seu *Ermin*, unde Emma dicitur derivari, semideus Germanicus.

Emmelina[i] **Emmeline**[a]: bl. app. pro Emma.

Emmeram[ge] **Emmeran**[ge] **Heimeran**[ge]: Emmeramus, i, m. Nomen coaluit e verbis Germanicis *heim* (*haims*) - *hraban* (*raban*, *ram*), quibus haec est vis subiecta : *domestica sedes - corvus* (cf. Germ. rec. *Heim - Rabe*). Invaluit praesertim, ad sermonem Latinum conformatum, propter Sanctum episcopum Ratisbonensem, ita appellatum, cuius sollemne agitur a. d. X Cal. Oct. (Mart. Rom.).

Emmery[a] **Emmerich**[ge] : v. *Emerico*.

Emmie[a] **Emmy**[a]: v. *Emma*.

Emo[i]: Haemus, i, m. Hoc nomen inditum est regi Thraciae, fratri Rhodopes, praeterea praedoni cuidam Thracio (cf. Apul. *Met.* VII, 5 ; 19), comoedo Flaviorum aetate (cf. Iuven. III, 99 ; VI, 198), viro e vulgo (cf. C.I.L. III, 1562).

Empedocle[i]: Empedŏcles, is, m. Nomen derivatum est a fonte Graeco : ab ἔμπεδος et κλέος, quorum verborum priore significatur *stabilis*, altero *gloria*.

Emry[a]: v. *Emerico*.

Emund[ge] **Eumund**[ge]: Emundus, i, m. Nomen structum est e verbis Germanicis *ewa* (*ewe*, *eo*, *eu*, *ê* ; cf. *Ehe*), quo *pactio*, *ius*, significatur, et *mund*, in quo inest vis *muniendi*. Est ergo interpretatio : *defensor iuris*.

Encarnación[h]: Maria ab Incarnatione, f. Solent Hispani puellis cognomen Beatae Mariae Virgini adiectum indere.

Enea[i] **Enée**[g] **Eneas**[h] **Äneas**[ge] : Aenēas, ae, m. Missis aliis originationibus, videtur nomen deducendum esse ab Αἴνη, quae fuit dea, cui idem fere cultus in orientis partibus adhibebatur qui Aphroditi. Cf. On. Perin.

Engelberto[i] **Englebert**[g] **Engelbert**[ge]: Engelbertus, i, m. Priore nominis parte significari videtur gens Anglorum (cf. M.G.H. XXX, p. 225 sq. : « Angelbertus ») ; tamen dubium non est quin etiam subaudiatur vox *Engel*, qua Germani angelum appellant. Altera pars est priscum verbum *bert* (*berath*), quod idem valet ac *fulgens*, *clarus*. Est ergo nominis interpretatio : vel *is qui clarus est inter Anglos*, vel *angelus clarus*. – (Mart. Rom. VII Id. Nov.).

Engelberta[ge] : Engelberta, ae, f. : v. *Engelberto*.

Engracia[h]: Encratis, ĭdis, f. Minus Latine a quibusdam ponitur Engratia, ae. Hoc nomen deductum est a verbo Graeco ἐγκράτης, quo *continens*, *temperantiae virtute praeditus* significatur ; cf. C.I.L. II, 2406, 2459. Encratis virgo fuit e martyribus Caesaraugustanis, de quibus Prudentius condidit carmen ; cf. *Peristeph.* IV, 109-112 : « Hic et Encrati recubant tuarum — ossa virtutum, quibus efferati —

spiritum mundi violenta virgo — dedecorasti » – (Mart. Rom. XVI Cal. Mai.).

Ennio[i]: Ennius, ii, m. Est nomen gentis Messapicae, quo, praeter alios, appellatus est poeta Latinus antiquissimus, « Calabris in montibus ortus » (Ovid. *Ars am.*, III, 409), h. e. Rudiis prope Tarentum. Graeci enim Messapiam dicebant, quam Romani Calabriam appellabant. Nomen occurrit etiam in vetere titulo christiano; Diehl, 35210.

Enos[i] **Enos**[a]: Enos, m. Non inclinatur in casus. Est nomen Hebraicum *'Enôsh* (Graece 'Ενώς), quod Isid. *Orig.* VII, 6, 10 sic interpretatur: « Enos iuxta propriae linguae varietatem *homo* vel *vir* dicitur ». Eo appellatus est filius Seth, qui « coepit invocare nomen Domini » (*Gen.* IV, 26).

Enrica[i] **Enrichetta**[i] **Henriette**[g] **Enriqueta**[h] **Henrike**[ge]: Henrica, ae, f. V. *Enrico.*

Enrico[i] **Henri**[g] **Enrique**[h] **Henry**[a] **Heinrich**[ge]: Henricus, i, m. Nomen compositum est e verbis Germanicis *heim* (*haims*) et *rîhhi* (*ricja*), quorum priore *sedes domestica*, altero *dominator* significatur. Itaque interpreteris: *qui in sua domestica sede dominatur.* – (Mart. Rom. Id. Iul.).

Enza[i]: Entia, ae, f.; v. *Enzo.*

Enzo[i]: Entius, ii, m. Non est assentiendum iis, qui contendunt hoc esse deminutum nomen Laurentii (*Lorenzo*), aut derivari a vulgari nomine Germanico *Heinz*, quod blandae appellationis causa pro Henrico (*Heinrich*) ponitur. Ductum est autem ab Antibus (*Antes*) seu ab Antis (*Anti*), de quibus Iordanes in *Getica* saepius commemorat; cf. ib. IV (M.G.H., *Auctor. antiquiss.* V, p. 63): « Antes vero, qui sunt eorum finitimi, qua Ponticum mare curvatur, a Danastro extenduntur usque ad Danaprum ». Cf. praeterea ib. p. 62, 89, 121. Ab hac igitur gente repetitur nomen, quod in veteribus litterarum monumentis Germanicis frequentatur, sed non uno modo scribitur: « Anzo, Anza, Enzi, Ence, Enzo, Entzo »; cf. Förstemann, p. 134. Nomen *Enzi* pluries occurrit in libro, qui inscribitur « Das Verbrüderungsbuch von St. Peter zu Salzburg » ed. a Karajan, Wien 1852. In vita Adalberonis, episcopi Herbipolensis, (M. G. H. XIII, p. 133) scriptum videmus: « nemorarius erat Enzo »; in vetere quodam diplomate Bavarico (a. 1090) nomen ita exaratum est: « Ence » (Mon. Boica, III, 292). Videtur autem in nomine inesse vis, quae subiecta est verbo Anglico-Saxonico *ent*, h. e. *gigas.*

Eolo[i]: Aeŏlus, i, m. Hoc nomine plures appellati sunt viri fabulares, imprimis vero ventorum rex. De originatione non satis constat; fortasse repetitur nomen ab αἰολέω (αἰόλλω), cuius vis est *moveo*, *agito*, vel ab ἄελλα, quo verbo *procella* significatur (cf. ἀέω, h. e. *spiro*). Nomen invenitur etiam in titulis, viris e plebe impositum; cf. C.I.L. VI, 7135, 19804, 19805. Praeterea comes Aeneae eo appellabatur; cf. Verg.

Aen. XII, 542: « Te quoque Laurentes viderunt, Aeole, campi ».

Epaminonda[i]: Epaminondas, ae, m. Nomen derivatum est a verbis ἐπί et ἀμείνων, quo Latine significatur *praestans*.

Epicarmo[i]: Epicharmus, i, m. Hoc nomen, quo appellatus est philosophus Cous et medicus Syracusanus, ducitur ab ἐπίχαρμα, quo *laetitia*, *gaudium* significatur.

Epifania[i]: Epiphania, ae, f.; in Mart. Rom. IV Id. Iul., recensetur S. Epiphana, martyr. V. *Epifanio*.

Epifanio[i] **Epiphane**[g] **Epifanio**[h] **Epiphanius**[ge]: Epiphanius, ii, m. Nomen derivatum est a verbo Graeco ἐπιφανής (ἐπι-φαίνομαι), quo *illustris* significatur. – (Mart. Rom. XII Cal. Febr. e. a.).

Epimenide[i] **Epimenides**[ge]: Epimenĭdes, idis, m. Hoc nomine significatur *filius Epimenis* (cf. ἐπιμένω, h. e. *cunctor*, *exspecto*).

Epiphane[g] **Epiphanius**[ge]: v. *Epifanio*.

Eppie[a]: bl. app. pro Euphemia. V. *Eufemia*.

Eraclio[i] **Heraclio**[h]: Heraclius, ii, m. Hoc nomine significatur aliquem ad Heraclem pertinere, appelatum ab Ἥρα et κλέος, cuius alterius verbi vis est *laus*, *gloria*. In Mart. Rom. VI Caelites ita appellati recensentur.

Erardo[i] **Erard**[g] **Ehrhard**[ge]: Erardus, i, m. Minus latine scribitur a nonnullis Erhardus. Nomen compositum est e verbis Germanicis *êra* (*ere*; nunc scribitur *Ehre*), et *hard*, quorum priore *honor*, altero *audax*, *fortis*, *validus* significatur. *Qui* ergo *honore valet* eo appellatur. Non est tamen infitiandum priorem partem fortasse effectam esse voce *ar* (*aro*, *arin*, *arn*, *erin*), cuius vis est *aquila* (cf. Germ. rec. *Aar*). – (Mart. Rom. VI Id. Ian.).

Erasma[i]: Erasma, ae, f. v. *Erasmo*. S. Erasmae Virginis sollemne III Non. Sept. in Mart. Rom. recensetur.

Erasmo[i] **Erasme**[g] **Erasmo**[h] **Erasmus**[ge]: Erasmus, i, m. Nomen est ipsa vox Graeca ἐράσμιος, quo *amatus* significatur (cf. ἔραμαι = *amo*; ἔρως = *amor*). V. etiam *Elmo*. – (Mart. Rom. IV Non. Iun. et VII Cal. Dec.).

Erberto[i] **Hébert**[g] **Eriberto**[h] **Herbert**[a] **Her(i)bert**[ge]: Herbertus, i, vel Heribertus, i, m. Nomen ductum est a verbis Germanicis *hêr* (*hari*) - *bert* (*beraht*), quorum alterum idem valet ac *vulgus*, *exercitus*, alterum idem ac *splendens*, *clarus*. – (Mart. Rom. XVII Cal. Apr.: *Heribertus*).

Ercolano[i] **Herculano**[h] **Herkulan**[ge]: Herculanus, i, m. Quoad originationem, v. *Ercole*. In Mart. Rom. IV Caelites hoc nomine insignes recensentur.

Ercole[i] **Hércules**[h] **Hercules**[a] **Herkules**[ge]: Hercŭles, is m. Cas. gen. interdum exit etiam in *-i*; cf. Plaut. *Pers.* 2; *Rud.* 822; Cic. *Acad.* II, 34, 108; Tac. *Annal.* 12, 13 e. a. Nomen deductum est, secundum Herodotum, II, 43, a sermone Aegyptio; plures vero derivant a lingua Phoenicia; cf. *Harkel* vel *Harâkel*, cuius vis est *mercator*; et verb. prim. Hebr. *râkal*, quo *circumduxit*, *pere-*

grinatus est significatur ; Keller, *Lat. Volksetymolog.*, p. 236 sq. Alii denique minus recte deducunt a verbo *hercendi*, *herciscendi*.

Erica[i] **Erika**[ge]: Erica, ae, f. Est genus femininum nominis Erici (cf. *Erico*) ; minus vero probabilis est opinio eorum, qui derivant ab *erice* (ἐρίκη), quae est herba non multum differens a myrice ; Plin. XXIV, 64.

Erico[i] **Erico**[h] **Eric**[a] **Erich**[ge]: Ericus, i, m. Nomen coaluit e verbis Germanicis *êra* (Germ. rec. *Ehre*), quo *honor* significatur, et *rihhi* (*ricja*), in quo inest vis *dominandi*. Est igitur antiqua nominis scribendi ratio *Erarich*, quo appellatus est rex Rugorum, gentis Germanicae, quodque Procopius, *Bell. Goth.*, III, 2, Graecis litteris ita exaravit: 'Εράριχος. De S. Erico cf. *Act. Sanct.*, Ian. I, p. 969. – (Mart. Rom. XV Cal. Iun.).

Erico[h]: Henricus, i, m. Hispani enim interdum *Erico* pro *Enrique* usurpant ; v. *Enrico*.

Ermagora[i] **Hermágoras**[h]: Hermagŏra, ae, vel Hermagŏras, ae, m. Cas. acc. exit interdum in *-an* ; cf. Quintil. III, 1, 18. Nomen , quo appellatus est rhetor Lemnius, e. a., coaluit e verbis Graecis 'Ερμῆς et ἀγορά (*Hermes - congregatio*) – (Mart. Rom. IV Id. Iul.).

Ermanno[i] **Hermann**[g] **Herman**[a] **Hermann**[ge]: Hermannus, i, m. Est nomen Germanicum, conflatum ex *hêr* (*hari*, nunc audit *Heer*), quo *exercitus* significatur, et e *mann*, quod idem valet ac *vir* ; est igitur Hermannus *vir ad exercitum pertinens* seu *miles*.

Ermelinda[i] **Ermlinde**[ge] **Irmlinde**[ge]: Ermelinda, ae, f. Coaluit e verbis Germanicis *Ermin* (*Irmin*), quo semideus fabulosus significatur, et *linda* (*lint*), cuius vis est *tilia* ac praesertim *scutum tiliaceum*.

Ermenegilda[i] **Hermenegilde**[ge]: Ermenegilda ae, f. V. *Ermenegildo*.

Ermenegildo[i] **Herménégilde**[g] **Hermenegildo**[h]: Ermenegildus, i, m. Minus probatur scribendi modus : Hermenegildus. Nomen, quo appellatus est princeps Visigothorum (Mart. Rom. Id. Apr.), inter Sanctos Caelites relatus, effectum est verbis Germanicis *Ermin* (vel *Irmin*) - *gild*. Priore significatur semideus Saxonum, in altero est vis *valendi*, atque etiam *restituendi* et *sacrificandi* (Goth. *gildan* ; prisc. Germ. *keltan*, *geltan* ; Germ. rec. *gelten* – cf. etiam *Geld*) ; *gild* interdum idem valet ac *sacrificium ad agendas numini gratias peractum* ; cf. Förstemann, p. 638 ; A. Wackernagel, *Altd. Wörterbuch*.

Ermenrich[ge] **Ermanrich**[ge]: Ermenericus, i, vel Ermericus, i, m. (cf. M.G.H. IV, pp. 29, 545, 549, 575), vel, quamvis minus recte, Hermanaricus, i, m., ut est apud Iord. *Get.* 29 ; tamen apud Ammian. 31, 3 Ermenenrichus, i, m. (apud Isid. *Hist. Suev.* 86 : *Hermericus*). Nomen compositum est e verbis Germanicis *Ermin* seu *Irmin*, quo appellabatur semideus Saxonum, et *rîhhi* (*ricja*), cuius vis est *dominator*, *dominari*. Hoc nomen impositum est regi Gothorum, de quo veteres illi scriptores commemorant.

Erma[ge]: v. *Irma*.

Ermengarda[i] **Ermengarde**[g] **Ermengarda**[h] **Ermgard**[ge] **Irmingarda**[ge]: Ermengarda, ae, f. Coaluit ex *Ermin* seu *Irmin*, quo nomine appellabatur semideus Germanorum, et ex *gard* (*gart*, *gardan*), in quo inest vis *circumsaepiendi*, *muniendi*, *defendendi*. *Quae* ergo *semidei Ermin obtecta est praesidio*, Ermengarda vocatur. Quod nomen ita Latine scriptum videmus in M.G.H. XXX, pp. 30, 295, 388, 389.

Ermes[i] **Ermete**[i]: Hermes, etis, m. Unde ducendum sit nomen, non satis constat inter peritos in enodandis originibus.

Ermia[i] **Hermia**[a]: Hermia, ae, vel Hermias, ae, m. Est nomen Hermetis (Ἑρμῆς), in cuius autem terminatione duae syllabae sunt in unam coactae: Ἑρμείας vel Ἑρμίας. De hoc nomine commemorant Cic., Plin., Tertull., Paulin. Nol.; frequentatur in titulis quoque; cf. C.I.L. V, 1863; VIII, 2763; X, 2591, e. a. Nomen vero apud nos invaluisse videtur eo quod Villelmus Shakespeare, Anglorum poeta, id personae indidit in fabula scaenica, quam *Somnium media aestate noctu visum* inscripsit.

Ermine[g]: v. *Erminia*.

Ermingarda[i]: v. *Ermengarda*.

Erminia[i] **Hermine**[g] **Herminia**[h] **Hermina**[a] **Hermine**[ge]: Ermina, ae, vel Irmina, ae, vel Herminia, ae, f. Est nomen, feminino genere expressum, semidei Germanici *Ermin* seu *Irmin*; quo appellabatur filia Dagoberti II, « in Christo Deo sacrata abbatissa » (*Ermina*); cf. M.G.H. *Script.*, XXIII, p. 52; Förstemann, p. 573 sq.; Sleumer s. v. Irmina. – (Mart. Rom. IX Cal. Ian.).

Itaque nomen plerumque ab hoc fonte Germanico videtur deducendum. Tamen in C.I.L. IX, 527, scriptum videmus etiam: *Herminia*, quod est nomen Herminii (v. *Erminio*), feminino genere expressum; hoc igitur etiam uti licet.

Erminio[i] **Herminio**[h] **Ermin**[ge]: Herminius, ii, m. Nomen derivandum videtur a fonte Etrusco; cf. Liv. III, 65: *Lar Herminius* (locus vero incertus est); sed Schulze, p. 173, aliunde repetendum esse putat. Nomen occurrit in titulis quoque.

Ermin vero, uti Germani appellant, est ipsum nomen semidei fabularis *Ermin* seu *Irmin*, quod ita Latine reddendum est: *Erminus, i*.

Ermintrude[ge]: Ermintrudis, is, f. Coaluit ex *Ermin* (*Irmin*), quo nomine appellabatur semideus Germanorum, et ex *trude* (*drude*), fabulari apud Germanos femina.

Ermogene[i]: Hermogĕnes, is, m. Nomine significatur *ab Hermete* (Ἑρμῆς) *genitus* (verb. primigen. γεν). In Mart. Rom. V recensentur Caelites, eodem appellati.

Ermolao[i]: Hermolāus, i, m. Coaluit e vocibus Graecis Ἑρμῆς et λαός, atque adeo *populum* seu *prolem Hermetis* seu Mercurii significat. – (Mart. Rom. VI Cal. Aug.).

Ermoldo[i]: v. *Hermold*.

Ern[a]: bl. app. pro Ernesto.

Erna[i] **Erna**[h] **Erna**[ge]: Erna, ae, f. Est quidem blandae appellationis causa imminutum nomen Ernestae

(v. ib.); tamen hoc breviore modo scriptum multis locis invaluit.

Ernesta[i] **Erneste**[ge] **Ernestine**[ge]: Ernesta, ae, f.; v. *Ernesto.*

Ernestina[i] **Ernestina**[h]: Ernesta, ae, vel Ernestilla, ae, f.; v. *Ernesta, Ernesto.*

Ernesto[i] **Ernest**[g] **Ernesto**[h] **Ernest**[a] **Ernst**[ge]: Ernestus, i, vel Ernesto, onis, m. Perverse scribitur interdum Hernestus. Nomen deductum est a prisco vocabulo Germanico *ernust*, quod postea in *ernost* vel *ernest* deflexum, idem valet ac *proelium, vigor, severitas.*

Eros[i]: Eros, otis, m. Est nomen dei amoris (cf. ἔραμαι = *amo*), quod antiquis temporibus praesertim imponebatur libertis; cf. comoedus, de quo Cic. *pro Rosc. Com.*, XI, 3; de Erote, liberto Vergilii, haec scribit Donatus, *vit. Verg.* 49: « Eroten librarium et libertum eius, exactae iam senectutis, tradunt referre solitum quondam in recitando eum duos dimidiatos versus complesse ex tempore ». Cf. titulos christianos apud Diehl, 843, 1735, 2597.

Errico[i]: v. *Enrico.*

Ersilia[i] **Erisilia**[h] **Hersilie**[ge]: Hersilia, ae, f. Ne sine aspiratione scribatur, monet Cassiodorus, *Orthogr.* 9. Secundum fabularem historiam fuit filia Hersili, mulier Sabina, uxor Romuli, de cuius stirpe natus sit Iulius.

Ervino[i] **Erwin**[ge] **Herwin**[ge]: Hervinus, i, m. Coaluit e verbis Germanicis *hêr* (*hari*), quod idem valet ac *militum turma, exercitus, vulgus*, et *win*, quo *amicus, socius armorum* significatur.

Erwin[ge]: v. *Ervino.*

Esaias[a] **Esajas**[a]: v. *Isaia.*

Escipión[h]: v. *Scipione.*

Escolástica[h]: v. *Scolastica.*

Esmeralda[h] **Esmeralda**[a]: v. *Smeralda.*

Esmond[a]: Esmundus, i, m. Hoc nomine Anglorum Saxonumque significatur *vir divino praesidio obtectus*; *es* enim idem est ac Germanicum *ase*, vel *os* (h. e. numen supernum); *mund* autem idem valet ac *tueri.*

Espedito[i]: Expeditus, i, m. Nomen derivatum est a verbo *expediendi*; quo significatur quasi solvere aliquem a pedica seu compede. Cf. Graec. πέδη (h. e. *compes*); prisc. Germ. *fezzera* (Germ. rec. *Fessel*, h. e. *vinculum*). – (Mart. Rom. XIII Cal. Mai.).

Esperanza[h]: v. *Speranza.*

Esperia[i]: Hesperia, ae, f. Hoc nomine, quod a Graeco verbo ἕσπερος = *vesper* (cf. vet. Hibern. *fescor* = *vesper*) ducitur, mulier significatur *occidentalis*; etenim *hesperius, a, um*, idem valet atque ad occidentem seu ad Hesperiam pertinens, scilicet ad eam partem orbis terrarum, in qua sol vespere occidit. Iuvat in memoriam revocare Vergilii versus: « Est locus, Hesperiam Graii cognomine dicunt, — terra antiqua, potens armis atque ubere glaebae; — Oenotri coluere viri; nunc fama minores — Italiam dixisse ducis de nomine gentem » (*Aen.* I, 530-533).

De his versibus Servius, *Comm. in Verg. Aen.* I, 530, ita exponit: « Hesperiae duae sunt, una quae

Hispania dicitur, altera quae est Italia. Quae hac ratione discernuntur: aut enim Hesperiam solam dicis et significas Italiam, aut addis 'ultimam' et significas Hispaniam, quae in occidentis est fine, ut Horatius *qui nunc Hesperia sospes ab ultima*. Et haec est vera Hesperia, ab Hespero dicta, id est stella occidentali. Ceterum Italia Hesperia dicitur a fratre Atlantis, qui pulsus a germano Italiam tenuit eique nomen pristinae regionis imposuit, ut Hyginus docet ».

Quamquam *Hesperius, a, um*, a veteribus scriptoribus frequentatur (cf. Ovid. *Met.* XI, 257 : « Hesperium fretum » ; Verg. *Aen.* II, 781 : « Hesperia terra » ; Val. Flacc. VIII, 91 : « Hesperius orbis »), nusquam tamen inveni ipsum nomen muliebre *Hesperia, ae.*

Essie[a] **Est**[a]: bl. app. pro Esther.

Estanislao[h]: v. *Stanislao.*

Esteban[h]: v. *Stefano.*

Estelle[g] **Estella**[h]: v. *Stella.*

Ester[i] **Esterina**[i] **Esther**[g] **Ester**[h] **Esther**[a] **Esther**[ge]: Esther, f. ; non inclinatur in casus. Hoc nomine (Hebr. *'Estêr* ; Sept. 'Εσθήρ) significatur *stella* ; cf. Pers. *stareh* ; Assyr. *istar* ; Graec. ἀστήρ ; Lat. *sterla* = *stella* ; Goth. *stairno* ; Germ. *stern*. Est ergo nomen Indicum-Europaeum, atque ipsi interpretes Hebraei divinorum librorum a fonte Persico id deducere consueverant.

Estrella[h]: v. *Stella.*

Ethelbert[a]: est idem nomen atque Adalberti (v. *Adalberto*) ; nam, quod ceteri Germani *adel*, h. e. *nobilis, e*, appellabant, Angli et Saxones *ethel* dicebant.

Etheldreda[a]: Etheldreda, ae, f. Hoc nomine Ang. – Sax. significatur fere : *nobilis terrens.*

Ethelred[a]: Ethelredus, i, m. Hoc nomen, Anglorum Saxonumque proprium, coaluit ex *ethel* (apud ceteros Germanos audiebat *adel*, h. e. *nobilis*) et *red* (*raed*), h. e. *consilium.* Quod verbum apud alias Germaniae gentes appellatur *rât*, *rad* (Germ. rec. *Rat*).

Ethelwold[a]: Ethelvoldus, i, m. Nomen, Anglorum Saxonumque proprium, effectum est verbis *ethel* (*adel*; cf. *Ethelbert*), quo *nobilis* significatur, et *wold* (*wald*, *valdan*), in quo inest vis *dominandi*. S. Ethelvoldi sollemne recensetur in Mart. Rom. Cal. Aug.

Etienne[a]: v. *Stefano.*

Etra[i]: Aethra, ae, vel Aethre, es, f. Filia Oceani et Tethyos aliaeque fabulares feminae hoc nomine, in quo inest vis *splendendi* (αἴθρη), appellatae sunt ; cf. etiam C.I.L. VI, 18523, 23332.

Etta[a]: bl. app. pro Esther.

Ettore[i] **Hector**[g] **Héctor**[h] **Hector**[a] **Hektor**[ge]: Hector, ŏris, m. Cas. acc. exit interdum in *-em* ; cf. Varr. L.L. X, 69, saepius vero, praesertim in astricta oratione, more Graecorum in *-a*. Nomen petitur a Platoné, *Crat.* 393, et aliis a verbo ἔχω, quo etiam *servo*, *defendo* significatur, tamen alii aliunde derivant.

Eucario[i]: Eucharius, ii, m. Nomen derivatum est a verbo adi. Graeco εὔχαρις, quo Latine *gratiosus*,

amabilis significatur (εὖ-χάρις). Recensetur in Mart. Rom. VI Id. Dec.

Eucarpio[i]: Eucarpius, ii, m. Ad originationem quod attinet, v. *Eucarpo.* Hoc nomine appellabatur episcopus olim Macedonianus, de quo Cassiodorus *Hist. trip.* VII, 25, commemorat. In veteribus titulis christianis iuvenitur nomen feminino genere Eucarpia; cf. Diehl 2306 adn., 2608, 2788 adn. – (Mart. Rom. XV Cal. Apr.).

Eucarpo[i]: Eucarpus, i, m. Nomen structum est e verbis Graecis εὖ et καρπός, quibus *bene* et *fructus* significantur, atque adeo idem valet ac *bene fructificans*, *fructuum ferax.* (Mart. Rom. VII Cal. Oct.).

Euclide[i] **Euclides**[h]: Euclides is, m. Hoc nomine significatur *filius Euclis*, seu, secundum originationem, viri *bene* vel *valde* (εὖ) *gloriosi* (κλέος).

Eudoro[i]: Eodorus, i, m. Hoc nomine, de quo commemorat Plin. XXXV, 11, 40, significatur *largitor donorum* (Εὔδωρος, εὖ-δῶρον).

Eudes[g]: v. *Oddone.*

Eufemia[i] **Euphémie**[g] **Eufemia**[h] **Euphemia**[a]: Euphemia, ae, f. V. *Eufemio.* – (Mart. Rom. XVI Cal. Oct. e. a.).

Eufemio[i]: Euphemius, ii, m. Derivatur ab εὔφημος, ον, quod idem valet ac *bene ominata loquens*, vel eo *vir bonae famae*, ut aliis placet, significatur. Derivatur autem a sermone, quo sacerdotes divinis rebus operantes utebantur.

Eufrasia[i] **Euphrasie**[g] **Euphrasia**[ge]: Euphrasia, ae, f. Coaluit ex εὖ-φράζω (φράσις), quibus *bene* - *loquor* significatur. – (Mart. Rom. III Id. Mart. e. a.).

Eufrosina[i] **Euphrosine**[g] **Eufrosina**[h]: Euphrosyna, ae, vel Euphrosyne, es, f. Hoc nomine, quo significatur *hilaris*, appellata est filia Noctis et Erebi (cf. Cic. *De nat. deor.*, III, 17, 44); item una e Gratiis. – (Mart. Rom. Cal. Ian. et Non. Mai.).

Eugenia[i] **Eugénie**[g] **Eugenie**[ge]: Eugenia, ae, f. Quoad originem, v. *Eugenio.* Nomen occurrit in veteribus titulis: C.I.L. II, 589, 612; De Rossi, *Roma Sott.* III, tab. XXII, 12. – (Mart. Rom. VIII Cal. Ian.).

Eugenio[i] **Eugène**[g] **Eugenio**[h] **Eugene**[a] **Eugen**[ge]: Eugenius, ii, m. Nomen, quod sequiore aetate invaluit, deductum est a verbo Graeco εὐγενής, quo significatur *bene natus* (εὖ-γεν- ; γίγνομαι); quoad εὖ cf. vocem primit. Lat. *es* (esse); quoad γεν- cf. prisc. Ind. *jánati*, h. e. *gignit*; Lat. *gigno*; Goth. *kunds*, h. e. *ortus*, *oriundus*. Nomen autem Eugeniae videtur potius pertinere ad εὐγένειαν seu εὐγενίαν, ut poetae appellant, cuius vis est *genus nobile*. In titulis veteribus occurrit etiam nomen Latinum *Benenatus*; cf. Diehl, 1402, 1407, 4394, e. a. Nomine Eugenii imprimis est praeclarus Pontifex Romanus, Martini successor, filius Rufini, ex prima Urbis regione, mitis et affabilis, olim Byzantii apocrisiarius seu nuntius Apostolicus, totus in componendo dissidio, quod inter Ecclesiam orientalem et occidentalem *Monotheletarum* causa obortum erat; obiit sanctissime Romae a. 657 (cf. *Lib.*

Pont.; Mart. Rom. IV Non. Iun.)

Eulalia[i] **Eulalie**[g] **Eulalia**[h] **Eulalia**[ge]: Eulalia, ae, f. Est genus femininum nominis Graeci Εὐλάλιος, ab εὔλαλος deducti, quo significatur *bene loquens* (εὖ - λαλέω = *bene* - *loquor*); atque solum in christianis litterarum monumentis usurpatur. – (Mart. Rom. prid. Id. Febr. e. a.).

Eulogio[i] **Eulogio**[h]: Eulogius, ii, m. Nomen effectum est verbis Graecis εὖ et λόγος (λέγω), quo *bene loquens* significatur. Apud Martial. VI, 8, est *Eulogus*; *Eulogius* vero (libertus Vitellii) apud Suet. *Vitell.* 1; item apud S. Augustin. *De cur. pro mort.* 11, 13, e. a. – (Mart. Rom. XII Cal. Febr. e. a.).

Eunice[a]: Eunice, es, f. Nomen coaluit ex εὖ et νίκη, quorum verborum altero *bene*, altero *victoria* significatur (scil. quasi *pulchra victoria*).

Euphémie[g] **Euphemia**[a]: v. *Eufemia.*

Euphrasie[g] **Euphrasia**[a] **Euphrasia**[ge]: v. *Eufrasia.*

Euridice[i]: Eurydice, es, f. Nomen, quo appellata est, praeter alias feminas, uxor Orphei, compositum est ex verbis Graecis εὐρύς, h. e. *latus*, *late patens*, et δίκη, h. e. *iustitia*. Invenitur etiam in titulis ut cognomen muliebre; cf. C.I.L. III, 615.

Eusebia[i]: Eusebia, ae, f.; v. *Eusebio.*

Eusebio[i] **Eusèbe**[g] **Eusebio**[h] **Eusebius**[ge]: Eusebius, ii, m. Est nomen Graecum Εὐσέβιος, h. e. *pius*, in Latini sermonis rationem translatum; quod derivatum est ab εὐσεβής (εὖ - σέβομαι = *bene* - *honoro*, *vereor*); eo ergo significatur *vir Deum bene colens*. Genus vero femininum *Eusebia*, ab eodem fonte derivatum, fortasse propius pertinet ad εὐσέβειαν, cuius vis est *pietas*. – (Mart. Rom. XVII Cal. Ian. e. a.).

Eustachio[i] **Eustache**[g] **Eustaquio**[h] **Eustachius**[ge]: Eustachius, ii, m. Nomen, aetatis christianae proprium, est nomen Graecum Εὐστάχιος cum terminatione Latina; quae est altera appellandi ratio verbi εὔσταχυς: hoc autem compositum est ex εὖ et στάχυς (= *bene* - *spica*). Est ergo nominis interpretatio: *qui bonas spicas fert* seu *frugifer*, *fructuosus*. – In Mart. Rom. quinquies recensetur.

Eustazio[i]: Eustathius, ii, m. Nomen derivatum est ab adiect. εὐστάθης (εὖ - ἵσταμαι, ἐστάθην), quo significatur *bene stans* seu *firmus*, *tranquillus*. – (Mart. Rom. V Cal. Aug.).

Eustochia[i]: Eustochia, ae, f. Nomen ductum est ab εὖ et στόχος (= *scopus*, *meta*), atque eo homo significatur *bene ad scopum tendens seu recta ad scopum dirigens ictum*; cf. Goth. *us-stagg* = *excide* (imperat.).

Scriptum legimus in veteribus titulis christianis; cf. Diehl 4373 A: « Aurelia Eustocia »; item 2509 A.

Hoc nomine praeterea appellata est monialis ex Ordine S. Benedicti, Sanctis Caelitibus annumerata, quae vitam voluntariis castigationibus asperam in monasterio S. Prosdocimi ad Patavium urbem egit et

Id. Febr. a. 1469 de vita decessit; cf. F. Doyé, *Heilige und Selige der römisch = katholischen Kirche*, I, p. 346.

Eustochio[i]: Eustochium, ii, n. Hoc nomen muliebre est blanda appellatio pro Eustochia usurpata (v. *Eustochia*), siquidem est Graecum nomen Εὐστοχίον (= *parva, suavis Eustochia*) in sermonis Latini rationem translatum.

Quo blando nomine imprimis insignis fuit virgo Romana e gente Iulia, filia Paulae, matronae nobilissimae, non solum genere sed etiam sanctimonia vitae spectabilis. Quae postquam cum matre Syriam et Aegyptum peragravit et sacra Palaestinae loca invisit, reliquum vitae spatium in coenobio Bethleemitico transegit.

Nec tantum ad pietatem colendam sed etiam ad litterarum exercenda studia applicuit animum fuitque linguae Graecae et Hebraicae sciens, ut S. Hieronymus testatur, quo illa usa est magistro atque ductore quique plures ad eam litteras dedit. De vita decessit anno 418 vel 419.

Eius festum in Mart. Rom. IV Cal. Oct. recensetur; ubi alius Eustochii, virginis et martyris, sollemne recolitur.

Eustorgio[i] **Eustorgio**[h]: Eustorgius, ii, m. Est nomen Graecum Εὐστόργιος in sermonem Latinum translatum, quod effectum est verbis εὖ (*bene*) et στέργω seu στοργέω (*amo*). Animadvertas autem στοργήν non esse amorem e cupidine ortum, sed amorem, quo parentes in filios et filii in parentes sint affecti, seu pietatem Romanorum. – (Mart. Rom. VIII Id. Iun. e. a.).

Euterpe[i]: Euterpe, es, f. Coaluit e verbis Graecis εὖ - τέρπω, quorum priore *bene*, altero *saturo, oblecto* significatur (cf. prisc. Ind. *tarp*, h. e. *saturari*; Goth. *thraf - stja*, h. e. *consolor*; Germ. rec. *trösten*, h. e. *consolari*). Euterpe est una e novem Musis, cui tribuuntur lyrica.

Eutichio[i]: Eutychius, ii, m. Nomen effectum est verbis Graecis εὖ et τύχη, quibus *bene* et *sors, fortuna* significatur; cf. εὐτυχής, h. e. *felix*. Nomen Eutychii scriptum videmus sequiore aetate; cf. Trebell. *Trig. tyr.* 22; De Rossi, *Rom. Sott.*, II, p. 162. – (Mart. Rom. IX Cal. Sept. e. a.).

Eutropio[i]: Eutropius, ii, m. Nomen, Romanorum imperii aetate satis usitatum, effectum est verbis Graecis εὖ et τρόπος (= *bene - mos*; cf. εὔτροπος), quibus *bene moratus* significatur. – (Mart. Rom. Id. Iul. e. a.).

Eva[i] **Eve**[g] **Eva**[h] **Eva**[a] **Eva**[ge]: Eva, ae, vel Heva, ae, f. (cf. Isid. *Orig.* VII, 6, 5 et 6). Sept. Interpretes scripserunt Εὔα (unde derivata est Latina scribendi ratio *Eva*). Plerumque nomen repetitur a verbo Hebraico *hhâyâh*, quo *vivere* significatur; atque hanc sententiam in ipsis etiam libris divinis invenimus; cf. *Gen.* III, 20: « Et vocavit Adam nomen uxoris suae Heva, eo quod mater esset cunctorum viventium ».

Haec autem originatio e vulgi mente, non e recondita doctrina permanasse videtur. Est qui opinetur primam mulierem appellatam esse a verbo *Semitico*, cuius vis sit serpens (cf. Arab. *hayya* = *serpens*); sed inter viros in enodandis originibus peritos non convenit. De S. Eva, martyre Abitinensi (a. 304), commemoratur in *Actis SS. Saturnini et Soc.*; occurrit nomen praeterea in veteribus titulis christianis; cf. Diehl, 697, 936, 4214 (*Eva*), 936 (*Heva*).

Evagrio[i]: Euagrius, ii, vel, ex usu Ecclesiae, Evagrius, ii, m. Ducitur ab adi. εὔαγρος (εὖ - ἄγρα), quo *vir in venando fortunatus* significatur. In Mart. Rom. IV Sancti Caelites, hoc nomine insignes, recensentur.

Evaldo[i]: v. *Ewald.*

Evan[a] **Ewan**[a] **Ewen**[a]: Evanus, i, m. Videtur esse nomen *Ioannis* in Celticae linguae rationem translatum. Cf. Partridge, p. 113.

Evandro[i]: Euander, dri, vel Euandrus, i, m. Nomen compositum est e verbis Graecis εὖ, h. e. *bene*, et ἀνήρ, ἀνδρός, quo *vir* significatur; est ergo interpretatio: *vir bonus.* De Euandro, filio Hermetis et Carmentis, commemorant Livius, Horatius, Ovidius, Gellius, Ammianus, Vergilius, apud quem casus rectus exit in *-us* (cf. *Aen.* VIII, 100: «tum res inopes Euandrus habebat»).

Evardo[i]: Evardus, i, m. Nomen structum est, quemadmodum videtur, e verbis Germanicis *aiva*, Goth. *aivs*, prisc. Germ. *êwa*(*êo*), quo *tempus*, potissimum vero *lex*, *statutum* significantur (cfr. Germ. rec. *Ehe* = *matrimonium*), et *hardu*, Goth. *hardus*, prisc. Germ. *hart*, cuius vis est *fortis*, *strenuus*. Apud Förstemann, 51, scriptum legimus vulgare nomen Germanicum *Ewart.*

Evangelina[i] **Evangelina**[h]: Evangĕla, ae, vel Evangĕle, es, f. Nomen coaluit e verbis Graecis εὖ et ἄγγελος, quorum alterum *bene*, alterum *nuntium* significat: ideo Latine quasi *nuntia bonorum* vel *laeta nuntia* audit. Apud Vitruvium commemoratur nomen *Euangelus*, *i* (X, 2, 15); apud Diehl autem *Euangele*, 2998; cf. ib. 2960, 3222: *Euangelia.*

Evaristo[i] **Evariste**[g] **Evaristo**[h]: Euaristus, i, vel, ex usu Ecclesiae, Evaristus, i, m. Nomen , quo appellatus est, praeter alios, Summus Pontifex, martyrio affectus (Mart. Rom. VII Cal. Nov.), coaluit ex εὖ, h. e. *bene*, et ἄρεστος, h. e. *gratus*, *placens* (ab ἀρέσκω); ἄρεστος autem in vulgi mente transiit in ἄριστος (= *optimus*); cf. Tagliavini, p. 364.

Eve[g]: v. *Eva.*

Eveleen[a]: v. *Evelina.*

Evelina[i] **Eveline**[g] **Evelina**[h] **Eveleen**[a]: Evelina, ae, f. Est quidem, ut videtur, bl. app. pro Eva, tamen, Latinitate quasi donatum, ut nomen proprium recipi potest. Sunt tamen, qui nomen ab alio repetant fonte; cf. Goth. *awiliuth*, h. e. *gratiarum actio.*

Everardo[i] **Evrard**[g] **Everardo**[h] **Everard**[a] **Eberhard**[ge] **Everard**[ge]: Eberardus, i, m. Nomen ductum est a verbis Germanicis *ebur* et *hard*, quae sic in Latinum convertuntur: *aper* et *fortis*, *audax.*

Evita[h] **Evie**[a] **Evy**[a]: bl. appl. pro Eva.

Evrard[g]: v. *Everardo.*

Ewan[a]: v. *Evan.*

Ewald[ge]: Evaldus, i, m. Nomen compositum est e verbis Germanicis *ê* (*êwa, êwe, eo, eu*), quo *pactio, ius* (cf. *Ehe*, h. e. *matrimonium*) significatur, et *wald* (*walt, valdan*), in quo inest vis *dominandi.* Qui ergo *secundum ius dominatur*, eo appellari videtur. Recensetur in Mart. Rom. VII Non. Oct. (*Ewaldus*).

Ewart[ge]: v. *Everardo.*

Ewen[a]: v. *Evan.*

Ezechia[i]: Ezechīas, ae, m. Nomen derivatum est a verbis coniunctis Hebraicis *Hhizqiyyâh* vel *Hizqiyyahû*, quibus significatur: *robur Yahve* seu *Domini* vel *quem Dominus roborat.*

Ezechiele[i] **Ezekiel**[a]: Ezechiel, is, m. Hoc nomine, uni e maioribus prophetis indito, significatur: *Deus est validus*, vel *Deus firmat* (*Yehherzq'êl*).

Ezio[i]: Aetius, ii, m. Non una est huiusce nominis origo: etenim *Aetius, Aetus, Aedius* est vetus nomen gentilicium Romanum, a fonte Etrusco, quemadmodum videtur, deductum (Tagliavini, p. 69).

Est autem notius nomen Aetii (*Aetius*), senescente Romanorum imperio usurpatum; quod a sermone Graeco derivatum est, scil. ab ἀετός seu αἰετός, quo *aquila* significatur. Hoc imprimis appellatus est dux (Flavius Aetius), qui anno 451 Hunnos in campis Catalaunicis fudit fugavitque.

Ezra[i] **Ezra**[a]: Ezra, ae, vel Ezer, m., sine postrema syllaba Latina; est nomen Hebraicum *'Ezer*, quo *auxilium* significatur.

Ezzelino[i]: Ezelinus, i, m. Nomen deductum est a prisca voce Germanica *aza*, quae est blandus appellandi modus verbi *atha*, quo *pater* significatur (cf. *Atta, Attila*). In monumentis litterarum occurrit haec exarandi ratio: *Azilin* (M.G.H. XX, saepius), *Ezzilin*, *Ecelin*; cf. Förstemann, p. 919 sqq. Ad Latinam rationem accommodatum est nomen in M.G.H. *Script.* XIV, p. 125 (*Ezelinus*) e. a.

F

Fabiano[i] **Fabien**[g] **Fabián**[h] **Fabian**[a] **Fabian**[ge]: Fabianus, i, m. Cf. *Fabio* ; est enim nomen a Fabio ductum. Recensetur in Mart. Rom. XIII Cal. Febr. e. a.

Fabio[i] **Fabius**[g] : Fabius, ii, m. Nomen deductum est a *faba*, seu a *fabae satione*, quo tempore Romani fere omnes agrorum culturam exercebant. Primitiva appellandi ratio videtur fuisse *bhabha*, qua, veluti incerta voce, aliquid turgidum significabatur ; cf. Walde-Hofmann, I, p. 436. Sunt praeterea alia nonnulla nomina, seu potius cognomina Latina, quae ad agrorum fructus referuntur, veluti Cicero (a cicere), Lentulus (a lente), Caepius (a caepa). – (Mart. Rom. V Id. Mai. e. a.).

Fabiola[i]: Fabiŏla, ae, f. Est deminutum nomen Fabiae, quod, perinde ac Fabius, a faba est deductum. Cf. *Fabio* ; occurrit in titulis, Diehl, 165 ; praeterea scriptum videmus apud Hieron. *ep.* 77: (Fabiola, matrona, Romana) « laus Christianorum, miraculum gentilium, luctus pauperum, solacium monachorum ».

Fabritius[g] : v. *Fabrizio.*

Fabrizia[i] **Fabricia**[h]: Fabricia, ae, f. ; minus recte : Fabritia, ae. V. *Fabrizio.*

Fabrizio[i] **Fabrice**[g] **Fabricio**[h]: Fabricius, ii, m. Nomen derivatum est a *fabro*, quae vox repetitur a verbo primigenio` *dhabh* ; cf. *effafilato* (*brachio*), Plaut. *Mil.* 1180 ; Goth. *gadaban*, h. e. *fieri* ; Lit. *dabnús*, h. e. *concinnus* ; Walde-Hofmann, I, p. 4236 sq.

Facino[i]: bl. app. pro Bonifatio ; v. *Bonifacio.*

Facius[ge]: bl. app. pro Bonifatio ; v. *Bonifacio.*

Facundo[h]: Facundus, i, m. Ducitur, perinde ac fatum, infans, a verbo primitivo *fa-*. Cf. Varro, *L. L.* VI, 52 : « qui facile fantur, facundi dicti ». – (Mart. Rom. VI Cal. Dec.).

Faith[a] **Fay**[a]: Fides, ei, f. Ita enim Latine redditur vulgare verbum Anglicum *faith.* V. *Fede.*

Fan[a]: bl. app. pro Francisca vel Stephania ; v. suis locis.

Fanchon[g]: v. *Francesca.*

Fanny[g] **Fanny**[a]: est bl. app. a Gallis plerumque pro Stephania, ab Anglis plerumque pro Francisca usurpata ; v. *Stefania* et *Francesca.*

Fantasio[i] **Fantaso**[i]: Phantăsos, i, m. Nomen, quo appellatus est filius

Somni (cf. Ovid. *Met.* XI, 642), derivatur a φαντάζομαι (verb. primig. φαν), quo significatur *appareo* (cf. etiam φαντασία).

Faone[i]: Phaon, onis, m. Est nomen iuvenis a Sappho frustra amati; cf. Ovid. *Her.* 15; Plin. XXII, 20.

Fara[ge]: v. *Farahilde.*

Farahilde[ge] **Faralde**[ge] **Farhilde**[ge] **Pharhilde**[ge]: Farahildis, is, f. Nomen coaluit e priscis verbis Germanicis *fara* (*fari*) et *hild*, quae idem valent ac *genus* et *proelium*. Itaque eodem significatur *femina quae pro genere suo* vel *tribu pugnat.*

Faramund[ge]: Faramundus, i, m. Nomen ductum est a priscis verbis Germanicis *fara* (vel *fari*) et *mund*, quorum altero *genus*, altero *praesidium*, *defensor* significatur. Itaque idem valet atque *defensor sui generis.*

Fargeau[g] **Fargeaud**[g]: Ferreŏlus, i, m. Nomen ductum est ab adi. *ferreus, a, um.* - (Mart. Rom. XIV Cal. Oct. e. a.).

Fastolf[ge]: Fastulfus, i. Nomen coaluit e verbis Germanicis *fast* (*fest*), quod idem valet ac *fortis*, *strenuus*, et *wolf* (*wulf*), quo *lupus* significatur; quod verbum, si cum altero coniungitur, ita ut illud praecedat, primam litteram *w* amittit. Cf. *Adolfo.*

Fatima[i] **Fátima**[h]: Fatĭma, ae, f. Nomen repetitur a fonte Arabico (a *fatama*, h. e. *ab ubere depello*); quo appellata est filia Mahometi. Nunc autem puellis imponitur ob religionem Beatae Mariae Virginis a Fatima, quippe quae eo in loco se conspiciendam obtulerit. Ubi praeclarum eius honori exstructum est templum, quod plurimi sacrae peregrinationis causa solent adire.

Fauno[i]: Faunus, i, m. Nomen fabularis numinis agros ac silvas colentis, repetitur a verbo primitivo *dhau*, in quo inest vis *suffocandi*; cf. Illyr. *Daunus*, unde *Daunia* appellata est; Walde - Hofmann, I, p. 468.

Fausta[i]: Fausta, ae, f. V. *Fausto.* - (Mart. Rom. XIV Cal. Dec. e. a.).

Faustina[i]: Faustina, ae, f. V. *Faustino*, *Fausto.*

Faustino[i] **Faustin**[g]: Faustinus, i, m. Derivatur, ut liquet, a nomine *Fausti*; v. ib. - (Mart. Rom. XV Cal. Mart. e. a.).

Fausto[i] **Faust**[g]: Faustus, i, m. Nominis origo est *favestus* ex *favestos*: est ergo verbum primitivum, unde ducitur *favos* (favor). Cf. Walde-Hofmann, p. 466. – (Mart. Rom. Cal. Aug. e. a.).

Fay[a]: v. *Faith*; est enim *Fay* priscum nomen Anglicum, quod idem valet ac *faith*, hoc est *fides.*

Fazio[i]: bl. app. pro Bonifatio; v. *Bonifacio.*

Febe[i] **Phoebe**[a]: Phoebe, es, f. Hoc nomine secundum fabularem veterum historiam appellabatur Phoebi soror (cf. *Febo*), quae eadem putabatur esse Luna vel Diana. Cf. Verg. *Georg.* I, 431: « ... vento semper rubet aurea Phoebe »; id. *Aen.* X, 215: « ... almaque curru - Noctivago Phoebe medium pulsabat Olympum ». Erat etiam nomen mu-

liebre christianum; cf. Diehl, 4274, 2336.

Febo[i]: Phoebus, i, m. Est verbum Graecum φοῖβος, quo *purus*, *lucidus* significatur, quodque adiciebatur Apollini.

Fede[i] **Faith**[a]: Fides, ei, f. Verbum fido, quocum nomen est coniunctum, derivatur a voce primitiva *bheidho*; cf. Graec. πείθομαι; Goth. *baidjan*, h. e. *cogere*; prisc. Germ. *beitten*, h. e. *postulare* (Germ. rec. *bitten*). Sanctae virgines ita appellatae recensentur in Mart. Rom. Cal. Aug. et prid. Non. Oct.

Fedele[i] **Fidelis**[ge]: Fidelis, is, m. Derivatur a *fide* seu a verbo *fidendi*; cf. *Fede*. – (Mart. Rom. VIII Cal. Mai. e. a.).

Federica[i] **Frédérique**[g] **Friderica**[a] **Friederike**[ge]: Friderica, ae, f. De originatione v. *Federico*. Est autem eius Latina interpretatio: *domina suis in saeptis*.

Federico[i] **Frédéric**[g] **Federico**[h] **Frederick**[a] **Friedrich**[ge]: Fridericus, i, m. Hoc nomen, satis commune, deducitur a fonte Germanico: a *frid* vel *vride*, cuius vis est *munitio*, *saepes*, *praesidium* (cf. Germ. nostrae aetat. *um-frieden*), et a *rîhhi* (ex *ricja*, Goth. *reiks*), quod idem valet ac *potens*. Eo ergo significatur *vir potens in sua sede circummunita* vel *tutor validus*. Nomen *Friderici* scriptum videmus apud Iordanem, *Get.* 190; in Chron. min. I, 664, II, 27, 33, et saepissime in litterarum monumentis posterioris aetatis. – (Mart. Rom. XV Cal. Aug.).

Fedora[i]: Theodora, ae, f. Est nomen Russicum, quod *Dei donum* significat; v. *Feodor*.

Fedra[i]: Phaedra, ae, f. V. *Fedro*.

Fedro[i]: Phaedrus, i, m. Derivatur a Graeco vervo φαιδρός, cuius vis est *clarus*, *splendidus*, item *hilaris*, *laetus*, *alacer*.

Fee[a]: bl. app. pro Felicitate; v. *Felicita*.

Felice[i] **Félix**[g] **Félix**[h] **Felix**[a] **Felix**[ge]: Felix, icis, m. Prisca nominis significatio est: *fecundus*, *fertilis*; ita a praestantibus Latinitatis auctoribus felix dicitur arbor, ramus, regio (Arabia Felix). Est autem vox primitiva *dhe*, unde repetitur obsoletum verbum *feo*, quod in hisce vocabulis est invenire: fecundus, femina, felare, fenus, fetus. Deinde nomini haec subiciebatur vis: *beatus*, *fortunatus*. Frequentatur plurimum in veteribus litterarum monumentis atque in Mart. Rom. saepius occurrit.

Felicetta[i]: Felicella, ae, f. In vetere titulo apud Diehl, 3163, scripta est blanda appellatio masculino genere expressa: *Felicellus*. Quoad originationem, v. *Felice*.

Felicia[i] **Felicia**[h] **Felicia**[a]: Felicia, ae, f. Nomen usurpatur in veteribus titulis; cf. Diehl, 1402, 2553, 3463. Quoad originationem, v. *Felice*.

Feliciano[i] **Feliciáno**[h]: Felicianus, i, m. Cf. *Felice*. – (Mart. Rom. IX Cal. Febr. e. a.).

Felicita[i] **Félicité**[g] **Felicidad**[h] **Felicity**[a] **Felicitas**[ge]: Felicitas, atis, f. Cf. *Felice*. – (Mart. Rom. prid. Non. Mart. e. a.).

Felipa[h]: v. *Filippa*.

Felipe[h]: v. *Filippo.*

Félix[g] **Félix**[h] **Felix**[a] **Felix**[ge]: v. *Felice.*

Fenella[a]: v. *Finella.*

Feo[i]: bl. app. pro Maffeo usurpata ; v. ib.

Feodor Fedor : Theodorus, i, m. Est nomen Russicum, quod *donum Dei* significat (cf. *Fedora*) ; v. *Teodoro.*

Ferdie[a]: bl. app. pro Ferdinando ; v. ib.

Ferdinando[i] **Ferdinand**[g] **Fernand**[g] **Fernando**[h] **Ferdinand**[a] **Ferdinand**[ge]: Ferdinandus, i, m. Vitiose scribitur a quibusdam more fere vulgari Fernandus. De originatione prioris nominis partis non omnes conveniunt : ducitur enim aut a verbo Germanico *fart* (prisci Scandinavi dixerunt *ferdhr* ; cf. Germ. rec. *Fahrt, fahren*), quo *iter* significatur, aut a *frid*, quo *munitio*, *praesidium*, *pax* significantur ; hoc magis videtur probari, cum in Visigothorum sermone inveniatur nomen *Fridhusnandhs* (Gothi enim pro *frid* dixerunt *frithus*) ; cf. Dauzat, p. 252. Altera nominis pars efficitur verbo prisco *nanthi* (apud Gothos audiebat *nanthjan*, apud Germanos, qui olim fuerunt, *nendan*), in quo inest vis *audendi*, *contendendi*. Cf. Förstemann, 526, 536. – (Mart. Rom. III Cal. Iun.).

Ferdinanda[i]: Ferdinanda, ae, f. V. *Ferdinando.*

Fergie[a] **Fergus**[a]: Fergus, i, m. Est nomen Celticum, quo *vir fortis* significatur.

Fermo[i]: Firmus, i, m. Ducitur a verbo primitivo *dher*, in quo est vis *tenendi*, *fulciendi* ; cf. prisc. Ind. *dharáyati*, h. e. *tenet*, *fert*, *fulcit* ; Walde-Hofmann, I, p. 505 sq. – (Mart. Rom. postr. Cal. Febr. e. a.).

Fernanda[i]: v. *Ferdinanda.*

Fernando[i] **Fernand**[g] **Fernando**[g] ; v. *Ferdinando.*

Feronia[i]: Feronia, ae, f. Hoc nomen deae nemorum, quam Varro *L. L.* V, 74, a Sabinis repetit, deducendum est a fonte Etrusco ; cf. Schulze, p. 165 sq. (Etr. *perna*). Ceterum in Etruria hoc numen potissimum excolebatur.

Ferrante[i]: Ferdinandus, i, m. Est enim alia huiusce nominis scribendi ratio ; v. *Ferdinando.*

Ferruccio[i]: Ferrucio, onis, vel Ferrucius, ii, m. Prius nomen commemoratur a Gregorio Tur., *glor. mart.*, 71 ; pertinet ergo ad Latinitatem christianam. Recensetur etiam in Mart. Rom. a. d. XVI Cal. Iul., quemadmodum alterum nodem a. d. IV Cal. Nov. (*Ferrutius*). Ducitur autem, perinde ac Ferreolus, a *ferro.*

Fiammetta[i]: Flammŭla, ae, f. Hoc verbum, quo *parva flamma* significatur, scriptum videmus apud Col., IX, 14 et alios.

Festo[i]: Festus, i, m. Hoc verbum pertinet ad nomen *feriae*, quod in prisco sermone audiebat *fesiae.* – (Mart. Rom. XII Cal. Ian. e. a.).

Fidelio[i]: Fidelius, ii, m. Nomen derivatum est a *Fidele* (v. *Fedele*), sed apud nullum veterem Latinitatis scriptorem invenitur ; occurrit autem in titulis nomen *Fidelia* ;

cf. inscr. ap. Mommsen, n. 6003. Invaluit praesertim propter drama musicum Beethovenianum, hoc nomine inscriptum.

Fidelis[ge]: v. *Fedele.*

Filadelfo[i]: Philadelphus, i, m. Nomen effectum est verbis φιλέω (φίλος), in quo est vis *amandi*, et ἀδελφός, quo *frater* significatur. In Mart. Rom. Martyres, ita appellati, recensentur VI Id. Mai. et IV Non. Sept.

Filemone[i]: Philemo vel Philemon, ŏnis, m. C. acc. exit vel in *-em*, vel, more Graecorum, in *-a*. Ductum est nomen a vocabulo Graeco φίλημα, quo *osculum* significatur.

Filiberto[i] **Philibert**[g] **Philibert**[a] **Filibert**[ge]: Filibertus, i, m. Ab aliis vitiose scribitur Philibertus, cum nomen non a Graeco fonte derivetur sed a Germanico. Est autem haec originatio : *vil-bert* (*berath*), quorum altero *multum*, altero *clarus*, *nobilis* significatur. In Mart. Rom. recensetur Sanctus Caeles ita appellatus XIII Cal. Sept. et XI Cal. Sept.

File[ge]: bl. app. pro Philomena ; v. *Filomena.*

Filippa[i] **Philippe**[g] **Felipa**[h] **Philippa**[a] **Philippine**[ge]: Philippa, ae, f. V. *Filippo.* – (Mart. Rom. XI Cal. Oct.).

Filippo[i] **Philippe**[g] **Felipe**[h] **Philip**[a] **Philipp**[ge]: Philippus, i, m. Nomen effectum est verbis Graecis φίλος, quo *amicus* significatur, vel φιλέω, cuius vis est *amo*, et ἵππος, h. e. *equus*. In Mart. Rom., praeter S. Philippum apostolum, V Id. Mai., plures alii recensentur Caelites, hoc nomine appellati.

Filomela[i]: Philomela, ae, f. Hoc nomen, quo secundum fabularem historiam appellata est filia Pandionis, regis Atheniensium, Procnes soror, coaluit e verbis Graecis φίλος, vel φιλέω, in quibus inest vis *amandi*, et μῆλος, quod idem valet ac *carmen*, *cantus* ; est ergo eius interpretatio : *quae cantu delectatur.*

Filomena[i] **Philomène**[g] **Filomena**[h] **Philomena**[ge]: Philomena, ae, f. Sunt qui putent nomen esse ipsum participium passivum temp. praes. verbi φιλέω : φιλουμένη, h. e. *quae amatur* ; cf. Serv. *ad Verg. Buc.* : « Hoc sciendum est personas huius operis ex maiore parte nomina de rebus rusticis habere conficta, ut Meliboeus, ut Tiryrus... ; nam Pamphilus est totum amans, Glycerium quam dulcis mulier, Philumena amabilis ». Alii vero opinantur hoc esse corruptum nomen Philomelae (v. *Filomela*), vel ac verius quidem effectum esse coniunctis verbis Graecis φίλος μένης, ita ut interpreteris : *quae amica manet* (a μένω). Nomen Philomenae frequentatur in veteribus titulis christianis ; cf. Diehl, 4095, 3024, 4054, 2251, 3024, 2794. Recensetur in Mart. Rom. III Non. Iul.

Filoteo[i]: Philothĕus, i, m. Nomen effectum est verbis φίλος (φιλέω) ac θεός, quibus *amicus* et *Deus* significatur, atque adeo : *Dei amicus.* – (Mart. Rom. Non. Nov.).

Fina[i]: bl. app. pro Iosepha ; v. *Giuseppina.*

Finella[a] **Finnuala**[a] **Fenella**[a]: Finella, ae, f. Est nomen Celticum,

quo secundum originationem *femina candidis umeris* significatur. Cf. Partridge, p. 117.

Finette[g] **Finne**[ge] **Fini**[ge]: bl. app. pro Iosepha; v. *Giuseppina*.

Finnuala[a]: v. *Finella*.

Fiore[i]: Flos, ris, m. Cf. C.I.L. V, 8110. – (Mart. Rom. prid. Cal. Ian.).

Fiorella[i]: Florilla, ae, f. Cf. C.I.L. II, 288.

Fiorello[i]: Florillus, i, m. Cf. C.I.L. IV, 803.

Fiorentino[i] **Florenty**[g]: Florentinus, i, m. Deducitur a nomine Florentii; cf. C.I.L. VIII, 7000 e. a. – (Mart. Rom. V Cal. Oct.).

Fiorenza[i] **Florence**[g] **Florence**[a]: Florentia, ae, f. Derivatur a verbo *florendi*. Cf. Diehl, 1728, 287, 4132, 894 e. a. – (Mart. Rom. IV Id. Dec.).

Fiorenzo[i] **Florent**[g] **Florence**[a]: Florentius, ii, m. Nomen derivatum est a verbo *florendi*. Cf. Diehl, 1147, 1231, 1637 e. a. In Mart. Rom. XIII Caelites recensentur, eo insignes.

Fiorita[i]: Florĭda, ae, f. Hoc nomen, cuius aperta est significatio, invenitur iam in veteribus titulis christianis; cf. Diehl, 1681 (*Floreda* sanctimonialis), 2687, 1400 (« Florida fidelis requievit »), 2509 A, 2687, 4130 B.

Fips[ge]: bl. app. pro Philippo; v. *Filippo*.

Flaminio[i]: Flaminius, ii, m. Verbum *flamen*, unde nomen ductum est, veteres perverse a filamine repetebant; cf. Varr. *L. L.*, V, 84: « Flamines quod in Latio capite velato erant semper, ac caput cinctum habebant filo, flamines dicti »; sim. Prisc. IV, 17; Paul. ex Fest., 87: Serv. *ad Verg. Aen.* VIII, 664. Derivatur autem potius a *bhlad-(s)men* (= *sacrificium*); cf. Goth. *blotan*, h. e. *venerari*; prisc. Germ. *bluozan*, h. e. *sacrificare*; cf. S. Bugge, *Beiträge zur Kunde der indogermanischen Sprachen*, III, p. 98.

Flavia[i] **Flavia**[a]: Flavia, ae, f.; v. *Flavio*; recensetur in Mart. Rom. a. d. III Non. Oct.

Flaviano[i] **Flavian**[a]: Flavianus, i, m. Hoc nomen idem valet atque *ad Flavium pertinens*; in Mart. Rom. plures recensentur Caelites, eo insignes.

Flavio[i] **Flavius**[g]: Flavius, ii, m. Nomen deductum est ab adi. *flavus, a, um*, quod repetitur a verbo primitivo *bhla-uos*; cf. prisc. Germ. *blao* (Germ. rec. *blau*), quo color caeruleus atque etiam « flavus » significatur; Walde-Hofmann, I, p. 513 sq. Sollemne S. Flavii Non. Mai. in Mart. Rom. recensetur.

Fleur[g]: v. *Flora*.

Fleury[g]: Floridus, i, m. Cf. *Floro*.

Flora[i] **Fleur**[g] **Flora**[h] **Flora**[a] **Flora**[ge]: Flora, ae, f. V. *Floro*. Hoc nomine appellata est ethnicorum dea, quae « arbitrium floris » habebat (cf. Ovid. *Fast.* V, 100) cuique sacrum erat delubrum prope circum maximum in Urbe. Christiani colunt S. Floram IV Cal. Aug. (vel VIII Cal. Dec.).

Florence[g] **Florence**[a]: v. *Fiorenza*: ab Anglis *Florence* etiam pro Florentio (v. *Fiorenzo*) usurpatur.

Florent[g]: v. *Fiorenzo*.

Florenty[g]: v. *Fiorentino*.

Floriana[i]: Floriana, ae, f. ; v. *Floriano.*

Floriano[i] **Florien**[g] **Florian**[h] **Florian**[ge]: Florianus, i, m. Nomen ductum est a *Floro* (v. ib.) ; cf. Dessau, 4016. – (Mart. Rom. IV Non. Mai.).

Florindo[i]: Florindus, i, m. Est nomen commenticium, a *Floro* deductum, quod a Goldoni, dramatum musicorum auctore Italico, usurpatum est.

Floro[i] **Flour**[g] **Flor**[ge]: Florus, i, m. A nonnullis Latinitatis scriptoribus usurpatur adi. *florus, a, um* ; cf. Gargil. Mart. *de arb. et pom.* 2, 12 *Mai* : « Armenia (poma) floriora sunt ». Per translationem eo significatur etiam *splendidus, praeclarus* ; cf. Acc. tr. 246, « flora lanugo » ; id. tr. 255 ; Pacuv. tr. 19 ; Verg. *Aen.* 12, 605 : « filia prima manu floros Lavinia crinis... » ; Gell. 3, 9, 3 ; Naev. tr. 50. Tamen Walde- Hofmann. I, 513 sq., opinantur hoc adiectivum, si originationem spectes, seiungi non posse ab eo quod *flavus, a, um* appellatur (*florus* ab *bhlo-ros*) ; cf. *Flavio.* Nomen frequentatur apud veteres scriptores et in titulis ; cf. Diehl, 1967, 1971, 2091, 56, 9, 57, 8, 3572 e. a. In Mart. Rom. duo recensentur Sancti Caelites, hoc nomine appellati.

Florrie[a]: bl. app. pro Flora vel Florentia ; v. *Flora, Fiorenza.*

Floss[a] **Flossie**[a]: v. *Florrie, Fiorenza.*

Flower[a]: Flora, ae, f. (v. ib.) ; re enim vera verbo Anglorum *flower* Latine *flos* significatur.

Folco[i]: v. *Fulco.*

Folko[ge]: v. *Fulco.*

Fortuna[i]: Fortuna, ae, f. Verbum ductum est a *forte* (fors, tis), quae vox derivatur a *ferendo.*

Fortunata[i]: Fortunata, ae, f. Cf. *Fortuna.* – (Mart. Rom. prid. Id. Oct.).

Fortunato[i] **Fortuné**[g]: Fortunatus, i, m. Cf. *Fortuna.* – (Mart. Rom. III Cal. Mart. e. a.).

Fosca[i]: Fusca, ae, f. Ducitur, perinde ac furvus, a. um, a verbo primitivo *dhus* ; cf. Angl. *dusk*, h. e. *turbidus, obscurus.* – (Mart. Rom. Id. Febr.).

Foucaud[g] **Volkwald**[ge] : Fulcaldus, i, m. Nomen effectum est verbis Germanicis *folk* (*volk*), quo *populus* significatur, et *walt* (*wald, valdan*), in quo inest vis *dominandi.*

Foulque[g]: v. *Fulco.*

Fran[a]: bl. app. pro Francisca ; v. *Francesca.*

Franca[i]: Francisca, ae, vel Franca, ae, f. V. *Francesco* et *Franco.*

France[a] **Francie**[a]: bl. app. pro Francisca ; v. *Francesca.*

Francesca[i] **Francoise**[g] **Francisca**[h] **Frances**[a] **Franziska**[ge]: Francisca, ae, f. V. *Francesco.* – (Mart. Rom. VII Id. Mart. e. a.).

Francesco[i] **Francois**[g] **Francisco**[h] **Francis**[a] **Franz**[ge]: Franciscus, i, m. Nomen derivatum est a verbo Germanico *frank* (*franko*), quo *liber, ingenuus* significatur ; eo praeterea appellata est gens Germanica, h. e. *Franci*, quae, postquam in Galliam invasit, ibi sedem constituit, unde ea regio Franciae nomen accepit, a senescentis aetatis Romanorum scriptoribus usurpatum (cf. Claud.

De cons. Stil. I, 237; Auson, *prec.* (VI)29, p. 18 Schenkl, e. a.). Adi. *Franciscus, a, um,* adhibetur primum, quemadmodum videtur, ab Isid. XVIII, 6, 9: « Secures signa sunt quae ante consules ferebantur; quas Hispani ab usu Francorum per derivationem Franciscas vocant »; apud alios est: *Francus, a, um* (Hieron., *vit. Hil.* 22), vel *Francicus, a, um* (Treb. Poll. Gallien 7, 1; Ven. Fort. *carm.* 9, 4, 8; Vopisc. Prob. 11, 9). Nomine ergo Francisci vir *Francus* (vel Gallus) significatur; cf. C.I.L. III, 3576: « Francus ego cives (sic), Romanus miles in armis ». – (Mart. Rom. VI Id. Oct., IV Non. Oct., IV Cal. Febr., III Non. Dec. e. a.).

Francis[g]: v. *Francesco.*

Francis[a] **Francisco**[h]: v. *Francesco.*

Franco[i]: Franciscus, i, vel Francus, i, m. Plerumque *Franco* est deminutum nomen Francisci (v. *Francesco*); attamen vim nominis proprii potest habere, siquidem iam veteribus temporibus nomen *Franko* (i.e. pertinens ad gentem Francorum) invaluit; cf. Diehl, 1423: « Francio ».

Francois[g] v. *Francesco.*

Francoise[g]: v. *Francesca.*

Frank[a] **Frankie**[a]: v. *Francesco.*

Franklin[a]: Franclinus, i, m. Hoc nomen, re vera alicui familiae inditum, saepe pro nomine usurpatur, praesertim memoriae ergo Beniamini Franklin, praeclari viri e Foederatis Americae Septemtrionalis Civitatibus (1706-1790).

Franz[ge]: v. *Francesco.*

Frasco[h] **Frascuelo**[h]: bl. app. ab Hispanis pro Francisco usurpata; v. *Francesco.*

Fredegando[i] **Frédégand**[g]: Fredegandus, i, m. Huius nominis origo est Germanica; ducitur enim a *frid,* cuius vis est *munitio, saepes, praesidium,* et *gand* (apud veteres Scandiae gentes *gandr*), quod idem valet ac *fascinatio, res mira*; cf. Förstemann, 594.

Fuit autem S. Fredegandus, qui saeculo VIII aevum agitavit, abbas monasterii in urbe Turnino (= *Deuren* in Batavia) positi, quam Normanni deleverunt. Cf. F. G. Holweck, *A biographical Dictionary of the Saints*, St. Louis 1924.

Fred[a] **Freddie**[a] **Freddy**[a]: bl. app. pro Friderico; v. *Federico.*

Fredegonda[i] **Friedegunde**[ge]: Fridegundis, is, f. Nomen ductum est a Germanicis vocabulis *frid* et *gund,* quorum altero *munitio, praesidium,* altero *proelium* significatur; quapropter idem valet ac mulier quae *praesidio est in pugna.*

Frédéric[g] **Frederick**[a]: v. *Federico.*

Frederica[a]: v. *Federica.*

Frederico[h] **Fredric**[a]: v. *Federico.*

Free[a]: v. *Frida.*

Frida[a] **Frida**[ge]: Frida, ae, f. Est haec blanda appellatio atque pars eorum nominum Germanicorum, quae ex *frid* (= *munitio*) et altero verbo coniuncto coaluere (veluti Friderica, Elfrida, Vinfrida); sed iam vim nominis proprii obtinet.

Friederike[ge]: v. *Federica.*

Fridolin[ge]: Fridolinus, i, m. Est blanda appellatio deducta a verbo

Germanico *frid*, quo *munitio*, *praesidium*, atque etiam *pax* significantur. Hoc nomen inditum est viro sanctitatis laude ornato, qui mortuus est anno 514.

Frieda[ge] : v. *Frida*.

Friedbald[ge] **Friedebald**[ge] : Fridebaldus, i, m. Nomen hoc Germanicum coaluit ex *frid* et *bald*, quae verba idem valent ac *munitio*, *praesidium*, et *fortis*, *audax*.

Friedbert[ge] : Fridebertus, i, m. Hoc nomen Germanicum coaluit ex *frid* et *bert* (*beraht*), quorum altero *munimen*, *praesidium*, altero *clarus*, *nobilis* significatur ; est ergo nominis interpretatio : *tutor clarus*.

Friedegunde[ge] : v. *Fredegonda*.

Friedemann[ge] **Friedmann**[ge] : Fridemannus, i, m. Nomen effectum est verbis Germanicis *frid* et *mann*, quae idem valent ac *munitio*, *praesidium*, et *vir*.

Frieder[ge]: bl. app. pro Friderico vel Godefrido.

Firmino[i] **Firmin**[g] **Firmin**[ge] : Firminus, i, m. Nomen ductum est a *Firmo* ; v. *Fermo*. – (Mart. Rom. V Id. Mart. e. a.).

Friedrich[ge] : v. *Federico*.

Frine[i] **Phyrne**[a]: Phryne, es, vel Phryna, ae, f. Nomine φρύνη significatur *bufo* ; cf. prisc. Germ. *brun* ; Germ. rec. *braun*, h. e. *fuscus*. In mulieribus quaestu meretricio famosis et hoc nomine appellatis fuit Phryne Thespia ; quam specie praeclaram Apelles in Venere Anadyomene et Praxiteles in Venere Cnidia finxerunt, ut tradit Arnob. VI, 199.

Fritz[ge]: bl. app. pro Friderico ; v. *Federico*.

Frediano[i]: Frigdianus, i, m. – (Mart. Rom. XVI Cal. Apr.).

Frobert[g] **Frodebert**[ge]: Frodebertus, i, m. Nomen effectum est priscis verbis Germanicis *frôt* (*fruot*, *frod*), quo *prudens*, *sapiens* significatur, et *bert* (*beraht*), in quo inest vis *splendendi*.

Fromond[g] **Fromund**[ge] : Fromundus, i, vel Frodemundus, i, m. Quoad priorem nominis partem, v. *Frobert* ; altera, *mund*, idem valet ac *munitio*, *praesidium*.

Fruttuoso[i]: Fructuosus, i, m. Terminatio *-osus*, quam haud raro in nominibus est invenire, adauctam rei significationem solet indicare ; est igitur fructuosus (a *fructu* appellatus) quasi *valde frugifer* ; cf. Goth. *brukjan* ; prisc. Germ. *bruhhan* (German. rec. *brauchen*), h. e. *uti*, *frui*. – (Mart. Rom. XII Cal. Febr. ; XVI Cal. Mai.).

Fulberto[i] **Foubert**[g] **Fulbert**[a] **Fulbert**[ge] : Fulbertus, i, m. Hoc nomen derivatur a verbis Germanicis *volk* et *bert* (*beraht*), quae idem valent ac *populus* et *clarus*, *splendens*.

Fulco[i] **Foulque**[g] **Fulquio**[h] **Fulk**[a] **Fulko**[ge]: Fulcus, i, m. Nomen ductum est a verbo Germanico *folk* (*volk*), quo *populus*, *gens* significatur. In monumentis litterarum a Germanis olim Latine conscriptis frequentatur magis nomen *Fulco*. – (Mart. Rom. XI Cal. Iun. ; VII Cal.-Nov.).

Fulgenzio[i] **Fulgence**[g] **Fulgencio**[h] **Fulgentius**[ge] : Fulgentius, ii, m. No-

nem a verbo *fulgendi* ducitur, cuius eadem est origo ac vocis flagrandi, fulguris, fulminis ; cf. Graec. φλέγω, h. e. *ardeo* ; prisc. Germ. *blecchazen* (cf. *blitzen*), h. e. *micare*, *fulgurare*. – (Mart. Rom. Cal. Ian.).

Fulk[a] **Fulke**[a] **Fulko**[ge]: v. *Fulco*.

Fulton[a]: Fultonius, ii, m. Est, ut nos appellamus, cognomen, quod pro nomine ponitur ex usu gentium, quae Anglico utuntur sermone (maxime in America). Ut desinens syllaba *ton* comprobat, est loci nomen (*ton*, olim *tūn*, *tounne*, *toun*, *tone*, nunc *town* idem valet atque locus *munitus*, *oppidum*; cf. Celt. *dun*, - *dunum* ; Germ. med. aet. *zûn* ; Germ. rec. *Zaun* = *munitio*, *saepes*) ; re quidem vera in Foederatis Americae Septemtrionalis Civitatibus minimum quattuor urbes vel oppida posita sunt, *Fulton* appellata (est tamen fatendum natalem urbem Roberti Fulton, quae *Little Britain* (= *Parva Britannia*) olim vocata erat, ab eodem nomen accepisse).

Inter viros Americanos, qui supra dictus est, Robertus Fulton (1765 - 1815) claruit ob inventa a se excogitata et perfecta.

Fulvio[i]: Fulvius, ii, m. Fulvus, unde nomen ductum est, dicitur « de rufo atque viridi mixtus » (Gell. II, 26, 11). Derivatur autem ab eodem fonte, a quo flavus (*bhla* - *uos*) ; cf. Walde-Hofmann, I, p. 561.

Furio[i]: Furius, ii, m. Antiquior ratio nominis scribendi (quo gens Romana appellabatur) est *Fusius* ; cf. Liv. III, 4, 1 : « Furios Fusios scripsere quidam » ; Quintil. I, 4, 13. Nomen est fortasse ab origine Etrusca repetendum ; cf. Schulze, p. 171.

G

Gabe[a]: bl. appell. ab Anglis pro Gabriele usurpata ; v. ib.

Gabino[i]: Gabinus, i, m. Hoc nomen a Gabiis, oppido Latii ad viam Praenestinam sito, ductum est.

Gabriele[i] **Gabriel**[g] **Gabriel**[h] **Gabriel**[a] **Gabriel**[ge]: Gabriel, elis, m. Ab aliis non inclinatur in casus. Hoc nomen coniungi potest cum Hebraico vocabulo *geber*, cuius vis est *vir fortis*, et *El*, quod idem valet ac *Deus* ; itaque *heroem*, vel *virum Dei*, vel *fortitudinem Dei*, vel *eum cui Deus fortitudo est*, significat.

Gabriella[i] **Gabrielle**[g] **Gabriela**[h] **Gabriella**[a] **Gabriele**[ge] : Gabriela, ae, f. ; v. *Gabriele.*

Gaby[a]: bl. app. pro Gabriela ; v. ib.

Gaddo[i]: bl. app. pro Gerardo usurpata ; v. *Gerardo.* Tamen invenitur etiam ut nomen ita perscriptum in veteribus litterarum monumentis Germanicis (*Gaddo* ; Förstemann, p. 563), videturque derivari a prisco verbo Germanico *gadan*, hoc est *iungi* (cf. *Gatte* = *maritus*).

Gaetana[i]: Caietana, ae, f. ; v. *Gaetano.*

Gaetano[i] **Cajétan**[g] **Cayetano**[h] **Kajetan**[ge] : Caietanus, i, m. De vocis origine varia a veteribus scriptoribus traduntur ; cf. Serv. *ad Verg. Aen.* VI, 900 ; VII, 1 sqq. : « Lectum tamen est in philologis in hoc loco (Caietae) classem Troianorum casu concrematum : unde Caieta dicta est ἀπὸ τοῦ καίειν ». Sed alii aliunde derivant.

Est autem Caieta oppidum loci amoenitate insigne, in Campania, eodemque nomine appellata est Aeneae nutrix. *Caietanus, a, um*, apud veteres scriptores (Symm., Val. Max., al.) occurrit et in titulis ; cf. C.I.L. X, 3114 ; ut cognomen, seu signum, Caietanus usurpatur a Mart. VIII, 37 : « Quod Caietano reddis, Polycharme, tabellas... ». Recensetur in Mart. Rom. VII Id. Aug.

Gaggio[i]: Caius, i, m. In vulgari enim Italorum ex Etruria sermone nomen *Caio* deflexum est in *Gaggio* ; cf. Sertoli Salis, p. 103.

Gail[a]: bl. app. pro Abigail, f. V. ib.

Gal[a]: v. *Gallo.*

Galatea[i]: Galatēa, ae, f. Est nomen nymphae marinae, ductum a γάλα, quod *lac* significat (Verg. *Ecl.* I, v. 31), quasi lactea sit ob candorem corporis ; ut nomen muliebre commune occurrit in titulis ; cf. C.I.L. V, 846, 2224. Est etiam vetus no-

men christianum ; cf. Diehl, 2479, 3253 A, 4541.

Galdino[i]: Galdinus, i, m. Plerumque nomen habetur blanda appellatio pro Gerardo ab Italis usurpata ; rectius autem deducitur a nomine Germanico *Waldin* (*Waldinus*), in quo inest vis *dominandi* (*valtan*), quodque Galli, a quibus Itali id mutuati sunt, deflexerunt in Galdin ; cf. Tagliavini, p. 121. S. Galdini sollemne recensetur in Mart. Rom. XIV Cal. Mai.

Galdo[i]: Valdo, onis, m. Videtur enim *Galdo* per sermonem Gallicum a fonte Germanico permanasse ; cf. *Galdino*, *Waldo*.

Galeazzo[i] **Galeazo**[h]: Galeatius, ii, m. Media aetate (Genuae saec. XIV) navis velis remisque instructa, seu quinqueremis, e sermonis Latini tunc usitati ratione appellabatur *galeacia* vel *galeatia*, quod verbum derivatum est a galea. Cf. C. Battisti-S. Alessio, *Dizionario etim. ital.*, III, p. 1749 sq. ; praeterea ab infimae Latinitatis scriptoribus usurpatur vox *galeasia* seu *galeatia* pro galea, Du Cange, *Gloss.* ; qui vero galeas, capitis armaturas, facit, ab iis dicitur *galearius*, ib. Nomen ergo Italicum *Galeazzo* aut pertinet ad *galeatiam* navem, aut significat *galearium.*

Galene[i]: Galene, es, f. Hoc nomine, a γαληνός ducto, *tranquillitas* significatur.

Galeno[i] **Galien**[g]: Galenus, i, m. Nomen derivatur a verbo γαληνός, quod idem valet atque *hilaris*, *tranquillus*. Galenus fuit medicus aetate Antonini imperatoris. Ut nomen virile commune occurrit in quodam titulo ; C.I.L. V, 5274.

Galerio[i]: Galerius, ii, m. Nomen derivatur a verbo *galero* (scil. a *galea*), quod rotundum tegumentum capitis e pelle confectum significat ; videtur autem deductum esse a γαλέη (h. e. *meles*) seu a γαλίς (cf. Lat. *glis*, h. e. parvum animal muri simile) ; prisc. Ind. *girih*, h. e. *mus* ; A. Schrader, *Zeitschr. f. vergleich. Sprachforschung*, 30, p. 471, sq.

Galileo[i] : Galilaeus, i, m. Ducitur a nomine regionis, patriae Servatoris Iesu Christi, quod Hebraice *Gâlîl*, Latine *Galilaea* audit (a verbo *gâlal*, quo *volvit* significatur ; *Gâlîl* igitur idem valet atque *anulus*, *circulus*, *tractus terrae*, *regio*). Antiquis temporibus Christiani interdum per ludibrium appellabantur Galilaei ; cf. Cassiod. *Hist. trip.* VI, 7 ; Theod. *Hist.* III, 7, de Iuliano Apostata, qui vetuit, « ne Galilaei poeticam, rhetoricam, philosophiam discerent ».

Gallo[i] **Gall**[g] **Galo**[h] **Gallus**[ge]: Gallus, i, m. Nomen ductum est a fonte Celtico : a *ghas - los*, quo *advena*, *peregrinus* significatur ; cf. A. Holder, *Altceltischer Sprachschatz*, Leipzig 1896, p. 1638 sqq. Alii vero huic nomini Celtico vim *potentiae* subiciunt ; *gal* enim apud gentem Britanniae Minoris idem valet ac *potentia* (apud Cornubiae incolas : *gallos*) ; cf. Tagliavini, p. 353. Nomen occurrit saepe in veteribus titulis ; cf. Diehl, 150, 1057 ; C.I.L. V, 3763, VIII, 2255, XI, 114, XII, 1524. – (Mart. Rom. Cal. Iul.; XVIII Cal. Nov.).

Gandolfa[i]: Gandulfa, ae, f.; v. *Gandolfo.*

Gandolfo[i]: Gandulfus, i, m. Hoc nomen inditum est, ut omnes norunt, Arci, amoenitate loci praeclarae, in qua solent aestatem agere Romani Pontifices. Ex usu quidem Curiae Romanae scribitur interdum *Gandulphus*, qui tamen exarandi modus minus rectus esse videtur, quandoquidem nomen non a fonte Graeco, sed Germanico est derivatum. Structum est enim e priscis verbis *gandr* vel *gand*, quod idem valet ac *fascinatio, res mira* (Förstemann, p. 594 sqq.) et *wulf* (*wolf*), quo *lupus*, animal apud priscos Germanos religiosum, significatur. Ceterum in veteribus quibusdam tabulis litterarumque monumentis hoc nomen ita scriptum videmus: *Gandulfus*; scilicet in tabulis anno 690 conscriptis (I. Mabillon, *De re diplom.*, Lut. Paris. 1709, p. 473), in duobus diplomatibus Farfensibus anno 764 exaratis (I. Georgi-V. Balzani, *Il regesto di Farfa di Gregorio da Catino*, II, Roma 1879, pp. 58, 60, ubi legitur: *manus godefrid filii cuiusdam candolfi*), in tabulis Ecclesiae Bergomatis anno 979 conditis (M. Lupi, *Codex diplom. Civ. et Eccles. Bergomatis* II, Bergomi 1799, pp. 351; 615), in vita Mathildis, a Donizone Presbytero narrata (*Raccolta degli storici italiani ordinata da L. A. Muratori*, Bologna 1930, p. 68). In Mart. Rom. Caelitis ita appellati sollemne V Id. Mai. recensetur.

Gangolf[ge] **Gengolph**[ge] **Gangel**[ge]: Gangolfus, i, m. Hoc nomen Germanicum, inverso ordine scriptum, idem est ac *Wolfang* (Volfgangus); coaluit enim ex *gang-wolf*, quae idem valent atque *itio, congressio* (pugnae causa) et *lupus.*

Ganimede[i] **Ganymède**[g] **Ganymedes**[ge]: Ganymedes, is, m. Nomen ductum est a Graecis verbis γάνος et μήδω, quorum alterum *venustatem*, alterum *curo* significat. Eo appellabatur secundum fabularem veterum historiam Iovis pincerna.

Garbrand[ge]: v. *Gerbrand.*

Gard[ge]: bl. app. pro Gerardo; v. ib.

Garibaldi[i]: Garibaldus, i, m. Nomen, quo vir Italus de patria bene meritus (Iosephus Garibaldi) ut cognomine, quod nos vocamus, utebatur, a fonte Germanico fluxit: a *garo*, in quo haec inest vis: *promptus, paratus* (ad pugnam), vel *gêr* (*gari*), quo *iaculum* significatur, et a verbo *bald*, quod idem valet ac *fortis, audax, strenuus* (cf. vocabulum It. *baldo*, a Germanis mutuo acceptum). Latina nominis scribendi ratio *Garibaldus* in M.G.H. saepius occurrit.

Garnet[a]: bl. appell. pro Varino; v. *Guarino.*

Garnier[g]: v. *Guarino.*

Garrit[ge]: bl. app. pro Gerardo; v. ib.

Gaspare[i] **Gaspard**[g] **Gaspar**[h] **Gasper**[a] **Kaspar**[ge]: Caspar, ăris, vel Gaspar, ăris, m. Hoc nomen vulgo derivatum esse putatur a voce Aramaica, et ea quidem a fonte Persico ducta: a *gizbar*, cuius vis est *custos gazae.* Videtur autem potius per compendium scriptum esse pro

nomine Persico *Gathaspar* (cf. *windahwarena*), quod idem valet ac *qui habet in se splendorem*; cf. Tagliavini, p. 8. Ita appellatum esse ferunt unum e tribus Magis, qui ex orientis solis partibus (e Persia) advenerunt, ut Christum Infantem religiosis adorarent obsequiis.

Gast[ge]: v. *Arbogasto.*

Gastaldo[i]: Gastaldus, i, m. Nomen est partic. pass. temporis perfecti verbi Germanici veteris *stalljan* (nunc audit *stellen*, h. e. *ponere*, *collocare*); cf. A. Wackernagel, *Altdeutsch. Wörterbuch.* Itaque eo significatur: *constitutus*, *praepositus*. Erat enim apud Langobardos *gastaldus* vir bonis publici administrandis praepositus.

Gastone[i] **Gaston**[g] **Gastón**[h] **Gaston**[a]: Gasto, onis, m. Viri in enodandis originibus periti hoc nomen e diversis repetunt fontibus. Veri autem simile est id esse Germanicum, a verbo *gast* ductum, quo *hospes*, *peregrinus*, significatur; cf. Dauzat, p. 281; Tagliavini, p. 127 sq. Nomen autem *Gasto* in *Necrologio Fuldensi* scriptum videmus (a. 976). Alii minus recte a sermone Vasconico derivant, e cuius ratione significet *oppidum venustum*; vel idem esse putant ac *Gascon*, h. e. *Vasconem*; alii denique, non minus vitiose, opinantur corruptum esse nomen *Vedasti*, ut Wasserzieher, p. 30.

Gate[a]: bl. app. pro Agatha; v. *Agata.*

Gatty[a]: bl. app. pro Gertrude; v. ib.

Gaudenzio[i] **Gaudens**[g] **Gaudencio**[h] **Gaudence**[a] **Gaudenz**[ge]: Gaudentius, ii, m. Hoc nomen, ut liquet, est a verbo *gaudendi* ductum; cf. Graec. γηθέω, Dor. γαθέω, h. e. *laetor.* De hoc nomine commemorant Ammian. XV, 38; XV, 8, 3; Iordanes *Get.*, 176, e. a. – (Mart. Rom. XI Cal. Febr. e. a.).

Gauthier[g] **Gautier**[g]: v. *Gualtiero.*

Gay[a]: Laeta, ae, f. Verbum adiectivum Anglicum *gay* idem valet ac *laetus, a, um*; *hilaris, e.*

Gayetano[h]: v. *Gaetano.*

Gebhard[ge] **Gevehard**[ge] **Geppert**[ge]: Gebardus, i, m. Hoc nomen structum est e verbis Germanicis *geb - hard*, atque virum significat, qui *validus est in donando*; cum in Latinam rationem transfertur, *h* littera, ut in nomine Bernardi (*berin-hard*), omittitur. S. Gebardus fuit episcopus Constantiensis (m. a. 995).

Gebharde[ge]: Gebarda, ae, f; v. *Gebhard.*

Gedeone[i] **Gédéon**[g] **Gideon**[a]: Gedeon, onis, m. Hoc nomen coniungi videtur cum voce Hebraica *gid'on* vel *gid onî*, quae idem valet ac *succisor.* – (Mart. Rom. Cal. Sept.).

Gegia[i]: bl. app. pro Teresia; v. *Teresa.*

Godwin[a]: Goduinus, i, m. Nomen structum est e verbis Germanicis *gote* (*god*, *Gott*), et *win*, quorum priore *deus*, altero *amicus* significatur. Est igitur nominis interpretatio: *amicus Dei.*

Geila[ge] **Gela**[ge] **Gele**[ge]: bl. appell. pro Gertrude; v. *Geltrude.*

Gelasio[i] **Gelasio**[h]: Gelasius, ii, m.

Nomen ductum est a verbo γελάω, quod idem valet ac *rideo*. Sancti Caelites, eo insignes, recensentur in Mart. Rom. prid. Non. Febr. et XI Cal. Dec.

Gelsomina[i] **Yasmine**[g] **Jazmín**[h] **Jasmine**[a]: Iasme, es, vel Iasmina, ae, f. Nomen venusti floris, qui reapse eo exprimitur, a linguis orientalibus ad nos manavit; cf. Pers. *jasmänin*; Arab. *jâsmîn*; a quibus primum in sermonem Graecum Byzantina, quam dicunt, aetate (saec. V-VI p. Ch. n.) transiit: ἰάσμη; cf. ἰάσμινον μύρον (i.e. unguentum quoddam in Perside confieri solitum ex albae violae huius floribus, Diosc. I, 76; v. etiam E. A. Sophocles, *Greek Lexicon of the Roman and Byzantine Periods*, p. 590).

Apud Italos vox *jâsmîn* corrupta est, seu cum nomine (mori) *celsae* commixta. Ponimus ergo, ut nomen muliebre interpretemur, Graecum verbum *Iasme, es*, vel a Linneo quoque usurpatum *Iasmina, ae*, quod vocabulum recte congruit cum adiectivo Graeco ἰάσμινος, η, ον, (cf. supra ἰάσμινον μύρον).

Gelsomino[i]: Iasminus, i, m.; v. *Gelsomina*.

Geltrude[i] **Gertrude**[g] **Gertrudis**[h] **Gertrude**[a] **Gertrud**[ge]: Gertrudis, is, f. Nomen derivatum est a verbis Germanicis *gêr* (*gari*; Goth. *gairu*), quo *hasta*, *iaculum* significatur, et *trude* (*drûdi*), quo saga Germanica olim appellabatur; antiquis vero iam temporibus subaudiebatur etiam vox *trût*, cuius vis est *carus* (cf. Germ. rec. *traut*); cf. Förstemann, p. 421. – (Mart. Rom. XVI Cal. Apr.; XV Cal. Dec.).

Geminiano[i] **Géminien**[g]: Geminianus, i, m. Nomen ducitur a verbo *geminus*, quo significatur aliquem una cum altero eodem partu editum esse. Fuit autem Geminus quoque cognomen Romanorum, nempe L. Rubellii et C. Fufii, quibus consulibus Christus, salutis nostrae effector, cruci affixus esse traditur. Nomen vero Geminiani in titulis non raro scriptum videmus; cf. C.I.L. V, 2239, 3294; III, 2283, e. a. – (Mart. Rom. prid. Cal. Febr.; XVI Cal. Oct.).

Gemma[i] **Gema**[h] **Gemma**[a]: Gemma, ae, f. Hoc nomine proprie significatur *lapillus pretiosus ac tornatus*; quod ductum esse videtur a verbo primitivo *gembh*, in quo inest vis *secandi*; cf. prisc. Ind. *jambháyati*, h. e. *conterit* (I. Schmidt, *Kritik der Konsonantentheorie*, 1895, p. 154, e. a.). In veteribus titulis occurrit blandum nomen *Gemmula*; cf. Diehl, 1926, 3506, 3849.

Gene[a]: v. *Eugenia*.

Genesio[i]: Genesius, ii, m. Est nomen origine Graecum Γενέσιος, quo *natalicius* significatur. In Mart. Rom. tres Martyres, eo appellati, recensentur.

Gengou[g] **Gengolph**[ge]: v. *Gangolf*.

Gennadio[i]: Gennadius, ii, m. Est nomen Graecum Γεννάδιος in sermonis Latini rationem translatum; ducitur vero a γεννάδας = *generosus, strenuus, ingenuus*; cf. Aristot., *Eth.* I, 10: Γεννάδας ὢν καὶ μεγαλόψυχος (= *cum sit genero-*

sus et magni animi); Aristophan. *Ranae*, 179: Χρηστὸς εἶ καὶ γεννάδας (= *es frugis bonae et probus*).

Hoc nomine imprimis insignis fuit presbyter Massaliensis, qui inter annos 492 et 505 mortuus est. Inter opera, quae reliquit, plurimum laudatur liber, quem *de viris illustribus* inscripsit.

Gennariello[i] **Gennarino**[i]: Ianuarinus, i, m. Cf. *Gennaro*. Nomen scriptum invenimus in *Cod. Theod.* XIII, 1, 17; *Bull. d. Ist. arch.*, 1874, p. 23, n. 6.

Gennaro[i] **Jenaro**[h] **Januarius**[ge]: Ianuarius, ii, m. Hoc nomen a Iano ductum, perinde ac ianua, repetitur a verbo primitivo *ia-nos*; cf. prisc. Ind. *yanah*, h. e. *iter*, *yati*, h. e. *ambulat*. Id a scriptoribus, praesertim christianis, non raro usurpatur, atque in titulis saepius occurrit; cf. C.I.L. III, 41, 2188, 2205; IV, 2236; VI, 19632. – (Mart. Rom. XII Cal. Oct. e. a.).

Genoveffa[i] **Geneviève**[g] **Genoveva**[h] **Genovefa**[ge] **Genoveva**[ge]: Genovefa, ae, f.; est nomen Celticae originis, sed incerta eius significatio. C. Tagliavini (p. 5) opinatur priorem nominis partem esse Gallicam vocem *geno-*, h. e. *genus*, alteram verbum Germanicum *wîfa* (cf. Angl. *wife*, h. e. *uxor*; Germ. rec. *Weib*, h. e. *femina*); ita ut nomen interpretandum esse videatur: *mulier genere nobilis*. Quo nomine appellata est sancta virgo, m. a. 512, cuius sollemne recensetur in Mart. Rom. a. d. III Non. Ian.

Gentile[i]: Gentilis, is, m. Huic verbo per temporum decursum multiplex est sententia subiecta; eo significatur imprimis, *qui ex eodem genere ortus est*, seu *qui eiusdem est gentis*; cf. Cic. *Top.* 6: « Gentiles... sunt, qui inter se eodem sunt nomine ab ingenuis oriundi, quorum maiorum nemo servitutem servivit, et qui capite deminuti non sunt »; id. *Brut.* 28; id. *Univ.* 11: « Homines deorum immortalium quasi gentiles ». Praeterea idem valet ac *gentis cuiusdam proprius*, aut, universe, *cognominis*. Interdum ponitur pro *populari* seu *homine eiusdem regionis*; cf. Gell. 17, 17; Stat. *Theb.* IX, 297. Sequiore aetate gentiles a Romanis appellabantur *barbari* et quicumque non lege civili Romanorum, sed *iure gentium* vivebant. Christiani autem dicebant gentiles eos qui verae religionis erant exsortes; cf. Hieron. *ep.* 22; Prud. *Perist.* 10, 464: « gentile vulgus »; id. *in Symm.* I, 576. In vulgaribus denique sermonibus a fonte Latino derivatis *gentile*, *gentil* idem significat quod *comis*, *humanus*.

Ut liquet verbum permanavit a vocabulo gentis (*gens*); cf. *gigno*; prisc. Ind. *jatih*, h. e. *partus*, *proles*; prisc. Scand. *kind*, h. e. *genus*; Germ. *Kind*, h. e. *proles*, *infans*.

Ut nomen virile scriptum videmus in titulis apud Diehl, 255, 3998.

Geoff[a]: bl. app. pro Godefrido; v. *Goffredo*.

Geoffroy[g] **Geoffrey**[a]: v. *Goffredo*.

Geordie[a]: bl. appell. pro Georgio; v. *Giorgio*.

Geppert[ge]: bl. appell. pro Gebardo; v. *Gebhard.*

Gérald[a] **Gerald**[g] **Gerold**[ge]: v. *Giraldo.*

Geraldina[i] **Geraldine**[a] **Geralde**[ge]: Geralda, ae, f.; v. *Giraldo.*

Gerardo[i] **Gérard**[g] **Gerardo**[h] **Gerard**[a] **Gerhard**[ge]: Gerardus, i, m. Hoc nomen coaluit e verbis Germanicis *gêr* (*gari*) et *hard*, quae sic in Latinum convertuntur: *hasta, iaculum* et *audax, fortis.* Eodem ergo significatur *iaculator fortis.* – (Mart. Rom. IX Cal. Mai.; XVII Cal. Nov. e. a.).

Géraud[g]: v. *Giraldo.*

Gerhardine[ge]: Gerarda, ae, f.; v. *Gerardo.*

Gerbaud[g] **Gerbald**[ge]: v. *Garibaldi.*

Gerberto[i] **Gerbert**[g] **Gerbert**[ge]: Gerbertus, i, m. Nomen structum est verbis Germanicis *gêr* (*gari*) - *bert* (*beraht*), quorum priore *iaculum, hasta*, altero *clarus, fulgidus* significatur.

Gerbrand[ge] **Garbrand**[ge]: Gerbrandus, i, m. Derivatur a verbis Germanicis *gêr* (*gari*), cuius vis est *iaculum, hasta*, et *brand*, cuius vis est *ignis*, praesertim *gladius micans.*

Gerda[ge]: Gerda, ae, f. Est quidem saepe deminutum nomen Gertrudis, Gerardae, tamen etiam vim nominis proprii obtinet; quod cum fit, repetendum esse videtur a prisco vocabulo Germanico *gardjo*, quo *virga* significatur; cf. Wasserzieher, p. 72.

Geremia[i] **Jérémie**[g] **Jeremias**[h] **Jeremy**[a] **Jeremias**[ge]: Ieremīas, ae, m. Hoc nomen ductum est a vocabulo Hebraico *Irmeyâh* (Sept. Ἰερεμίας), quod non uno modo eruditi interpretantur: derivant enim priorem partem aut a *rûm*, in quo est vis *extollendi*, aut a *râmâh*, quo significatur *proiecit.* Altera pars (*yâh*) idem valet ac *Deus.*

Gerhard[ge]: v. *Gerardo.*

Gerhoh[ge] **Geroch**[ge]: Gerhohus, i, m. Nomen effectum est verbis Germanicis *gêr* (*gari*; Goth. *gairu*), quo *hasta, iaculum* significatur, et *hôh* (Goth. *hauhs*; Germ. rec. *hoch*), cuius vis est *altus*; in Latinam rationem translatum, scriptum videmus in M.G.H. XVII, 454, sqq. (*Annales Reicherspergenses*); P. L. CLXXXIV, 9-1106 e. a.

Gerold[ge]: v. *Giraldo.*

Gerlach[ge]: Gerlacus, i, m. Hoc nomen coaluit e verbis Germanicis *gêr* (*gari*) et *laikan*, quae *hastam* et *armis exerceri* significant.

Gerlinda[a] **Gerlinde**[ge]: Gerlinda, ae, f. Nomen effectum est verbis Germanicis *gêr* (*gari*) et *lind*, quorum priore *hasta*, altero *scutum tiliaceum* significatur.

Germano[i] **Germain**[g] **Germán**[h] **German**[ge]: Germanus, i, m. Germani, ut est apud Paul. ex Fest., p. 84, dicuntur « quasi eadem stirpe geniti »; quod verbum deductum est a *germine* (*gen - men*); cf. prisc. Ind. *jánman*, h. e. *ortus, genus*; Graec. γένος. Ut nomen viris inditum occurrit apud scriptores sequioris aetatis et in titulis; cf. C.I.L. V, 5993, 19031; VII, 1336, 1337. – (Mart. Rom. V Cal. Iun. e. a.).

Non videtur nomen pertinere ad *Germanos* (*Tedeschi*; *Allemands*; *Alemanos*; *Germans*; *Deutsche*): quae est vox, ut conici licet, Celticae originis; cf. F. Kluge, *Etymologisches Wörterbuch der deutschen Sprache*, Berlin 1930-34, s. v. Germania.

Germana[i]: Germana, ae, f.; v. *Germano*; C.I.L. VI, 19036; VIII, 3632. – (Mart. Rom. XIV Cal. Febr.; XVII Cal. Iul.).

Germond[g] **Germund**[ge]: Germundus, i, m. Nomen effectum est verbis Germanicis *gêr* (*gari*; Goth. *gairu*; Germ. rec. *Ger*) et *mund*, quorum priore *hasta*, *iaculum*, altero *tegmen*, *munitio* significatur.

Gerolama[i] **Geronima**[i] **Girolama**[i]: Hieronȳma, ae, f.; v. *Gerolamo.*

Gerolamo[i] **Geronimo**[i] **Jérome**[g] **Jerónimo**[h] **Jerome**[a] **Hieronymus**[ge]: Hieronȳmus, i, m. Hoc nomen a vocabulis Graecis ἱερός, et ὄνυμα (= ὄνομα), ductum est, quorum alterum idem valet ac *sacer*, alterum idem ac *nomen*. – (Mart. Rom. prid. Cal. Oct. e. a.).

Gerold[ge]: v. *Giraldo.*

Geronima[i]: v. *Gerolama.*

Geronimo[i]: v. *Gerolamo.*

Gersone[i]: Gerson, onis, m. Est nomen Hebraicum (*Gershôn*), quo significatur *expulsio* vel *advena*; cf. *Gen.* XL, 11; *Num.* III, 21-22.

Gert[a] **Gertie**[a]: bl. app. pro Gertrude; v. *Geltrude.*

Gertrude[g] **Gertrudis**[h] **Gertrude**[a] **Gertrud**[ge]: v. *Geltrude.*

Gervasia[i]: Gervasia, ae, f. Cf. *Gervasio.*

Gervasio[i] **Gervais**[g] **Gervasio**[h] **Gervase**[a] **Gervas**[ge]: Gervasius, ii, m. De nominis origine non consentiunt litterati, quorum plerique a fonte Germanico id derivant (a *gêr*, h. e. *iaculum*, et *hwas*, h. e. *acutus*, vel *wasjan*, h. e. *vestire*, e. s.). Quae originatio non immerito in controversiam vocatur. Sanctus enim Gervasius, Protasii germanus, ea vixit aetate, qua Germanica nomina nondum irrepserant in sermonem Latinum, vel summum paucissima numero. Videtur ergo nomen potius ab origine Graeca repetendum esse: fortasse a γηρύω h. e. *celebro* (cf. Tagliavini, p. 198); vel a γηρούσιος, h. e. *senex* (cf. On. Perin.). Recensetur in Mart. Rom. XIII Cal. Iul.

Gesù[i]: v. *Jesus.*

Gesualda[i] **Jesualda**[h]: Gisloalda, ae, f.; cf. *Gesualdo.*

Gesualdo[i] **Jesualdo**[h]: Gisloaldus, i, m. Nomen coaluit e verbis Germanicis *gîsil*, quo *sagitta* significatur, et *walt* (*valdan*), in quo inest vis *dominandi.* Cf. Förstemann, p. 655 sqq. Hoc vero modo ad sermonis Latini rationem conformatum, nomen scriptum videmus in *Gestis Episcoporum Virdunensium*, M.G.H. VII, p. 43.

Gesuina[i] **Jesusa**[h]: Jesuina, ae, f. Est nomen novum, a verbo Hebraico *Yeshua'* ductum, quo *Salvator*, *Servator* significatur; cf. *Jesus.* Ita apud Italos ac praesertim Hispanos infantulae appellari solent ob religionem Iesu Christi.

Cum vero Iesus idem valeat ac *Salvator*, *Servator*, *Soter*, vetus no-

men muliebre, hanc referens significationem, potest induci: Soteris, ĭdis, vel Soteria, ae, f. Utraque enim scribendi ratio in titulis Iudaicis occurrit; cf. Diehl 9887: « L. Alfius Iuda, arcon arcosynagogus, qui (vixit) ann. LXX, mesib. (sic) VII, dieb. X. Alfia Soteris, cum q. (vixit) an. XXXXVIII, coiugi inconparabili benemerenti fecit ». Id., 4927: « Aur. Soter et Aur. Stephanus Aur. Soteriae, matri pientissimae, religioni (sic) iudeicae (sic) metuenti, f. (= filii) p. (= posuerunt »).

Getulio[i]: Gaetulius, ii, vel Getulius, ii, m. Nomen pertinet ad Gaetuliam, regionem Libyae interioris, de qua veteres scriptores commemorant. Nomen vero Gaetulii (Getulii) scriptum videmus in C.I.L., V, 7312; XII, 437, 3595, et in Mart. Rom. IV Id. Iun.

Gevehard[ge]: v. *Gebhard.*

Giacinta[i] **Hyacinthe**[g] **Jacinta**[h]: Hyacintha, ae, f.; v. *Giacinto.* — (Mart. Rom. III Cal. Febr.).

Giacinto[i] **Hyacinthe**[g] **Jacinto**[h] **Hyazinth**[ge]: Hyacinthus, i, m. Deducitur ab ὑάκινθος, quod est nomen floris, a *Ϝακινθος* derivatum. Quae vox repetitur a sermone Graecae linguae priore; cf. Boisacq, p. 996. Nomen non solum in veteribus litterarum monumentis sed etiam in titulis christianis frequentatur; cf. Diehl, 983, 1985. – (Mart. Rom. IV Id. Febr. e. a.).

Giacomina[i]: Iacoba, ae, f.; v. *Giacomo.*

Giacomo[i] **Jacques**[g] **Jaime**[h] **Santiago**[h] **Jacob**[a] **James**[a] **Jakob**[ge]: Iacobus, i, m., vel in casus non inclinatur (*Iacob*), ut saepe in sacris litteris; placet autem magis nomen ad Latini sermonis rarionem conformare; Graece scribitur 'Ιακώβ vel 'Ιάκωβος. Origo nominis in ipsis divinis libris, ubi de partu Iacobi agitur, sic explicatur (*Gen.* XXV, 25): « Qui prior egressus est, rufus erat, et totus in morem pellis hispidus: vocatumque est nomen eius Esau. Protinus alter egrediens, plantam fratris tenebat manu: et idcirco (Rebecca) appellavit eum Iacob ». Planta autem Hebraice dicitur *'âqueb*; est ergo Iacobus quasi *plantam tenens.* Dubium autem non est quin haec originis explicatio ad vulgi mentem sit accommodata, non ex officinis petita philologorum, quorum alii hac in re aliter sentiunt.

Giambattista[i] **Jean Baptiste**[g] Ioannes Baptista, Ioannis Baptistae, m.

Giamberto[i]: Ioannes Albertus, m.; v. *Giovanni, Alberto.*

Giambono[i]: Ioannes Bonus, m.; v. *Giovanni.*

Giammaria[i]: Ioannes Maria, Ioannis Mariae, m.; v. *Giovanni*; *Maria.*

Giampaolo[i]: Ioannes Paulus, Ioannis Pauli, m.; v. *Giovanni*; *Paolo.*

Gianfranco[i]: Ioannes Franciscus, Ioannis Francisci, m.; v. *Giovanni, Franco.*

Gianna[i] **Giannetta**[i]: Ioannŭla, ae, f. V. *Giovannella.*

Gianni[i]: v. Ioannŭlus, i, m.; v. *Giovannino.*

Giannina[i]: v. *Gianna, Giovannella.*

Giano[i]: Ianus, i; cf. *Gennaro.*

Giasone[i]: Iaso vel Iason ŏnis, m. Principis Argonautarum nomen ducitur a verbo Graeco ἰάω vel ἰάομαι, quod idem valet ac *medeor*.

Gibbon[a]: bl. appell. pro Gilberto ; v. ib.

Gibby[a]: bl. appell. pro Gabriela ; v. *Gabriella*.

Gideon[a]: v. *Gedeone*.

Gilberto[i] **Gilbert**[g] **Gilberto**[h] **Gilbert**[a] **Gilbert**[ge] : Gilbertus, i, m. Antiquior nominis scribendi ratio est : *Giselbert*, cuius haec est interpretatio : *sagittarius praeclarus*. Coaluit enim nomen e verbis Germanicis *gîsil* et *bert* (*beraht*), quorum priore *sagitta*, altero *fulgidus*, *splendens*, *clarus* significatur. S. Gilberti sollemne recensetur in Mart. Rom. prid. Non. Febr.

Gilda[i]: Gilda, ae, f. Videtur quidem esse deminutum nomen Ermenegildae, tamen hoc modo scriptum usurpari potest ; cf. *Gildo*.

Gildo[i]: Gildo, onis, m. Sunt qui arbitrentur hanc esse alteram partem nominis Ermenegildi, quod negandum esse videtur ; nam antiquis iam temporibus usurpabatur nomen *Gildo*, *onis*, quo appellabatur Mauritaniae princeps et comes Africae (cf. Amm. Marcell. XXIX, 5 ; Claudian. *Bell. Gildon.*; Iord. *Rom.*, 320 e. a.). Est nomen Germanicum : Goth. *gild*, Germ. rec. *Geld* ; Goth. *gildan*, prisc. Germ. *geltan*, *keltan*, Germ. rec. *gelten*. Hisce in verbis inest vis *valendi*, tamen etiam *sacrificandi* (Förstemann, p. 638 ; A. Wakkernagel, *Altd. Wörterb.*) ; apud priscos enim Germanos *gelt* significabat interdum sacrificium gratiarum actionis causa peractum.

Gigi[i]: bl. app. pro Aloisio ; v. *Luigi*.

Gigliola[i] **Giliola**[i] : Aegidia, ae, f. Vulgare nomen Italicum *Giliola* vel ut setius scribitur *Gigliola*, si in ipsam originem intendatur, derivatum est a *Gilles*, ut Galli Aegidium appellant. Hoc enim nomen (*Gilles*) Itali sic deflexerunt ut audiret *Gilio*, *Gilia*, et in blanditiis *Giliola*. Cum vero subaudiretur verbum *giglio*, quo *lilium* significatur, vera origo oblitterata est. Proponimus quoque nomen Latinum Liliolae, quandoquidem in vetere titulo christiano apud Diehl, 1815, occurrit *Lilliolus*, a lilio derivatus, masculinum genus in femininum mutantes, quamvis non verae originis, de qua supra exposuimus, sed vulgaris tantum significationis ratio ducatur.

Gil[a] : bl. appell. pro Gilberto ; v. ib.

Gil[h]: Aegidius, ii, m. ; v. *Egidio*.

Giles[a]: v. *Egidio*.

Gilla[i] **Gildas**[a] : Gildas, ae, m. Hoc nomen ducitur a sermone Celtico, estque effectum verbis *gilla - das*, quorum alterum *servum*, alterum *Deum* significat. Itaque idem valet ac *servus Dei* seu *Theodulus*.

Gille[g] **Giles**[h]: v. *Egidio*.

Gilles[g]: v. *Egidio*.

Gillian[a]: v. *Giuliana*.

Gillie[a]: bl. appell. pro Gilberto; v. ib.

Gilmour[a]: Gilmarus, i, m. Hoc nomen a sermone Celtico derivatum *servum Mariae* significat.

Gina[i]: bl. app. pro Aloisia; v. *Luisa.*

Ginevra[i] **Guenevere**[a] **Guinevere**[a]: Guenevera, ae, f. Nomen a sermone Celtico derivatum est, e cuius ratione prior pars (*gwen*) colorem *album* significat; cf. *Gwendolen*; altera (cf. Hib. *siabhra*) idem valet ac *visio, spiritus.* Prisca ratio scribendi est *Gwenhwyfar*, quae vox abiit in *Gwinever*; ita appellata est uxor fabulosi regis Arturi. Apud Italos autem Celticum hoc nomen paulum mutatum est eorumque sermoni aptius redditum: *Ginevra.* A cuius gentis scriptoribus, ut ab *Ariosto* in opere, cui index *Orlando Furioso*, *Boccaccio* in *Decamerone*, uti appellatur, est usurpatum.

Gino[i]: Hoc nomen plerumque est altera pars blandae appellationis *Luigino* (quae idem valet atque *Aloisius*) vel, rarius quidem, *Giorgino*, *Biagino* (= *Georgius*, *Blasius*). Potest autem poni etiam nomen Hyginus, i, si appellatio vulgaris *Gino* vim nominis proprii obtinet.

Gioacchino[i] **Joachim**[g] **Joaquín**[h] **Joachim**[a] **Joachim**[ge]: Ioachimus, i, m., vel sine postrema syllaba Latina. Derivatur a verbo Hebraico *Yôyâqîm*, cuius vis est: (*quem*) *Deus instituit*, *confirmat.*

Giobbe[i] **Job**[g] **Job**[h] **Job**[a] **Job**[ge]: Iob, m.; non inclinatur in casus. Nomen ductum est a voce Hebraica *Yôb*, quo significatur *adversarius*, *dolens.*

Gioberto[i] **Jaubert**[g] **Gosbert**[ge]: Godebertus, i, m. Nomen coaluit e priscis verbis Germanicis *gauta* (*gote*) et *beraht* (*bert*); priore *Gothus* (vel *deus*) significatur, altero vero *clarus*, *splendens.*

Gioconda[i] **Jocunda**[h]: Iucunda, ae, f. V. *Giocondo.*

Giocondo[i] **Jocundo**[h]: Iucundus, i, m. Petitur a verbo primitivo *iuvicondos*, in quo inest vis *iuvandi*, seu *favendi*; cf. Cic., *Fin.* 2, 14, et *Att.* 16, 17: « scio quam sis amicis iucundus. Nemo nos... plus *iuvare* potest quam tu ».

Gioia[i]: Laetitia, ae, f.; v. *Letizia.*

Giordano[i] **Jordan**[g] **Jordán**[h] **Jordan**[a] **Jordan**[ge]: Iordanus, i, m. Hoc cognomentum viri invenitur iam in Latinitate christiana (cf. I. B. De Rossi, *R. S.*, I, p. 12 sqq.), fuitque proprium familiae, a qua appellatum est Coemeterium ad dexteram positum viae Salariae (*Coem. Iordanorum*). Est autem nomen fluminis Iordanis (Iordanes, is) ad linguam Latinam conformatum, quod Hebraice audit *hay-Yardên.* Cuius originem veteres sic enodant: *yeôr-Dan*, h. e. *fluvius Dan* (ita Hieron., *in Matth.* 16, 13). Est autem animadvertendum *Yardên* per *Syriasmum* positum esse pro *Yardayn*, cuius vis est *duo fluvii*, seu fluvius ex duobus constans, fortasse capitibus (Cf. On. Perin.). Alii vero derivaverunt a verbo primitivo *râdan* quo *strepuit* significatur. Nostra denique aetate nomen a plerisque deducitur a verbo primitivo *yârad*, quod idem valet ac *descendit*, quasi sit *flumen ex declivio alvei decurrens.*

Giorgia[i] **Georgette**[g]: Georgia, ae, f. (v. *Giorgio*); nomen recensetur apud Diehl, 1699.

Giorgiana[i]: Georgia Anna, f. ; v. haec nomina suis locis.

Giorgio[i] **Georges**[g] **Jorge**[h] **Georges**[a] **Georg**[ge]: Georgius, ii, m. Est nomen origine Graecum (γεωργός), quo *agricola* significatur. In Mart. Rom. plures Caelites eo insignes recensentur.

Giosafatte[i] **Josafat**[h] **Josaphat**[a] **Josaphat**[ge]: Iosăphat, m. ; non inclinatur in casus. Ducitur a verbis coniunctis Hebraicis *Yeôsâphât*, quibus haec est vis subiecta : *(quem) Dominus iudicat*, vel *Dominus iudex*. Sept. Interpretes posuerunt : Ιωσαφάτ. Recensentur in Mart. duo Caelites sic appellati.

Gioscellino[i]: de hoc nomine apud Italos obsoleto v. *Joscelin*.

Giosia[i] **Josiah**[a]: Iosīas, ae, m. Nomen derivatum est a coniunctis verbis Hebraicis *Yôshîyâh*, quae sic in Latinum convertuntur : *(quem) Dominus fulsit* vel *sanavit*.

Giotto[i]: Giottus, i, m. Vulgare nomen *Giotto*, quo appellatus est praeclarus pingendi artifex Italicus, videtur esse deminutum nomen *Angiolotto* vel *Ambrogiotto* vel *Angiotto* (nomen *Angius* in litterarum monumentis Florentinis e saeculo XIII invenitur), sed hoc modo usurpatum invaluit.

Giosuè[i] **Josué**[h] **Josuah**[a] : Iosue, m. ; non inclinatur in casus ; vel Iosua, ae, m. Est idem nomen atque Iesu (v. ib.), ductum a fonte Hebraico (*Yehôshûa*).

Giovanna[i] **Jeanne**[g] **Jane**[a] **Juana**[h] **Johanna**[ge]: Ioanna, ae, f. ; v. *Giovanni*. Nomen occurrit in veteribus titulis christianis, cf. Diehl, 1653, 86, 1415. – (Mart. Rom. Cal. Iun. e. a.).

Giovannella[i] **Giovannina**[i]: Ioannŭla, ae, f. (Cf. *Giovanni*). Blanda haec nominis Ioannae appellatio invenitur in vetere titulo christiano, Diehl 2893 : « hic in pace requiescit b. m. Iohannula... ».

Giovanni[i] **Jean**[g] **Juán**[h] **John**[a] **Johann**[ge]: Ioannes, is, m. Hoc nomen, plurimum usitatum, ductum est a verbo Hebraico *Yôqqânân*, cui haec est vis subiecta : *Domini gratia*.

Giovannino[i] **Jeannot**[g] **Juanito**[h] **Johnny**[a] **Hans**[ge]: Ioannŭlus, i, m. Blandum hoc nomen eodem modo factum est, quo Ioannula, ut in vetere titulo christiano appellatur ; cf. *Giovannella*.

Giovenale[i]: Iuvenalis, is, m. Nomen, ut liquet, ductum est a *iuvene*. (Mart. Rom. V Non. Mai. e. a.).

Giraldo[i] **Giraud**[g] **Gerald**[a] **Gerald**[ge] **Gerold**[ge]: Geraldus, i, m. Efficitur verbis Germanicis *gêr* (*gari*) et *walt* (*valdan*), quorum vis est : *iaculum* et *dominari* ; nomine ergo significatur *qui dominatur iaculo*.

Girolamo[i]: v. *Gerolamo*.

Girzie[a] : bl. appell. pro Grisilde ; v. *Griselda*.

Gisa[i] **Gisa**[ge] : est deminutum nomen Adalgisae ; v. *Adalgisa*.

Gisbert[ge]: Gisbertus, i, m. Est idem nomen ac Gilberti (v. ib.), sed alio modo exaratum.

Gisela[ge] : v. *Gisella*.

Giselbert[ge] : v. *Gisbert*.

Giselberta[ge] : Gisberta, ae, f. ; v. *Gisbert*.

Giselda[i]: Gisildis, is, f. Nomen coaluit e veteribus verbis Germanicis *gis*, ut brevius pro *gîsil* (= *sagitta*) scribitur, et *hild* (*hilt*), cuius vis est *pugna*, *proelium*. In antiquis litterarum monumentis coniunctum hoc nomen ita scriptum videmus: *Gisohildis*, *Gisalhilt*, *Gyselhilda*, *Gislehildis*, *Gisloildis*, *Gislildis*. Cf. Förstemann, 645, 654.

Gisella[i] **Gisèle**[g] **Gisela**[h] **Gisela**[a] **Gisela**[ge]: Gisĕla, ae, f. Hoc nomine, ex prisci sermonis Germanici ratione, *sagitta* (*gîsil*) significatur. Eodem appellata est soror Henrici II Imperatoris eademque uxor S. Stephani, regis Hungarorum, quae in Sanctorum Caelitum numero recensetur.

Gisleno[i]: Gislenus, i, m. Nomen ductum est a fonte Germanico, a *gislin*, quo blande dicitur *gîsil* = *sagitta*. De S. Gisleno commemoratur in monumentis media aetate Latine compositis; cf. M. G. H., *Script.* VII, pp. 409, 530. Praeterea ibidem haec etiam scribendi ratio invenitur: Gislanus.

Gismondo[i] **Gismund**[ge]: Gismundus, i, m. Nomen coaluit e verbis Germanicis *gîsil* et *mund*, quae *sagittam* et *defensorem*, *praesidium* significant. Eodem ergo appellatur quasi *sagittarius defensor*.

Gisolfo[i]: Gisulfus, i, m. Nomen coaluit e verbis Germanicis *gîsil* et *wulf* (*wolf*), quorum priore *sagitta*, altero *lupus*, animal apud priscos Germanos religiosum, significatur.

Gitta[a] **Gitta**[ge]: bl. app. pro Brigida; v. ib.

Giuditta[i] **Judith**[g] **Judit**[h] **Judit**[a] **Judith**[ge]: Iuditha, ae, vel Iudith, f., sine postrema syllaba Latina. Nomen derivatum est a voce Hebraica *yehudhîth*, quae idem valet ac *laudans*.

Giulia[i] **Julie**[g] **Julia**[h] **Jule**[a] **Julie**[ge]: Iulia, ae, f. v. *Giulio*.

Giuliana[i] **Julienne**[g] **Juliana**[h] **Juliana**[a] **Juliana**[ge]: Iuliana, ae, f. Nomen derivatum est, ut liquet, a Iulio; cf. *Giulio*.

Giuliano[i] **Julien**[g] **Julián**[h] **Julian**[a] **Julian**[ge]: Iulianus, i, m. v. *Giulio*.

Giulio[i] **Jules**[g] **Julio**[h] **Julius**[a] **Julius**[ge]: Iulius, ii, m. De originatione nominis non satis constat; fortasse ductum est a sermone Celtico; cf. Walde-Hofmann, I, p. 729.

Giunio[i]: Iunius, ii, m. Nomen, perinde ac *Iuno*, *iunior*, ducitur a verbo primitivo *iun*, a quo repetitur etiam iuvenis.

Giuseppe[i] **Joseph**[g] **José**[h] **Joseph**[a] **Josef**[ge]: Iosephus, i, m. A quibusdam non inclinatur in casus, quod minus probandum esse videtur. Nomen ductum est a vocabulo Hebraico *Yôsêph* vel *Yehôsêph*, quo significatur: (*quem*) *Dominus augeat*, scilicet prole.

Giuseppina[i] **Joséphine**[g] **Josefa**[h] **Josephine**[a] **Josefine**[ge]: Iosepha, ae, f. V. *Giuseppe*.

Giuseppino[i] **Pepito**[h] **Joe**[a] **Sepp**[ge]: Iosephillus, i, vel Iosphŭlus, i, m. V. *Giuseppe*.

Giustina[i] **Justine**[g] **Justina**[h] **Justina**[a] **Justine**[ge]: Iustina, ae, f.; v. *Giustino*.

Giustino[i] **Justin**[g] **Justino**[h] **Justin**[a] **Justinus**[ge]: Iustinus, i, m. Quoad originationem v. *Giusto*.

Giusto[i] **Juste**[g] **Justo**[h] **Just**[ge]: Iustus, i, m. Nomen deductum est a verbo *ius*, *iuris*, quod in prisca Latinitate audiebat *ious*; cf. titulum in foro Romano *iouestod*. Est autem vox primitiva **ieuos* vel **iouos*; cf. prisc. Ind. *yoh*, h. e. *salve*; prisc. Pers. *yaož-da*, h. e. *expiat*, *purum effici*. Verbum ergo olim pertinuit ad res divinas; cf. G. Devoto, *Annali della R. Scuola di Pisa* s. II, v. 2, p. 230: iurare = stata verba sollemnia recte concipere. – (Mart. Rom. prid. Id. Oct. e. a.).

Gladys[g] **Gladuse**[a] **Gladys**[a]: bl. app. pro Claudia; v. ib.

Glauco[i]: Glaucus, i, m. Hoc nomen ab adiect. Graeco γλαυκός, cuius vis est *splendens*, *caeruleus*, ductum est.

Gliceria[i] **Glycère**[g]: Glyceria, ae, f.; v. *Glicerio*.

Glicerio[i] **Glycère**[g]: Glycerius, ii, m. Nomen ductum est ab adiectivo Graeco γλυκύς seu potius a γλυκερός., quod idem valet ac *dulcis*.

Gloria[i] **Gloria**[a] **Glory**[a]: Gloria, ae, f. De huius nominis origine non constat. Fortasse derivatum est a *gnoria* (cf. *gnosco* - *gnorus*, *ignoro*); Ribezzo, *Riv. di fil. e d'istr. class.*, 43, pp. 548 sqq. A Romanis Gloria quasi in numinum loco habebatur; cf. Hor. *serm.* I, 6, 23; *ep.* II, 1, 177: « quem tulit ad scaenam ventoso Gloria curru... ». Praeterea Cirtae inventa est ara, cui hic titulus inscriptus: *Gloriae Aug(ustae) Sacrum* (cf. C.I.L. VIII, 6949).

Glycère[g]: nomen m. et f.; v. *Glicerio* et *Gliceria*.

Gneo[i]: Gnaeus, i, m. Hoc praenomen est a *naevo* ductum; si scribitur Cneus, enuntiatur quasi *g* littera scribatur, ut Quint. I, 7, docet.

Goar[ge]: Goar, is, m. Declinandi ratio litterarum monumentis comprobatur; cf. *Gesta Treverorum* (saec. XII) in M.G.H., *Script.*, VIII, p. 163: « Hic (Wiomadus) cellam sancti Goaris ad ius sancti Petri transferre conatus est »; cf. ib., p. 158 (*Goarem*). Nomen non videtur derivatum esse a fonte Germanico. Divus enim Goar, sacerdos in pago Treverorum (Mart. Rom. prid. Non. Iul.), oriundus erat ex Aquitania; praeterea hoc nomine appellatus est dux quidam Alanorum, qui vixit saec. V. Cf. Förstemann, p. 659.

Gobert[g]: Gobertus, i, vel Godebertus, i, m. Nomen hoc origine Germanicum deductum est a verbis *gode* (Goth. *guths*; Germ. rec. *Gott* = *Deus*) et *beraht*, *bert*, quo *splendens*, *clarus* significatur. Apud Förstemann, 678, nomen varia ratione exaratum invenitur: *Godabert*, *Godebert*, *Gotpert*. In *Actis Sanctorum*, IV Aug., pp. 370 sqq., vita descripta est B. Goberti ex Ordine Cisterciensi, cuius sollemne agitur XII Cal. Sept.

Godard[g] **Goddard**[a]: v. *Gottardo*.

Godefroid[g] **Godofredo**[h]: v. *Goffredo*.

Godwin[a] **Goswin**[ge]: Goduinus, i, m. Nomen structum est verbis Germanicis *gauta* (*gote*) et *win*, quae

Gothum et *amicum*, atque adeo *Gothorum amicum* significant.

Goffredo[i] **Geoffroy**[g] **Godofredo**[h] **Geoffrey**[a] **Gottfried**[ge]: Godefridus, i, m. Nomen ductum est a fonte Germanico : a *gode* (Goth. *guths* ; Germ. rec. *Gott.*) et *frid*, quorum priore *Deus* (inest vis *boni*), altero vero *tutamen*, *munitio*, atque etiam, per translationem *pax* significantur. Quae Latina exarandi ratio frequentatur in monumentis litterarum media, quam dicunt, aetate, conditis. – (Mart. Rom. VI Id. Nov.).

Goito[h]: bl. app. ab Hispanis pro Gregorio usurpata ; v. ibi.

Gombert[g] **Guntbert**[ge]: Gumbertus, i, m. Coaluit e priscis verbis Germanicis *gund* - *bert* (*beraht*), quibus *proelium* et *splendens*, *clarus* significatur.

Gonsalva[i]: Gundisalva, ae, f. ; v. *Consalvo*.

Gonsalvo[i]: v. *Consalvo*.

Gontard[g]: v. *Contardo*.

Gonthier[g] **Gontier**[g] **Günther**[ge]: Guntherus, i, vel, ex antiquiore scribendi ratione, Guntharius, ii, m. Nomen structum est verbis Germanicis *gund* et *hêr* (*hari*), quorum priore *proelium*, altero *exercitus*, *vulgus* significatur (cf. Germ. rec. *Heer*). Nomen Guntheri (Guntherus), ut exemplum afferam, scriptum videmus, in M.G.H., *Script.* II, p. 244 ; 1065. Graeci autem suis litteris nomen ita exarare soliti sunt: Γόνθαρος (Const. Porphyrog. III, 112) vel Γόνθαρις (Procop. *Bell. Goth.*, passim).

Gontramo[i] **Gontrano**[i] **Gontran**[g] **Guntram**[ge]: Guntramus, i, m. Nomen effectum est verbis Germanicis *gund* et *ram* (*hraban*, *ran*), quorum priore *proelium*, altero *corvus*, animal apud priscos Germanos religiosum, significatur. Apud Greg. Tur. *Franc.* IV, 3, priscam legimus nominis appellandi rationem : *Gunthchramnus*, quae tamen ab auribus Latinis abhorrere videtur. In Mart. Rom. V. Cal. Apr. commemoratur de Caelite ita nominato.

Gonzague[g]: Aloisius Gonzaga, m. ; v. *Luigi*.

Gonzalo[h] **Gonzalez**[h]: v. *Consalvo*.

Gordio[i]: Gordius, ii, m. Nomen est ab urbe Gordio (Γόρδιον) in Asia factum, cuius in templo Iovi sacro *nodus Gordii* asservabatur.

Gordiano[i] **Gordian**[ge]: Gordianus, i, m. ; cf. *Gordio*.

Gosbert[ge]: Gosbertus, i, m. Nomen coaluit e priscis verbis Germanicis *gauta* (*gote*) et *bert* (*beraht*) ; priore *Gothus* altero *clarus*, *illustris* significatur. Cf. Förstemann 614 sq. (*Gautbert-Gausbert-Gauzbert-Gosbert*), et *Gobert*, cuius est altera scribendi ratio.

Goswin[ge]: v. *Godwin*.

Gottardo[i] **Gothard**[g] **Gotardo**[h] **Goddard**[a] **Gotthard**[ge]: Godehardus, i, m. Quoad priorem nominis partem v. *Goffredo* ; altera efficitur verbo Germanico *hard*, quo *strenuus*, *fortis significatur* (= *vir Dei virtute strenuus*). Nomen saepe in litterarum monumentis hoc modo Latino exaratum occurrit ; cf. M. G. H. *Script.* III, pp. 68, 91, 93-102. Sollemne S. Godehardi recolitur in Mart. Rom. IV Non. Mai.

Gotthard[ge]: v. *Gottardo*.

Gotifredo[i]: v. *Goffredo.*

Gottfried[ge]: v. *Goffredo.*

Gottlieb[ge]: Theophilus, i, m. *Gottlieb* est Theophili nomen in Germanorum linguam conversum.

Gottschalk[ge]: Godescalcus, i, m. Est nomen Germanicum quo *Dei* (seu *bonus*; Goth. *guths* = *Deus*; prisc. Germ. *gote* = *Deus*) *servus* (*scalk*) significatur. Nomen hoc modo Latine exaratum saepius occurrit in litterarum monumentis; cf. M.G.H. XXX, pp. 164, 185, 480, 487.

Götz[ge]: bl. app. a Germanis pro Godefrido usurpata; v. *Goffredo.*

Goyo[h]: bl. app. ab Hispanis pro Gregorio usurpata; v. ibi.

Gracia[h] **Grace**[a]: v. *Grazia.*

Gracias[h]: v. *Deogracias.*

Gracie[a]: v. *Grazia.*

Gratien[g] **Gratian**[a] **Gratianus**[ge]: v. *Graziano.*

Grato[i]: Gratus, i, m.; cf. *Grazia.*

Grazia[i] **Grace**[g] **Gracia**[h] **Grace**[a]: Gratia, ae, f. *Gratia*, *gratus* pertinent ad sermonem, religionis rituum proprium, suntque a verbo primigenio *guer* deducenda; cf. prisc. Ind. *grnati*, h. e. *canit*, *praedicat* (Walde-Hofmann, I, p. 619). Nomen in veteribus titulis occurrit; cf. Diehl, 2064; 3981.

Graziano[i] **Gratien**[g] **Gracián**[h] **Gratian**[a] **Gratianus**[ge]: Gratianus, i, m. Hoc nomen, ut liquet, a *Grato* (cf. *Grazia*) deductum est.

Graziella[i]: Gratilla, ae, f. Hoc blandum nomen, a Gratia deductum (v. *Grazia*), scriptum invenimus in vetere titulo christiano; cf. Diehl, 3703.

Greg[a]: bl. appell. pro Gregorio; v. *Gregorio.*

Gregorio[i] **Grégoire**[g] **Gregorio**[h] **Gregory**[a] **Gregor**[ge]: Gregorius, ii, m. Hoc nomen coniungitur cum voce Graeca Γρηγόριος, qua *vigilans* atque etiam *animo alacer* significatur.

Greta[a] **Grete**[ge]: bl. app. pro Margarita; v. *Margherita.*

Grimbert[g] **Grimbert**[ge]: Grimbertus, i, m. Nomen coaluit e priscis verbis Germanicis *grîma*, cuius vis est *persona*, *galea*, *praesidium*, et *bert* (*beraht*), quod idem valet ac *clarus*, *illustris*; eo ergo significatur *vir galea illustris.*

Grino[h]: bl. app. ab Hispanis pro Peregrino usurpata; v. *Pellegrino.*

Griselda[i] **Griselda**[a] **Grishilde**[ge]: Grisildis; is, f. Nomen coaluit e priscis verbis Germanicis *grisja* (*grîs*) et *hild*, quae sic in Latinum convertuntur: *leucophaeus* et *proelium*, *pugna.* Eodem, secundum originationem, signabatur *bellatrix coloris cani* vel *leucophaei.*

Guadalupe[h]: Maria Guadalupensis vel Maria a Guadalupe. Virgo Deipara, hoc adiecto nomine insignis, plurimum excolitur a gentibus, quae Hispanico utuntur sermone. Est autem Guadalupe ab Hispanis corruptum verbum veterum Mexicanorum proprium: *quantlalapan.*

Gualberto[i] **Gualberto**[g] **Gualbert**[ge]: Valbertus, i, vel e scribendi ratione medio aevo saepe usitata, Gualbertus, i, m. Probamus autem magis priorem. Nomen coaluit e verbis Germanicis *walt* (Goth. *valdan*) -

bert, quibus haec vis subiecta est: *dominator praeclarus*. – (Mart. Rom. IV Id. Iul.).

Gualtiero[i] **Gautier**[g] **Gualterio**[h] **Walter**[a] **Walter**[ge]: Valtherus, i, vel Valtharius, ii, m. Ab aliis, ex more sermonum quorundam recentium, scribitur Gualterus. Nomen coaluit e verbis Germanicis *walt* (*valdan*), in quo inest vis *dominandi*, et *hêr* (*hari*; nunc scribitur *Heer*), quo *vulgus*, *exercitus* significatur. Nomen eo fere modo, qui in initio positus est, ad linguam Latinam conformatum, scriptum videmus in M.G.H. III, pp. 12, 17, 29, 30, 31 (*Walterus*), et alibi sescenties. Procopius Caesariensis Graecis litteris sic expressit Οὐάλδαρος (*Bell. Goth.* III, 35).

Guarino[i] **Guérin**[g] **Warin**[ge]: Varinus, i, vel, quamquam minus eleganter, e recentium sermonum ratione, Guarinus, i, m. Nomen deductum est a verbo Germanico *wari* (Goth. *varjan*), in quo est vis *defendendi*, *prohibendi* (cf. Germ. rec. *wehren*). E sermonis Latini ratione scriptum videmus, ut exemplum afferam, in M. G. H. *Script.* XIII, pp. 27, 275, 284, 285, 286, 537 (*Warinus*). – (Mart. Rom. VIII Id. Febr.).

Gudrun[ge]: Gudruna, ae, f. Nomen, heroidi Germanorum inditum, coaluit e *got* (*guot*) et *rûna*, quorum alterum idem valet ac *bonus*, *a*, *um*, alterum idem atque *arcanum*, *decretum occultum*; *runa* praeterea *sagam* significat vel *feminam fabulantem*; cf. Förstemann, p. 1284.

Gudule[g] **Gudula**[ge]: Gudula, ae, f. Est verbum Germanicum *got* (*guot*; Goth. *gôds*), quo significatur *bonus*, *a*, *um*, cum adiuncta terminatione blanda *-ila*, *-ula*; cf. Förstemann, p. 659.

Guendalina[i]: v. *Gwendolen*.

Guerrino[i]: est idem nomen ac *Guarino*, quod Latine redditur: Varinus (cf. Sertoli Salis, p. 119). Est autem fatendum in vulgari nomine *Guerrino* iam subaudiri vocem *guerra* (= *bellum*), a vocabulo Germanico *werra* (cf. *Wirre*) ductam. Itaque non improbandus videtur qui ponat: *Verrinum* vel *Guerrinum*.

Guglielmina[i] **Guillemine**[g] **Guillermina**[h] **Wilhelmine**[ge]: Villelma, ae, f. V. *Guglielmo*.

Guglielmo[i] **Guillaume**[g] **Guillermo**[h] **William**[a] **Wilhelm**[ge]: Villelmus, i, vel e sermonum quorundam vulgarium, a lingua Latina derivatorum, ratione, Gulielmus vel Guillelmus, m. Nomen constat e verbis Germanicis *wille* et *helm*, quorum priore *voluntas*, altero *galea*, *praesidium* significatur. In veteribus autem litterarum monumentis haud raro occurrit scribendi ratio: *Willelmus* (cf. M.G.H., Script., III, pp. 30, 31, 41, 42, 44, 47, 48; XIV, pp. 495, 495; W. F. Skene, *Chronicles of the Scots*, Edinburgh 1867, p. 135). In Mart. Rom. tres occurrunt eiusdem nominis scribendi modi: *Willhelmus*, IV Id. Dec. et VI Id. Ian.; *Gulielmus*, prid. Id. Apr.; VII Cal. Iul.; III Cal. Iul.; *Guillelmus*, IV Id. Febr.

Guido[i] **Gui**[g] **Guido**[h] **Guidon**[h] **Guy**[a] **Guido**[ge]: Vido, onis, m.; minus La-

tine, e vulgarium quorundam sermonum ratione, scribitur Guido, onis. Est verbum Germanicum *witu* (Goth. *vidus* ; prisc. Angl. Sax. *vudu* ; Angl. rec. *wood*), quo *lignum*, *silva* significantur ; Latine igitur dixeris *Silvestrum Silvium*, *Silvanum*. Scribendi ratio *Vido* (*Wido*) non raro occurrit in litterarum monumentis ; cf. M.G.H. *Script.* III, p. 201 ; IX, pp. 159, 580 ; XXX, pp. 249, 250, 260, 263, 264, 493, 495, 503, 512-515, e. a. – (Mart. Rom. prid. Id. Sept.).

Guilbert[g]: v. *Wilbert.*

Guillaume[g]: v. *Guglielmo.*

Guillebaud[g]: v. *Willibald.*

Guillermina[h]: v. *Gugliemina.*

Guillermo[h] **Guillot**[g]: v. *Guglielmo.*

Guntbert[ge]: v. *Gombert.*

Gunthard[ge]: v. *Contardo.*

Günther[ge]: v. *Gonthier.*

Gus[a] **Gussy**[a]: bl. app. pro Augusto ; v. ib.

Gustavo[i] **Gustave**[g] **Gustavo**[h] **Gustavus**[a] **Gustav**[ge] : Gustavus, i, m. Nomen, cuius origo a Suetorum lingua repetitur, ex hisce verbis constat : *gote* (in prisco serm. Germ. *gauta*), quo vir *Gothus* significatur, et *staf* (in prisco sermone Scand. *stafr* ; cf. Germ. *Stab*), cuius vis est *baculus*. Videtur ergo ita interpretandum esse : *baculus*, seu *praesidium Gothorum*. Cf. Tagliavini, p. 405 sq.

Guy[a] **Guy**[a]: v. *Guido.*

Gwendolen[a] **Gwendoline**[a]: Guendolina, ae, f. Nomen derivatum est a fonte Celtico, sed de originis explicandae ratione non satis constat. Prior pars (*gwen*), quam in aliis quoque nominibus Celticis est videre (*Gwenhwyfar*, *Gwynne*) videtur significare colorem *album*, alteri subicitur a nonnullis haec vis : *arcus*, a nonnullis ac forte verius *supercilium*. De S. Guendolina virgine commemoratur in *Act. Sanct.*, VIII Oct., p. 358 sq.

H

Hadberta[ge]: Haduberta, ae, f. Coaluit ex verbis Germanicis *hadu*, quod *proelium* significat, et *bert*, cuius vis est *clarus*, *fulgidus*. Est ergo Latina interpretatio : *bellatrix clara*.

Hadrian[ge] **Hadriana**[ge] : v. *Adriano*, *Adriana*.

Hadumar[ge]: v. *Ademaro*.

Hagar[a]: Hagar vel Agar, f. ; non inclinatur in casus. Est nomen Hebraicum *hâgâr*, quod *fugam* significat; Hieronymus vero interpretatur : *advena* (*Nom. Hebr.*, *Gal.*) ; item Ambros. *Abr.* II ; Isid. *Or.*, VII 6, 30 ; Hieronymus denique alias : *incolatus* seu *peregrinatio*, *Gal.* II, 4.

Hagen[ge] **Hakon**[ge] : Hagăno, onis, m. Priscum verbum Germanicum *hagan*, ab *hag* ductum, *utilitatem* significat ; cf. *hagan*, h. e. *concinnare*, *ordinare* ; Germ. rec. *be-hagen*. In veteribus litterarum monumentis et carminibus epicis Germanorum hoc nomen (*Hagano*) saepe scriptum videmus ; cf. Förstemann, 718.

Haggai[a]: Aggaeus, i, m. Hoc nomen, quo propheta Veteris Testamenti appellatus est, ducitur a fonte Hebraico : *Hhâggay*, quod idem valet ac *festivus* ; cf. Hieron. *Comm. in Agg.* I, et *in Ioel.* prooem. : « Aggaeus ἑορτάζων, quem nos festivum sive sollemnem possumus dicere » ; cf. et Ambros. *ep.* 30 : « Aggaei, id est epulantis, ut interpretatio declarat ».

Haidée[a]: Aedīa, ae, f. Est adiectivum Graecum αἰδοῖα, quod, feminam *verecundam* significans, a Gallis et Anglis interdum usurpatur.

Hakon[ge] : v. *Hagen*.

Hal[a] **Hall**[a]: bl. app. pro Henrico usurpata ; v. *Enrico*.

Hamilton[a]: Hamiltonius, ii, m. Ita in Latinam rationem transferendum videtur cognomen, quod nos dicimus, Anglicum *Hamilton*, quod interdum pro nomine usurpatur.

Hamlet[a]: v. *Amleto*.

Hamlyn[a]: bl. app. pro Haimone ; v. *Aimone*.

Hank[a]: Henricus, ; *Hank* est bl. app. ab Americanis praesertim usurpata ; v. *Enrico*.

Hannah[a] **Hanna**[ge] **Hanne**[ge] : v. *Giovanna*, *Giovannella*.

Hannelore[ge] : Ioanna Eleonora, ae, vel Ioannula Eleonora, f. Egregium hoc geminumque nomen e duabus blandis coaluit appellationibus, quibus Germani Ioannam seu Ioannulam et Eleonoram dicere solent.

Cum Ioanna, verbum ab Hebraico fonte (*Yôqqânân*) ductum, idem valeat ac *Domini gratia*, et voci Eleonorae haec sit vis subiecta, ut videtur : *Deus lux mea*, nomen amplissimum habet et eximium intellectum ; scilicet quae ita vocatur, *Domini gratia atque luce* dicitur frui. Ad originationem quod pertinet, v. *Giovanna* et *Eleonora*.

Hanni[ge]: v. *Giovannella*.

Hannibal[a]: v. *Annibale*.

Hans[ge]: bl. app. pro Ioanne ; v. *Giovannino*.

Hansjörg[ge]: Ioannes Georgius. V. haec nomina suis locis (*Giovanni*, *Giorgio*).

Harald[a] : v. *Araldo*.

Hard[ge] **Hardo**[ge] **Hartung**[ge] : Hardus, i, m. Est ipsum verbum adiectivum Germanicum *hart*, quod cum multis nominibus coniungi solet (cf. *Bernhard*, *Eberhard*, *Leonhard*) atque idem valet ac *validus*, *strenuus*, *audax*.

Harding[a]: est nomen Harduini (v. *Arduino*) ita ab Anglis deflexum. Cf. Partridge, 139.

Harbert[g] **Haribert**[ge] : v. *Erberto*.

Hardouin[g]: v. *Arduino*.

Harmand[g]: v. *Armando*.

Harmodio[h]: v. *Armodio*.

Harold[a] : v. *Aroldo*.

Harriet[a]: bl. app. pro Henrica : v. *Enrica*.

Harriot[a]: v. *Harriet* ; *Enrica*.

Harry[a]: bl. app. pro Henrico usurpata ; v. *Enrico*.

Hartmann[ge]: Hartmannus, i, m. Nominis huius Germanici haec est originatio : *hart*, quod idem valet ac *fortis*, *strenuus*, *validus*, et *mann*, quod *virum* significat.

Hartung[ge] : v. *Hard*.

Hartwig[eg]: Hardvicus, i, m. Coaluit e verbis Germanicis *hart* (*hard*) et *wig* (cf. Germ. rec. *weigern*), quae sic in Latinum convertuntur : *fortis*, *audax* et *proelium*. Est ergo nominis interpretatio : *bellator fortis*.

Hartwin[ge] : v. *Arduino*.

Harvey[a] **Herwig**[ge] : Hervicus, i, m. Nomen coaluit e verbis Germanicis *hari* (*hêr*), cuius vis est *militum turma*, *exercitus*, *vulgus*, et *wig*, quod idem valet ac *proelium*.

Hasso[ge]: Hassus, i, vel Hassius, ii, m. Hoc nomine significatur *vir e gente Hassorum*, tribus Germanicae, quae a Romanis Chatti appellabatur ; nunc vero *Hessen* dicitur.

Hatty[a]: bl. app. ab Anglis usurpata, quae nomine Henricae Latine redditur ; v. *Enrica*.

Hauser[ge]: bl. app. a Germanis interdum pro Balthasare usurpata ; v. *Baldassarre*.

Haymo[a]: v. *Aimone*.

Hazzy[a]: v. *Assuero*.

Hebe[a]: v. *Ebe*.

Hébert[g]: v. *Erberto*.

Hec[a]: bl. app. pro Hectore usurpata ; v. *Ettore*.

Hector[g] **Hector**[a]: v. *Ettore*.

Hedda[ge] : bl. app. pro Hedvige usurpata ; v. *Edvige*.

Hedwig[ge]: v. *Edvige*.

Hégésippe[g] **Hegesipo**[h] : v. *Egesippo*.

Heide[ge] : bl. app. pro Adelaide usurpata ; v. ib.

Heila[ge] : Haila, ae, f. Ducitur a prisco verbo Germanico *hails* (cf.

heil), cuius vis est *integer*, *salvus*, *sanus*, *beatus*. Est idem nomen atque Helgae (v.) et Olgae (v.).

Heilgard[ge] **Helgard**[ge]: Helgarda, ae, f. Nomen effectum est verbis Germanicis *hails* (*heil*) et *gard* (*gardan*), quorum prius idem valet atque *integer*, *salvus*, *sanus*, *felix*, alterum idem ac *munire*, *tueri* ; est ergo eius interpretatio *tutrix beata* vel *auctrix salutis*.

Heimbert[ge]: Haimbertus, i, m. Nomen compositum est e verbis Germanicis *haims* (*heim*) et *bert* (*beraht*), quorum priore *domus*, *sedes domestica*, altero *clarus*, *splendens* significatur ; id igitur interpreteris : *vir in sua domestica sede clarus*.

Heimeram[ge] **Heimeran**[ge]: v. *Emmeramo*.

Heimrad[ge]: Haimradus, i, m. Nomen coaluit e verbis Germanicis *haims* (*heim*), quod *sedem domesticam* significat, et *rât* (*rad*), cuius vis est *consilium*.

Heinrich[ge] **Heinz**[ge] : v. *Enrico*.

Heldemar[ge]: Heldemarus, i, m. Videtur derivari a priscis verbis Germanicis *helid*, cuius vis est *heros*, *vir strenuus* (cf. Germ. rec. *Held*), et *mar*, quo *inclitus*, *celeber* significatur. Cf. Förstemann, 740.

Hélène[g] **Helen**[a] **Helena**[a] **Helene**[ge]: v. *Elena*.

Helga[ge] **Helge**[ge]: Helga, ae, f. Nomen, ita praesertim apud Scandinaviae gentes usitatum, derivatur a prisco verbo Germanico *hails* (cf. *heil*), cuius vis est *sanus*, *salvus*, *beatus*. In Russicae linguae rationem translatum, hoc nomen audit Olga.

Helgard[ge]: v. *Heilgard*.

Hella[ge]: Hella, ae, f. ; videtur esse alia scribendi ratio nominis *Helga* (v. ib.) vel prior pars nominis *Hildburg* vel bl. app. pro Helena.

Héliodore[g] **Heliodoro**[h]: v. *Eliodoro*.

Helio[h] **Helius**[ge]: v. *Elio*.

Helma[ge] **Hilma**[ge]: est bl. app. a Germanis pro Villelma (*Wilhelma*, *Wilhelmine*) usurpata ; v. *Guglielmina*.

Helmold[eg]: Helmoldus, i, m. Coaluit e verbis Germanicis *helm* (*halm*, Scand. *hjalmr*), quod *galeam*, *praesidium* significat, et *walt* (*valdan*), quod idem valet ac *dominari*, *rei praeesse*. Qui ergo *galea indutus praeest*, Helmoldus appellatur.

Helmut[ge]: Helmodus, i, m. Nomen compositum est e verbis Germanicis *helm - muot* (*mud*, *mod* ; Goth. *môds* ; nunc audit *Mut*), quorum priore *galea* seu *praesidium*, altero vero *animus alacer*, *ira* significatur. Est ergo eius interpretatio : *tutor alacer* vel *fortis*. Cf. nomen Germanicum, ad sermonem Latinum accommodatum *Modefredus* (*muot - frid*), Diehl, 1849.

Héloise[g] **Helisa**[h] **Heloisa**[a]: v. *Eloisa*.

Henning[ge]: est idem nomen atque Henrici ; v. *Enrico*.

Henri[g]: v. *Enrico*.

Henriette[g] **Henrietta**[a] **Henrike**[ge]: v. *Enrica*.

Henry[a]: v. *Enrico*.

Heraclio[h]: v. *Eraclio*.

Herbert[a] **Herbert**[ge]: v. *Erberto*.

Herbie[a] **Herby**[a]: bl. app. pro Herberto usurpata ; v. *Erberto*.

Herculano[h] **Herkulan**[ge]: v. *Ercolano*.

Hércules[h] **Hercules**[a]: v. *Ercole.*

Heribert[ge] : v. *Erberto.*

Herlinde[ge] : Herlinda, ae, f. Nomen compositum est e verbis Germanicis *hêr* (*hari*) et *linda* (*linta*), quorum priore *exercitus* , altero *tilia* seu *scutum tiliaceum* significatur ; interpreteris igitur : *scutum exercitus.* Minus probabilis est originatio, ex qua altera pars nominis derivatur a *lint*, cuius vis est : *serpens*, *draco*, animal fabulare, sapientia praeditum.

Herma[ge]: bl. app. pro Ermina usurpata ; v. *Erminia.*

Hermágoras[h]: v. *Ermagora.*

Herman[a] **Hermann**[ge] : v. *Ermanno.*

Hermenegildo[h]: v. *Ermenegildo.*

Hermès[g] **Hermes**[ge] v. *Ermes.*

Hermin[ge] : v. *Erminio.*

Hermine[ge] : v. *Erminia.*

Hermione[a]: v. *Ermione.*

Hermold[ge] : v. *Ermoldo.*

Hermund[ge] : Hermundus, i, m. Hoc nomen, a fonte Germanico ductum, *tutorem exercitus* seu *bellatorem tuentem* significat. Derivatur enim a verbis Germanicis *hêr* (*hari*), cuius vis est *militum turma*, *exercitus*, *vulgus*, et *mund*, in quo est vis *protegendi.*

Hermod[ge] **Hermut**[ge] : Hermodus, i, m. Coaluit e verbis Germanicis *hêr* (*hari*), cuius vis est *militum turma*, *exercitus*, *vulgus*, et *mut*, *mud*, *mod* (ex *muot* ; cf. Germ. rec. *Mut*), quod *animum*, praesertim fortem, *iram*, significat. Est ergo nominis interpretatio : *bellator alacer.*

Hernando[ge] : v. *Ferdinando.*

Herrad[ge] **Herrada**[ge] : Herrada, ae, f. Coaluit e verbis Germanicis *hêr* (*hari*), quo *exercitus* significatur, et *rât* (*rad*), quod idem valet ac *consilium.* Quae ergo *consilio iuvat exercitum*, hoc nomine appellatur ; quod inditum est praeclarae cuidam antistitae monasterii in monte S. Odiliae positi.

Hersilie[ge]: v. *Ersilia.*

Herta[ge] **Hertha**[ge] : Herta, ae, f. Hoc nomen Germanicum non coniungitur, ut quidam defendunt, cum *Nertho*, quae, ut est apud Tacitum (*Germ.*, 40), erat terra mater, quam quaedam gentes Germaniae *intervenire rebus hominum*, *invehi populis* arbitrabantur, sed aut est ipsum verbum adiect. *hart*, cuius vis est *validus*, *strenuus*, *durus*, aut prior pars nominis *Hertwiga.* Cf. Wasserzieher, p. 75.

Hertwiga[ge]: Hertvigis, is, vel Hertviga, ae, f. Nomen, a Germanico fonte ductum, ab *hart*, cuius vis est *validus*, *strenuus*, et a *wig*, quod *proelium* significat (cf. Germ. rec. *weigern*), idem valet ac *strenua bellatrix.*

Herwig[ge] : v. *Harvey.*

Herwin[ge] : v. *Ervino.*

Hésiode[g] **Hesiodo**[h]: v. *Esiodo.*

Hester[a]: v. *Ester.*

Hetty[a]: bl. app. pro Henrica (vel Esther) usurpata ; v. suis locis.

Hezekiah[a]: v. *Ezechia.*

Higinio[h]: v. *Igino.*

Hilaire[g] **Hilario**[h] **Hilary**[a] **Hilarius**[ge] : v. *Ilario.*

Hilaria[g]: Hilaria, ae, f. Quoad originationem v. *Ilario.* – (Mart. Rom. prid. Id. Aug. e.a.).

Hilbert[ge] **Hildebert**[ge] **Hilpert**[ge] : Hildebertus, i, m. Coaluit e verbis Ger-

manicis *hild*, quod *proelium* significat, et *bert*, cuius vis est *splendens*, *clarus*. Est ergo nominis interpretatio : *bellator inclitus*.

Hilda[h] **Hilda**[a] **Hilda**[ge] **Hilde**[ge] : v. *Ilda*.

Hildebald[ge] **Hildebold**[ge] **Hildbald**[ge] : Hildebaldus vel Hildeboldus, i, m. Coaluit e priscis verbis Germanicis *hild*, cuius vis est *proelium*, et *bald*, quod idem valet atque *audax*, *strenuus*. Nomen ergo sic interpreteris : *bellator inclitus*.

Hildebold[ge] : v. *Hildebald*.

Hildebrand[g] **Hildebrando**[h] **Hildebrand**[a] **Hildebrand**[ge] : v. *Ildebrando*.

Hildegarda[h] **Hildegarde**[a] **Hildegard**[ge] : v. *Ildegarda*.

Hildegund[ge] **Hildegunde**[ge] : v. *Ildegonda*.

Hildemar[a] **Hildemar**[ge] : Hildemarus, i, m. Nomen coaluit e priscis verbis Germanicis *hild* et *mar*, quorum priore *pugna*, altero *fama nobilis*, *clarus* significatur.

Hilderich[ge] : Hildericus, i, m., vel, ut antiquis placuit, Childericus, i, m. (v. *Childerico*). Coaluit nomen e verbis Germanicis *hild*, quo *proelium* significatur, et *rihhi* (*ricja*), cuius vis est *dominus*, *rex*, *potens* ; cf. Lat. *rex*, *regere*. Apud Gregorium Turon. e. a. saepius scriptum videmus : *Childericus*, qui modus ex eo ortus esse videtur quod Germani *h* litteram, halitum efflantes, asperius appellabant.

Hiltrud[ge] **Hiltraud**[ge] : Hiltrudis, is, f. Nomen coaluit e verbis Germanicis *hild*, cuius vis est *pugna*, *proelium*, et *trûde* (*drude*), quod secundum originationem *robur*, *fortitudinem*, ac deinde fabularem feminam eiusmodi virtute praestantem, significat. – (Mart. Rom. V Cal. Oct.).

Hilge[ge] : v. *Hilda*.

Hilger[ge] : Hildegerus, i, vel Hilgerus, i, m. Nomen effectum est priscis verbis Germanicis *hild*, quod *proelium* significat, et *gêr* (*gari*), quod idem valet ac *iaculum*, *hasta* ; est ergo fere interpretatio : *qui hastam fert ad proeliandum*.

Hilma[ge] : v. *Helma*.

Hilpert[ge] : v. *Hilbert*.

Hiltbald[ge] : v. *Hildebald*.

Hiltraud[ge] : v. *Hiltrud*.

Hippolyte[g] **Hipólito**[h] **Hippolytus**[a] **Hippolytus**[ge] : v. *Ippolito*.

Hobart[a]: v. *Huberto* ; est enim ipsum nomen Huberti, ab Anglis hoc modo deflexum.

Homer[a]: v. *Omero*.

Honor[a]: Honoria, ae, f.

Honora[a] **Honoria**[a]: Honoria, ae, f.

Honorata[h]: v. *Onorata*.

Honoré[g] **Honorato**[h]: v. *Onorato*.

Honorine[g]: Honorina, ae, f. Nomen, ut liquet, ductum est ab Honorio, Honorino (quod nomen item in veteribus litterarum monumentis occurrit) ; v. *Onorio*. Honorinae nomen scriptum legimus in C.I.L., II, 941 ; VIII, 5567. Sollemne S. Honorinae, virginis in Gallia, recensetur apud I. Stadler, *Vollständiges Heiligen-Lexikon*, II, p. 765, III Cal. Mart. ; alias VI Cal. Apr.

Honorius[g] **Honorio**[h] **Honorius**[ge] : v. *Onorio*.

Hope[a] : Spes, ei, f. Vocabulum enim Anglicum *hope spem* significat.

Horace[g] **Horacio**[h] **Horace**[a] **Horaz**[ge]: v. *Orazio.*

Horatia[a]: Horatia, ae, f.; cf. *Orazio.*

Horatio[a]: v. *Orazio.*

Hortense[g] **Hortensia**[a]: v. *Ortensia.*

Hortensia[h] **Hortensio**[h]: v. *Ortensia, Ortensio.*

Hortensius[ge]: v. *Ortensio.*

Horst[ge]: Horstius, ii, m. Ita nomen Germanicum *Horst* in Latinam rationem transtuli. Quo significatur *virgultum, sentinetum, nidus avium rapacium, parva silva, castellum*: cf. J. Grimm u. W. Grimm, *Deutsches Wörterbuch.* Apud priscos Germanos audiebat *hurst*; cf. W. Wackernagel, *Altd. Handwörterbuch.* Qui ergo in loco, qui hoc verbo significatur, habitat, *Horst* appellatur.

Howard[a]: Huardus, i, m. Est reapse cognomen, quod nos dicimus, alicui familiae inditum, sed, ut moris est apud Anglos, interdum pro nomine usurpatur. Derivatur autem a prisco verbo Gallico *huard*, quo *upupa* significatur; cf. F. Godefroy, *Dictionn. de l'ancienne langue francaise*, IV, p. 517.

Hubaud[g] **Hubaldo**[h] **Hubald**[ge] **Hugbald**[ge]: v. *Ubaldo.*

Hubbard[a]: v. *Huberto.*

Hubert[g] **Huberto**[h] **Hubert**[a] **Hubert**[ge]: v. *Uberto.*

Huberta[ge]: Huberta, ae, f.; v. *Uberto.*

Hugh[a]: v. *Ugo.*

Hugbald[ge]: v. *Ubaldo.*

Hugues[g] **Hugo**[h] **Hugh**[a] **Hugo**[ge]: v. *Ugo.*

Huguette[h]: v. *Ughetta.*

Hulda[ge]: Hulda, ae, f. Est nomen Germanicum *holde* (Scand. *huldr*), quod idem valet ac *benigna, mitis* (cf. Germ. rec. *hold, Huld*); idque secundum fabularem Germanorum historiam adiciebatur Freiae, uxori Odini, qui in commenticiis numinibus principem locum obtinebat.

Humbald[ge] **Humbold**[ge]: Humbaldus, i, m., vel Humboldus, i, m. Nomen effectum est priscis verbis Germanicis *hûn*, cuius vis est *vir eximiae magnitudinis* (cf. *Hüne*) vel potius *hunn*, h. e. *catulus ursi*, et *bald*, quod idem valet ac *fortis, strenuus.*

Humbrecht[ge]: v. *Umberto.*

Humfrey[a] **Humphrey**[a] **Humfried**[ge]: Humfridus, i, m. Coaluit e verbis Germanicis *hûn*, cuius vis est *vir eximiae magnitudinis* vel *hunn*, h. e. *catulus ursi*, et *frid*, in quo est vis *muniendi, tuendi.* Qui ergo veluti *gigas* seu *ursus aliquem tuetur*, hoc nomine secundum originationem appellatur.

Humphrey[a]: v. *Humfrey.*

Humps[a]: bl. app. pro Humfrido; v. *Humfrey.*

Hunfredo[h]: v. *Humfrey.*

Hunold[ge]: Hunoldus, i, m. Coaluit e verbis Germanicis *hûn*, quod *virum eximiae magnitudinis* vel *praevalidum* significat (cf. Germ. *Hüne* = *gigas*; apud Scandin. *hunn* = *catulus ursi*), et *walt*, quod idem valet ac *dominari.* Est ergo Hunoldus secundum nominis interpretationem vir, *qui velut gigas* seu *ursus dominatur.*

Hyacinthe[g] **Hyacinth**[a]: v. *Giacinto.*

Hylda[a]: v. *Ilda.*

I

Iago[i]: Iagus, i, m. Hoc nomen, quod in poetae *Shakespeare* tragoedia, quae *Othello* inscribitur, occurrit, videtur esse commenticium vel potius pars perperam seiuncta a nomine Hispanico *Santiago*, quo Iacobus significatur.

Ianthe[a]: Ianthe, es, f. Hoc nomen Graecum, quod coaluit ex ἴον et ἄνθος, significat *violae florem*. Praeter alios de eo commemorat Ovid., *Met.* IX, 715 sqq.

Icaro[i]: Icărus, i, m. De origine huius nominis, quod olim impositum erat Daedali filio, alarum artificio in caelum subvecto, aliisque, non satis constat. Est etiam vetus nomen christianum, cf. Diehl, 398 A: « titulus Aurelius Ikarus, centurio coh. VII nig. ». Cui inscriptioni praepositum est Christi nominis compendium.

Icilio[i]: Icilius, ii, m. Est nomen gentis Romanae plebeiae; cf. Liv. IV, 54: « Auctores fuisse tam liberi populo suffragii (scil. ut in quattuor creandis quaestoribus uni patricio K. Fabio Ambusto relinqueretur locus, tres plebi) Icilios accipio, ex familia infestissima patribus tres in eum annum tribunos plebis creatos ». Veri simile est nomen ipsum derivatum esse a fonte Etrusco. Nomen hoc invenitur etiam in veteribus titulis christianis mutata per *metathesin* scribendi ratione, ex qua ponitur *Ilicius*; Cf. Diehl, 1773, 1772 B; 1772 A vero recte habetur Icilius: « fundata a Leopardo et Icilio... ».

Ida[i] **Ida**[g] **Ida**[a] **Ida**[ge] **Itte**[ge]: Ida, ae, f., vel Itta, ae, f., qui tamen scribendi modus antiquum quiddam redolet. Hoc nomine significatur numen muliebre Germanorum (*Idis* vel *Itis*). Cf. cantiones Merseburgenses, saec. X: « Eiris sâzun Idisî, sâzun hera duoder », qui versus sic in Latinum convertitur: olim sedebant Idae (h. e. numina, quae *Idis* appellantur), sedebant hic illic.

Idarosa[i]: Ida Rosa, f.; v. haec nomina suis locis.

Ifigenia[i] **Iphigenie**[ge]: Iphigenīa, ae, f. Cas. acc. exit in soluta oratione plerumque, more Latino, in *-am*, in astricta haud raro in *-an*. Nomen filiae Agamemnonis et Clytaemnestrae compositum est e verbis Graecis ἶφι - et γεν (cf. γένος, γίγνομαι), in in quorum priore inest vis *valde*, in altero *nascendi*, adeo ut interpre-

taris: *bene natam.* – (Mart. Rom. XI Cal. Oct.).

Igino[i] **Higinio**[h]: Hyginus, i, m. Nomen ductum est ab adi. Graeco ὑγιεινός, quo *sanus* significatur – (Mart. Rom. Id. Ian.).

Ignazia[i]: Ignatia, ae, f. Cf. *Ignazio*; nomen occurrit in C.I.L. II, 1457; IX, 353.

Ignazio[i] **Ignace**[g] **Ignacio**[h] **Ignatius**[a] **Ignaz**[ge]; Ignatius, ii, m. Antiquior nominis exarandi ratio est *Egnatius*, de quo plures scriptores commemorant; cf. Plin. XIV, 89; Tac. *Ann.* I, 10, XVI, 32; Val. Max. VI, 3, 9; Suet. *Aug.* 19,1; Sen. *de brev. vit.* IV, 5. Sunt qui a fonte Samnitico id repetant, aut ab Etrusco idque rectius; cf. C.I.E. 200: *ecnate*; 352: *ecnatna*; praeterea C.I.L. X, 3083: *Egnatius* (Faleriis); 3615, 3647 (Caere); VI, 2379 (Bononiae); Schulze, p. 187 sq. – (Mart. Rom. Cal. Febr.; prid. Cal. Aug. e. a.).

Igor[ge] **Ingwar**[ge] **Ivor**[ge]: Inguarus, i, m. Nomen effectum est duobus verbis Germanicis, quorum priore (*Ingo*) deus proprius Ingaevonum, tribus Germanicae, altero *wari* (Goth. *varjan*; Germ. rec. *wehren*), *tueri*, *defendere* significatur. Est ergo eius interpretatio: *qui virtute dei Ingo defendit.*

Ikey[a]: bl. app. ab Anglis pro Isaaco usurpata; v. *Isacco.*

Il[a]: bl. app. pro Isabella; v. ib.

Ilaria[i]: Hilaria, ae, f. v. *Ilario.* – (Mart. Rom. prid. Id. Aug.; III Non. Dec.).

Ilario[i] **Hilaire**[g] **Hilario**[h] **Hilary**[a] **Hilarius**[ge]: Hilarius, ii, m. Nomen ducitur ab adi., cuius antiquior ratio scribendi est *hilarus*, *a*, *um*, recentior vero *hilaris*, *e*, quodque cum verbo Graeco ἱλαρός cognatione coniunctum est (cui eadem vis subiecta). Cf. Mart. – (Rom. XIX Cal. Febr. e. a).

Ilda[i] **Hilda**[h] **Hilda**[a] **Hilda**[ge] **Hilde**[ge]: Hilda, ae, f. Est ipsum priscum verbum Germanicum *hild* (ex *hiltja*), quod *proelium* significat, atque saepenumero cum aliis verbis coniungitur (cf. *Hildegardis*, *Hildegundis*, *Mathildis*); tunc autem plerumque postremam syllabam *-is* accipit.

Ildebranda[i]: Hildebranda, ae, f. V. *Ildebrando.*

Ildebrando[i] **Hildebrand**[g] **Hildebrando**[h] **Hildebrand**[ge]: Hildebrandus, i, m. Nomen effectum est verbis Germanicis *hild*, quo *proelium* significatur, et *brand*, cuius vis est *ignis*, ac, praesertim apud veteres, *gladius micans*; est ergo eius interpretatio: *is qui gladio micante munitus proeliatur.* Minus recte scribitur a multis: *Ildebrandus.* De Hildebrando, fortissimo armorum socio Theodorici, priscum inscribitur carmen Germanicum.

Ildefonso[i] **Ildefonse**[g] **Ildefonso**[h] **Ildefons**[ge]: Hildefonsus, i, vel, ex usu Ecclesiae, Ildefonsus, i. m. Vitiosa autem amnino est exarandi ratio cum *ph* littera, quasi agatur de nomine Graecanico, cum sit e fonte Germanico derivatum. Atque etiam in vetere titulo (Diehl, 1096) *f* litteram, non *ph* est cernere. Hoc nomen componitur e vocabulis Germanicis *hild* et *funs*, quorum altero *proelium*,

altero *promptus* significatur; quapropter vir *promptus ad proelium* hoc nomine appellatur. – (Mart. Rom. X Cal. Febr.).

Ildegarda[i] **Hildegarda**[h] **Hildegarde**[a] **Hildegard**[ge]: Hildegardis, is, vel Hildegarda, ae, f. Coaluit e verbis Germanicis *hild*, cuius vis est *proelium*, et *gardan*, quod idem valet ac *circumsaepire*, *tueri* (cf. Goth. *gards*, h. e. *domus circumsaepta*; Germ. rec. *Garten*, h. e. *hortus*); est igitur nominis interpretatio: *quae in proelio tuetur.* Quo, praeter alias feminas, appellata est uxor Caroli Magni, ac praesertim virgo Deo sacra, sanctimoniae laude insignis ex oppido Bingia, cuius sollemne in Mart. Rom. recensetur XV Cal. Oct.

Ildegonda[i] **Hildegund**(e)[ge]: Hildegundis, is, f. Hoc nomine bis *proelium* significatur; in prisco enim sermone Germanico vocabulis *hild* et *gund* eadem vis (h. e. *proelium*) subiecta est.

Ilderico[i]: v. *Hilderich.*

Ileana[i]: Helĕna, ae, f.; v. *Elena.* Re quidem vera Dacoromani (*rumeni*) nomen Graecum Ἑλένη e sermonis sui natura in *Ileana* mutaverunt; a quibus ad alias gentes novissimis hisce temporibus manavit.

Ilio[i]: Ilius, ii, m. Nomine significatur incola Ilii (*Ilium* vel *Ilion*); cf. Plaut. *Bacch.*, 951.

Iliona[i]: Iliŏna, ae, vel Iliŏne, es, f. Est nomen Graecum Ἰλιόνη, deductum ab Ἴλιον. Eo appellabatur filia Priami, cf. Hyg., *Fab.* 90, quae a patre nuptui tradita est Polymestori, Thraciae regi. Eius mentio apud Vergilium quoque occurrit: « praeterea sceptrum, Ilione quod gesserat olim, — maxima natarum Priami colloque monile — bacatum et duplicem gemmis auroque coronam » (*Aen.* I, 654-656). Pacuvius tragoediam composuit, quam Iliona inscripsit, cuiusque mentionem Cicero, *Tusc.* I, 44, 106, inicit; cf. praeterea Hor. *Serm.* II, 3, 60-61, ubi Fufius ebriosus quidam histrio, qui Ilionae partes agebat, nullis vocibus expergefactus esse dicitur (« cum Ilionam edormit »).

Est praeterea universe nomen muliebre; cf. C.I.L., V, 178; X, 4420.

Ilka: hoc modo nomen Helenae ab Hungaris deflexum est; v. *Elena.*

Illuminata[i]: Illuminata, ae, f. Hoc nomen, ut liquet, pertinet ad *lumen*, quod viri in enodandis originibus periti petunt a primitivo verbo *leuqsmen*; cf. Goth. *lauhmuni*, cuius vis est *fulgur.* – (Mart. Rom. III Cal. Dec.).

Illuminato[i]: Illuminatus, i, m.; cf. *Illuminata.* Recensetur in Mart. Rom. V Id. Mai.

Ilma[i]: Est Italica scribendi ratio blandi nominis Germanici Hilma; v. *Helma.*

Ilona Ilonka: hoc modo nomen Helenae ab Hungaris deflexum est; v. *Elena.*

Ilsa[ge] **Ilse**[ge]: dem. nom. Elisabethae; v. *Elisabetta.*

Imelda[i] **Imelda**[h]: Imelda, ae, vel fortasse rectius Imildis, is, f. Nomen deductum est a fonte Germanico:

a verbo primitivo *im* (cf. *Immo*, *Emmo*, *Irmin*, *Ermin*) et a voce *hild*; prius vocabulum, si est cum *Irmin* cognatione coniunctum, semideum Germanicum significat (cf. *Erminia*, *Ermengarda* e. s.), alterum idem valet ac *pugna*, *proelium*. In veteribus litterarum monumentis scriptum videmus nomen *Imnechildis* (cf. *Acta Sanct.* Febr. I), *Emmild* e. a. Eo, praeter alias, appellata est mater Dagoberti II, uxor Sigberti regis, et beata virgo Bononiensis. Cf. Förstemann, 949, 954.

Imma[ge]: v. *Emma*.

Immacolata[i]: Maria Immaculata, f.

Immanuel[ge]: v. *Emanuele*.

Imperia[i]: Hoc nomine appellata est mulier vergente saeculo XV et ineunte XVI quaestu meretricio famosa. Ducitur autem, ut liquet, a verbo *imperandi*.

Imre: nomen Emmerici secundum Hungarici sermonis rationem expressum.

Inaco[i]: Inăchus, i, m. Hoc nomine (Ἴναχος) olim appellabatur fluvius regionis Argolicae in Peloponneso, qui Argos urbem alluebat; item primus Argivorum rex Ius pater, qui vel flumini dedit nomen vel ab eo accepit. Secundum fabularem historiam fuit filius Oceani et Tethyos. Ad haec cf. Stat., *Theb.* IV, 118; Plin. *Nat. hist.* IV, 5; Horat. *Carm.* III, 19, 1.

Nomen Inachi reperitur etiam in veteribus titulis christianis, cf. Diehl 3988 adn.

Incoronata[i]: Coronata, ae, f. Appellatur hoc nomine puella, quemadmodum videtur, propter religionem Beatae Mariae Virginis, cuius imagines praecipuae aurea corona solent redimiri (cf. Ianuense Sacrarium Beatae Mariae Virginis *Coronatae*). A nonnullis perverse ponitur *Incoronata*, nam e sermonis Latini ratione verbum adiectivum *incoronatus, a, um*, idem valet ac *non coronatus*; cf. Apul. *Met.* IV, 29: « incoronata simulacra et arae viduae ».

Apud scriptores Latinos *coronatus* interdum vim substantivi habet: cf. Cic., *Att.* XIV, 19; *Sen. Dial.* VII, 2, 2; Suet. *Dom.* 4; *Cod. Theodos.* XVI, 2, 38: « quaecumque ad ecclesiam tantum pertinentia specialiter fuerint impetrata non per coronatos, sed per advocatos» (coronati videntur esse aut clerici corona seu tonsura insignes aut viri honorati). A christianis praeterea coronati per translationem martyres appellantur (cf. Sancti Quattuor Coronati).

In litterarum monumentis etiam nomen virile *Coronatus* occurrit; cf. *Anthol.* 223, 226, 226; C.I.L., VII 2021, 16403). Denique in Martyrologio Hieronymiano, quod vocatur, scriptum legimus nomen muliebre Coronatae XVIII Cal. Mai.

Indalecio[h]: Indaletius, ii, m. Recensetur in Mart. Rom. Id. Mai.

Ines[h]: v. *Agnese*.

Ingbert[ge] **Ingobert**[ge]: Ingobertus, i. m. Coaluit e nomine dei Ingaevonum, gentis Germanicae (*Ingo*), et e verbo *bert* (*beraht*), quo *clarus, fulgens* significatur.

Inge[ge]: dem. nom. Ingobergae ; v. *Ingeborg.*

Ingeborg[ge] **Ingeburg**[ge] : Ingoberga, ae, f. Nomen structum est e vocabulis Germanis *Ingo* seu *Ingwio* et *burg* (a *bergan*). Priore verbo appellatus est deus, qui praeerat tribui Ingaevonum : cf. Tac. *Germ.*, 2 : « Celebrant... Tuistonem deum terra editum. Ei filium Mannum, originem gentis conditoremque, Manno tres filios, e quorum nominibus proximi Oceano Ingaevones (ab *Ingo*), medii Hermiones (ab Erminio), ceteri Istaevones (ab Isco) vocentur ». Altera autem nominis pars, *burg*, *locum munitum*, *castellum*, *praesidium* significat ; cf. *Burcardo.* Itaque hoc nomine femina notatur, cui deus *Ingo praesidio est.* Ad Latinam nominis scribendi rationem (Ingoberga) quod attinet, cf. Greg. Tur., *Gest. reg. Franc.*, IV, 96 ; IX 20 ; M.G.H., *Script. rer. Merov.* II(saepius) ; *Act. Sanct.* III Febr. p. 469, 471 ; VII Iul. VII, p. 265 ; J. Stadler, *Vollständ. Heiligenlexikon*, Augsburg, III, p. 41.

Ingenuin[ge]: Ingenuinus, i, m. Non ducitur, quemadmodum primo aspectu videtur, ab *ingenuo*, sed a verbis Germanicis *Ingo*, quo deus Ingaevonum significatur, et *win*, cuius vis est *amicus* ; est igitur eius interpretatio: *amicus dei Ingo.* Praeterea in opere, cui index *Polyptique de l'abbé Irminon par Guérard*, hoc nomen ita exaratum invenimus: *Inguin* (pp.148, 217), *Ingoin* (pp. 28, 40 e. a.). Germani scribunt etiam *Ingwin*, *Ingewein.* – (Mart. Rom. Non. Febr.).

Ingobert[ge] : v. *Ingbert.*

Ingold[eg] : Ingoldus, i, m. Quo in nomine duo occurrunt verba Germanica : *Ingo* (*Ingwio*), deus Ingaevonum (cf. *Ingeborg*), et *walt* (*valdan*), cuius vis est *dominari* ; haec autem vox, si alteri, quae praecedit, coniungitur, primam litteram *w* amittit, ita ut audiat *-ald* vel *-old.* Est ergo haec fere nominis interpretatio : *is qui ab Ingo protectus dominatur.*

Inghouf[g]: Ingulfus, i, m. Quod ad priorem nominis partem (*Ingo*) attinet, v. *Ingold* ; altera pars efficitur verbo Germanico *wulf* (*wolf*), quo *lupus*, animal religiosum, significatur.

Ingram[a] **Ingram**[ge] : Ingoramus, i, m. Huius nominis Germanici haec fere est interpretatio : *deo Ingo sacer corvus. Ingo* erat deus, a quo appellati sunt Ingaevones, Germanorum tribus (cf. Tac. *Germ.*, 2) ; *ram* vero seu *raban*, *hraban*, *corvum* significat, avem apud priscos Germanos religiosam. Nomen, ad sermonem Latinum conformatum, occurrit in M. G.H. *Script.*, II, pp. 591, 611 (*Ingoramnus*) e.a.

Ingrid[a] **Ingrid**[ge] : Ingridis, is, f. Huius nominis Germanici haec videtur esse originatio : *Ingo-gardjô* ; priore vocabulo appellatur deus Ingaevonum proprius (cf. *Ingeborg*), alterum, postea in *gerda*, *gerte* deflexum, *virgam* significat. Hoc nomen, secundum fabularem Germanorum historiam, inditum est uxori dei, cui appellatio Ingo. Alii autem, fortasse rectius, alteram partem a verbo *rîd* petunt, cuius vis est *equitare*, adeo ut eo signetur quasi *femina*

quae, ab Ingo protecta, equo vehitur. Cf. Wasserzieher, p. 76, et *Astrid.* Scribendi ratio Latina *Ingridis* in litterarum monumentis media aetate conditis invenitur ; cf. *Bullar. Ord. Praed.*, Romae 1730, pp. 542-545 ; A. Walz, *Compend. historiae Ord. Praed.*, Romae 1948, pp. 208, 667 ; I. Stadler, *Vollständ. Heiligenlexikon*, Augsburg, III, p. 41.

Ingwar[ge]: v. *Igor.*

Inigo[h]: v. *Ignazio.*

Innocenzo[i] Innocent[g] Inocencio[h] Innocent[a] Innozenz[ge] : Innocentius, ii, vel Innocens, entis, m. Verbum *innocens*, unde nomen deductum est, perinde ac *noceo, noxa, neco, nex, pernicies* e. s., ab uno fonte derivantur, scilicet a voce promitiva *nek*, in qua inest vis *pereundi* ; cf. prisc. Ind. *násyati*, h. e. *perit* ; Graec. νέκυια, h. e. *parentalia.* Nomen haud semel in Mart. Rom. occurrit (cf. X Cal. Iul.).

Innocenza[i] Inocencia[h] Innocentia[ge]: Innocentia, ae, f. cf. *Innocenzo.*

Iolante[a]: v. *Jolanda.*

Iolo[a]: bl. app. pro Iulio ; v. *Giulio.*

Iphigenie[ge]: v. *Ifigenia.*

Ipparco[i]: Hipparchus, i, m. Hoc nomine, quo significatur *equorum praefectus* (ἵππος - ἀρχή)), appellatus est praeter alios mathematicus Nicenus, de quo veteres scriptores (Cic., Plin., Col. e. a.) commemorant ; idem in titulis quoque occurrit ; cf. C.I.L. X, 1267, 2830.

Ippocrate[i]: Hippocrătes, is, m. Nomen ductum est ab ἵππος et κρατέω, quorum verborum priore *equus*, altero *valeo, praesto*, significantur. Est ergo fere eius interpretatio : *vir equis valens.*

Ippolita[i]: Hippoly̆te, es, f. Hoc nomine ex veterum fabulis appellatae sunt : regina Amazonum et uxor Acasti, Magnesiae seu Thessalorum regis. In titulis autem scriptum videmus ut nomen muliebre commune ; cf. C.I.L., V, 1341 ; Diehl, 697. Quoad originationem v. *Ippolito.*

Ippolito[i] Hippolyte[g] Hipólito[h] Hippolytus[a] Hippolytus[ge] : Hippoly̆tus, i, m. Nomen compositum est e verbis Graecis ἵππος - λύω, adeo ut idem valeat atque : *equos* seu *equorum habenas solvens.* Quo praesertim appellatus est filius Thesei, a Phaedra adamatus. Frequentatur in titulis quoque ut nomen viris e vulgo inditum ; cf. C.I.L. I, 741 ; II, 4339 ; V, 636. – (Mart. Rom. postr. Cal. Dec. ; III Cal. Febr. e. a.).

Ira[i]: Ira, ae, m. vel f. Est nomen Hebraicum (LXX Interpr. Ἰρά vel Ἰράς), cuius vis esse videtur *vigil custos* ; cf. II *Reg.* 23, 38 ; fuit consiliarius David (ibid. 20, 26) ; item filius Acces de Thecua, II *Reg.* 23, 26 ; I *Par.*, 27, 9 (*Hira*). Hac ratione acceptum est nomen virile ; feminino autem genere Ira appellabatur apud Romanos dea quaedam seu potius monstrum, perinde ac Furiae, nata ex Aethere et Terra vel e Nocte et Erebo ; cf. Val. Flacc. V, 137 ; Claud., *Carm.*, 77. Ut patet, est verbum commune *ira* nomen deae factum ; cf. prisc. Ind. *isnáti* = *movet., impellit, ísate* = *properat.*

Irene[i] Irène[g] Irene[h] Irene[a] Ire-

ne[ge]: Irene, es, vel Irena, ae, f. Hoc nomine, quo *pax* significatur (εἰρήνη), apud veteres scriptores appellatur filia Iovis ac Themidis (cf. Hygin., *Fab.* 183 e. a.); deinde pictrix, de cuius opere (puella) commemorat Plin. XXXV, 11, 14; frequentatur denique in titulis; cf. C.I.L. II, 545; VIII, 2090; X, 2422, e. a. Est autem praesertim nomen muliebre christianum, quod in litterarum monumentis et in sacris Urbis cryptis saepe occurrit. – (Mart. Rom. Non. Apr.; III Non. Mai. e. a.).

Ireneo[i] **Irénée**[g] **Ireneo**[h] **Irenäus**[ge]: Irenaeus, i, m. Ab aliis minus recte scribitur *Ireneus*; est enim nomen Graecum Εἰρηναῖος vel Ἰρηνῖος in Latinam rationem translatum, quod a verbo Graeco εἰρήνη, quo *pax* significatur, ductum est. Re quidem vera vox Εἰρηναῖος apud ethnicos idem valebat ac *deae Paci sacer*; Christiani autem pacem a Servatore delatam intellegebant. – (Mart. Rom. IV Cal. Iul. e. a.).

Iride[i] **Iris**[i] **Iris**[a]: Iris, is, vel ios, vel ĭdis, f.; cas. acc. exit in *-im* (*Irim*; cf. Verg. *Aen.* IV, 694; IX, 2, e. a.) vel in *-ida*. Origo nominis est aut verbum εἴρω, h. e. *loquor*, Iris enim putabatur esse *nuntia* deorum (cf. Verg. *Aen.* V, 605); aut εἴρω, h. e. *sero*, *compono*; aut ἔρις (εἴριες), h. e. *lis*, cum Iris a dis ad discordiam mittatur, ut est apud Serv. *ad Verg. Aen.* V. Usurpatur in titulis quoque ut nomen muliebre; cf. C.I.L. IX, 4947; X, 5007.

Irma[i] **Irma**[g] **Irma**[h] **Irma**[a] **Irma**[ge]; Irma, ae, f. Est quidem deminutum nomen Irmingardis vel Irmintrudis, tamen seiunctum ab altero verbo *-gardis* vel *-trudis* usurpatur. Derivatur autem ab *Irmin* seu *Ermin*, fabulari semideo Germanorum.

Irmald[ge] **Irmold**[ge]: Ermoldus, i, m. Derivatur a nomine semidei Germanici *Irmin* seu *Ermin* et a verbo *walt* (*valdan*), quod e Germanico sic in Latinum convertitur: *dominari* Est ergo interpretatio: *is qui deo Irmin protegente dominatur.*

Irmine[g] **Irmina**[ge]: v. *Erminia.*

Irmgard[ge] **Irmingard**[ge]: v. *Ermengarda.*

Irmund[ge] **Eremund**[ge]: Eremundus, i, m. Ducitur a nomine semidei Germanici *Irmin* seu *Ermin* et a verbo *mund*, quod idem valet ac *tueri*, *tegmen*, *praesidium* (cf. *munio*); hanc ergo vim nomini subicias: *a deo Irmin protectus.*

Irving[a]: Irvingus, i, m. Est, quod nos dicimus, cognomen alicui familiae inditum vel nomen loci (in Foed. Americae Sept. Civitatibus), quo Angli pro nomine interdum utuntur.

Irvin[a]: Irvinus, i, m. Est praenomen, quod nos dicimus, a nomine loci, quemadmodum videtur, deductum; cf. *Irvine*, oppidum in Scotia.

Isa[i]: Isa, ae, f. Est, qui putet vulgarem appellationem *Isa* esse partem nominis *Elisa*, *Elisabetta* (Elisabethae) vel rarius *Luisa* (Aloisiae); cf. Sertori Sales, p. 126. Attamen ipsum nomen Isae in veteribus titulis christianis scriptum videmus, quam ob rem non perperam in usum recipimus; cf. Diehl, 1372: « hic

iacet Isa, qui (sic) vixit in pacen (sic) fedilis (sic) annos pm. XXX. Fortio coiux (sic) eius dolens titulum posuit ».

Isaac[g] **Isaac**[h] **Isaac**[a] **Isaak**[ge]: v. *Isacco.*

Isabella[i] **Isabelle**[g] **Isabel**[h] **Isabel**[a]: Isabella, ae, f. Hoc nomen, Hispanorum proprium, corruptum esse videtur ; ducitur enim ab *Elisabetha* aut, sed minus probabiliter, ab *Isebel* seu *Jezabel* (Hebr. *'Jzebel*, h. e. *insulae incola* vel *intacta*).

Isacco[i] **Isaac**[g] **Isaac**[h] **Isaac**[a] **Isaak**[ge]: Isaacus, i, vel Isaac, m., sine postrema syllaba Latina. Modus, quo in casus inclinatur (*Isaacus*), invenitur apud Cypr. Gall., *Exod.* 178, 2, 21. Secundum eandem hanc exarandi rationem recensetur in Mart. Rom. Martyr in civitate Neo-Eboracensi S. Isaacus Jogues, sac. e Soc. Ies., cuius sollemne a. d. XIV Cal. Nov. celebratur. Videtur quidem interdum etiam scribi Isaac, cis vel Isaacius, ii ; cf. On. Perin. I, p. 802. Nomen derivatur a vocabulo Hebraico *itzhhaq*, cuius vis est *ridens* vel *risus*. Propter Isaacum enim, in lucem editum, riserunt seu gavisi sunt parentes.

Isadora[a]: Isidora, ae, f. cf. *Isidoro.*

Isaia[i] **Isaïe**[g] **Isaias**[h] **Esaias**[a]: Isaias, ae, m. ; scribitur interdum etiam Esaias. Hoc nomen prophetae incliti ductum est a verbis coniunctis Hebraicis *Yesha 'isha* (LXX Interpr.: Ἡσαΐας), quibus significatur : *salus Domini* (*Yavhe*). Cf. Mart. Rom. XIV Cal. Mart. ; prid. Non. Iul.

Isbel[a]: bl. app. a Scotis pro Isabella usurpata ; v. ib.

Isbert[ge] **Isembert**[ge]: Isbertus, i, m. Coaluit e verbis Germanicis *îs* (*isan*), cuius vis est *ferrum* seu *armatura e ferro*, et *bert* (*beraht*), quod idem valet atque *clarus*. Qui ergo *armatura ferrea splendet*, hoc nomine vocatur.

Iseult[g] **Iseult**[a]: v. *Isotta.*

Isfried[ge]: Isfridus, i, m. Nomen deducitur a fonte Germanico : ab *îs* (*isan*), quod idem valet ac *ferrum* vel *armatura e ferro*, et a *frid*, quod *munire, tueri* significat. Est ergo interpretatio : *vir qui armatura ferrea tuetur.*

Iside[i]: Isis, ĭdis, vel is f. Cas. acc. exit apud praestantissimos Latinitatis auctores in *-im*, apud alios, more Graecorum, in *-in* (ut apud Hieronymum). Secundum Isidorum *Orig.*, VIII, 11, 84, hoc nomine, quo dea Aegyptia appellatur, significatur lingua Aegyptiorum *terra* ; sed e recentioribus alii aliunde derivant ; cf. W. Röscher *Lex. d. Mythol.* II, p. 362, qui defendit Isim idem valere ac *sedem* vel *thronum* (dei Solis).

Haec dea Aegyptia, cuius cultus post Tiberium imperatorem Romae etiam viguit, ita apud Apuleium, *Met.* XI, 5, describitur ; quin ipsa dea loquens inducitur : « En adsum tuis commota, Luci, precibus, rerum natura parens, elementorum omnium domina, saeculorum progenies initialis, summa numinum, regina manium, prima caelitum, deorum dearumque facies uniformis, qua caeli luminosa culmina, maris salubria flamina, inferum deplorata

silentia nutibus meis dispenso : cuius numen unicum multiformi specie, ritu vario, nomine multiiugo totus veneratur orbis. Inde primigenii Phryges Pessinuntiam deam matrem, hinc autocthones Attici Cecropeiam Minervam, illinc fluctuantes Cyprii Paphiam Venerem, Cretes sagittiferi Dictynnam Dianam, Siculi trilingues Stygiam Proserpinam, Eleusinii vetustam deam Cererem, Iunonem alii, Bellonam alii, Hecatam isti, Rhamnusiam illi, et qui nascentis dei Solis inchoantibus illustrantur radiis Aethiopes utrique priscaque doctrina pollentes Aegyptii caerimoniis me propriis percolentes appellant vero nomine reginam Isidem ».

Isidoro[i] **Isidore**[g] **Isidoro**[h] **Isidor**[a] **Isidor**[ge]: Isidorus, i, m. A Graecis vocabulis Ἶσις et δῶρον ductum, hoc nomen *Isidis donum* significat ; cf. *Iside*. – (Mart. Rom. prid. Non. Apr. e. a.).

Ismaele[i] **Ishmael**[a] **Ismaael**[ge]: Ismael, is, m. Ita in I *Par*. 1, 31, in casus inclinatur ; ab aliis non adiungitur postrema syllaba Latina. Derivatur autem a fonte Hebr. : *Ishma' 'el*, cuius interpretatio est : *exaudiet Deus*. Aliquando etiam scribitur *Ismahel* (cf. *IV Reg*., XXV 23-25 ; *Ier*. XL 8-16, et XLI, 1-18 ; *I Par*. VIII, 38 et IX, 44 ; *II Par*. XIX, 11 e. a.). In Mart. Rom. recensetur sollemne Caelitis ita nominati XV Cal. Iul.

Ismene[i]: Ismene, es, f. Praeter alias feminas, hoc nomine appellata est filia Oedipodis et Iocastae ; cf. Hygin., *Fab*. 67 e. a. Id in titulis quoque ut commune nomen muliebre scriptum videmus : cf. *Annali d. Ist. arch*. 1857, p. 304.

Isobel[a]: v. *Isabella*.

Isolda[h] **Isold**[a] **Isolde**[ge] : v. *Isotta*.

Isolina[i]: bl. app., ut videtur, pro Isolda ; v. *Isotta*.

Isotta[i] **Iseult**[g] **Isolda**[h] **Isold**[a] **Isolde**[ge]: Isolda, ae, f. Hoc nomen repetendum esse videtur ab *îs-walda*, quorum nominum priore a priscis Germanis significabatur *ferrum* seu *armatura e ferro* (*isan* ; cf. Germ. rec. *Eisen*), altero vero *dominari*. *Quae* ergo *armatura ferrea induta dominatur*, Isolda secundum nominis interpretationem dicitur.

Istace[g]: videtur esse corruptum nomen Eustachii (*Eustache*) ; v. *Eustachio*.

Italia[i]: Italia, ae, f. In Oscorum sermone audiebat *Viteliu* ; coniungitur ergo cum verbo *vituli*. Cf. Paul. e Fest. 94 : « Italia dicta quod magnos italos, hoc est boves habeat ». Hoc nomine primo Bruttii appellabantur. Cf. Walde-Hofmann, p. 723. Apud Diehl autem, 2634, scriptum videmus nomen : *Italica*.

Italo[i]: Itălus, i, m. Ad originationem quod attinet, v. *Italia*.

Ita[a]: v. *Ida*.

Ita[ge] **Ite**[ge] : v. *Giuditta*. Alemanni enim nomen Iudithae interdum sic deflectunt ut audiat *Ita* vel *Ite* vel *Iutta*.

Itta[ge]: v. *Ida*.

Ivana[i]: Ivana, ae, f. ; cf. *Ivan*.

Ivan[i] **Ivano**[h] **Ivan**[a] **Ivan**[ge] : Ivanus, i, m. Est quidem, quod ad originem

attinet, idem nomen ac Ioannis (v. *Giovanni*), a Russis praesertim usurpatum (*Ivan*); sed, ita ad sermonem Latinum conformato praeclari Latinitatis cultores (cf. *Ivanus Müller*) eodem usi sunt.

Ivanka[i], Ivana, ae, f. v. *Ivana* et *Ivan*.

Ivette[g]: v. *Ivonne*.

Ivo[i] **Yves**[g] **Ivo**[h] **Yves**[a] **Iwo**[ge]: Ivo, onis, m. Sunt qui affirment hunc esse Celticum appellandi modum (in Britannia Minore) nominis Ioannis; quod haud probari potest.

Fortasse repetitur a voce Germanica *îwa* (cf. Germ. rec. *Eibe*), qua *taxus*, arbor abieti similis baccasque gerens, significatur. Cum autem nomen in regione Britanniae Minoris et Normandiae maxime fuerit usitatum, nomen rectius deducendum videtur a verbo Celtico **ivos* (cf. *ivin*, ut in Brit. Min. nunc appellatur), quod est cum *îwa* cognatione coniunctum (cf. Tagliavini, p. 159 sq.). Latina scribendi ratio *Ivo*, *Ivonis*, in litterarum monumentis, media aetate conscriptis, frequentatur. – (Mart. Rom. XIV Cal. Iun.).

Ivonne[g] **Yvonne**[g]: Ivona, ae, f. Cf. *Ivo*.

Ivor[g]: v. *Igor*.

Iwar[ge]: Ioannes, is, m.; quod nomen Sueti vulgo *Iwar* appellant (cf. *Giovanni*).

Iwo[ge]: v. *Ivo*.

J

Jacinto[h]: v. *Giacinto.*

Jack[a]: bl. app. pro Ioanne; v. *Giovanni.*

Jacqueline[g] **Jacqueline**[a]: Iacoba, ae, f.; v. *Giacomina.*

Jacopo[i]: v. *Giacomo.*

Jácome[h]: v. *Giacomo.*

Jaime[h]: v. *Giacomo.*

Jake[a]: bl. app. pro Iacobo; v. *Giacomo.*

Jakob[ge]: v. *Giacomo.*

Jakoba[ge]: Iacoba, ae, f.; v. *Giacomina.*

James[a]: v. *Giacomo.*

Jan[a]: dem. nom. Ioannis; v. *Giovanni.*

Jane[a]: v. *Giovanna.*

Janos: Ioannes, is, m. Ita enim Hungari hoc nomen ad suam linguam conformaverunt.

Januarius[ge]: v. *Gennaro.*

Jason[ge]: v. *Giasone.*

Jasmine[a]: v. *Gelsomina.*

Jasper[a]: v. *Gaspare.*

Jaubert[h]: v. *Gioberto.*

Javier[h]: v. *Saverio.*

Jean[g]: v. *Giovanni.*

Jeanne[g] **Jeannette**[g]: v. *Giovanna.*

Jeff[a] **Jeffery**[a] **Jeffrey**[a]: v. *Goffredo.*

Jem[a] **Jemmy**[a]: bl. app. pro Iacobo; v. *Giacomo.*

Jen[a] **Jenny**[g] **Jenny**[a]: bl. app. pro Ioanna, v. *Giovanna*, vel Guenevera, v. *Jenifer.*

Jenifer[a] **Jennifer**[a]: Guenevera, ae, f. V. *Ginevra.* E ratione gentis, quae in Cornubia (*Cornwall*) incolit, vetus nomen Celticum *Gwenhwywar* (= *alba*) mutatum est in *Jenifer.*

Jérémie[g] **Jeremías**[h] **Jeremy**[a] **Jeremias**[ge]: v. *Geremia.*

Jérome[g] **Jerome**[a]: v. *Gerolamo.*

Jerónimo[h]: v. *Gerolamo.*

Jerry[a]: bl. app. pro Ieremia; v. *Geremia.*

Jessie[ge]: bl. app. a Scotis pro Ioanna usurpata; v. *Giovannella.*

Jesaias[ge]: v. *Isaia.*

Jesualdo[h] **Jesualda**[h]: v. *Gesualdo, Gesualda.*

Jesus[h]: Iesus, u, vel Salvator, oris, m. Hebraice appellatur *Yeshua'* (pro *Ye'oshua'* = *Iosue*), Graece Ιησοῦς, redditurque Latine nomine Servatoris, seu, secundum usum Ecclesiae, Salvatoris, Cf. S. August. *Serm.* 299; P. L., 38, 1371: « Christus Iesus, id est Salvator. Hoc est Latine Iesus. Nec quaerant grammatici quam sit Latinum, sed Christiani quam verum. Salus enim Latinum nomen est. Salvare et Salvator non fuerunt

haec Latina antequam veniret Salvator; quando ad Latinos venit, et haec Latina fecit ». Nomen *Jesus* Hispani pueris solent imponere, quod, cum in Latinum convertitur, ex usu Curiae Romanae redditur nomine *Salvatoris*; nomen enim Iesu, ut fert consuetudo, uni servatur Dei Filio, salutis nostrae effectori.

Jesusa[h]: v. *Gesuina*.

Jesusita[h]: bl. app. ab Hispanis pro *Jesusa* (= Jesuina) usurpata; v. *Jesusa*.

Jim[a]: bl. app. pro Iacobo; v. *Giacomo*.

Jinny[a]: bl. app. pro Ioanna; v. *Giovanna*.

Jo[a]: bl. app. pro Iosepha; v. *Giuseppina*.

Joachim[g] **Joaquín**[h] **Joachim**[a] **Joachim**[ge]: v. *Giacchino*.

Job[g]: v. *Giobbe*.

Joconde[g]: v. *Gioconda*.

Jocundo[h] **Jocunda**[h]: v. *Giocondo*, *Gioconda*.

Jodok[ge]: v. *Josse*.

Joe[a]: bl. app. ab Anglis et Americanis Foed. Civ. Sept. usurpata pro Iosepho; v. *Giuseppe*.

Johann[ge] **Joannes**[ge]: v. *Giovanni*.

Johanna[a] **Johanna**[ge]: Ioanna, ae, f.; v. *Giovanna*.

John[a] **Johnny**[a]: v. *Giovanni*.

Jolanda[i] **Yolande**[g] **Yolanda**[h] **Iolanthe**[a]: Iolanthe, es, f. De origine huius nominis non satis constat; in vetere sermone *Francogallico* (e Gallia autem in Italiam permanavit), ita scriptum videmus: *Yolans*, *Yolant*, *Yolent*; quam exarandi rationem multi a *Violante* repetunt.

Alii in enodandis originibus periti nomen a fonte Germanico deducunt: ab *eut - lind* vel *Idis - lint*; *eut* idem valet ac *puer*, *Idis* idem ac *virgo* seu potius *vetus numen muliebre Germanorum*, voce autem *lind tilia* seu *scutum tiliaceum* significatur.

Cum ergo inter eruditos tanta sit de origine dissensio, malumus nomen, quasi a Graeco fonte derivatum, Latine reddere: *Iolanthe* (cf. Angl. *Iolante*). Nomen *Ioles* (v. *Iole*) certe e Graeca fluxit lingua; cf. *FIOΛH*, ut est in antiquo vase Caeretano, Ἰόλεια, ut est apud Hesiod., fr. 70, et Callim. *epigr.*, 6, qua voce ἴον, *viola* significatur, nomen scilicet mulieri inditum. Altera pars, si licet hac originatione uti, est ἄνθος, h. e. *flos*. Est ergo idem nomen quod Ianthe (ἴον-ἄνθος), de quo apud veteres scriptores saepius commemoratur; nomen autem ipsum Iolanthes neque in litterarum monumentis neque in titulis antiquis invenitur.

Jole[i]: Iole, es, f. Est nomen Graecum ductum a Ϝιολη seu potius ab Ἰόλεια, quibus cum verbis ἴον (h. e. *viola*) cognatione coniunctum est. Itaque Iole idem valet ac *Viola* (cf. *Jolanda*). Plures a veteribus scriptoribus recensentur mulieres hoc nomine insignes, ut filia Euryti, regis Oechaliae, cf. Hygin., *fab.* 35, e. a.; Toxei soror, ab Hercule adamata, cf. Sen. *Herc. Oet.* 217; Hygin. *fab.*, 31 et 35; Ovid. *Her.* IX, 304, *Met.* IX, 140, 276, 394: denique ancilla quaedam apud Propert. IV, 5, 35. Fuit etiam nomen

muliebre christianum; cf. Diehl, 3898.

Jone[i]: Ionis, ĭdis, f. Hoc nomine significatur mulier ad Ioniam seu Ionum gentem pertinens. Usurpatur in veteribus titulis; cf. C.I.L. V, 757: « Aninia M. F. Magna et Seia Ionis et Cornelia Ephyre magistrae »; ib. 1801: « Sallustiae Minnidis L. Ionidi Callistus Phoebi Caesaris Augusti Arcari Vic. Contubernali »; IX, 6382.

Jörg[ge]: bl. app. pro Georgio; v. *Giorgio.*

Joscelin[a] **Joycelin**[a]: Ioscelinus, i, m. Nomine, cui adiuncta terminatio *-ilo* vel *-ilin* blandae appellationis causa, significatur, si originem spectes, *Gothus* (a *gauta*); plures vulgares scribendi modi occurrunt: *Gaudila*, *Cozzili*, *Cozilo*, *Gozzilo*, *Gozelo*, *Goscelo*, *Gauscelin*, *Gautselin*, *Gauslin*, *Gozilin*, *Goscelin*, *Joscilin* e. s. cf. Förstemann, p. 606 sqq.; M.G.H. *Script.* XIV (saepius *Joscelin*).

José[h]: v. *Giuseppe.*

Josefa[h]: v. *Giuseppina.*

Josefín[h]: v. *Peppino.*

Joseph[g] **José**[h] **Joseph**[a] **Josef**[ge]: v. *Giuseppe.*

Joséphine[g] **Josefa**[h] **Josephine**[a] **Josefine**[ge]: v. *Giuseppina.*

Joshua[a]: v. *Giosué.*

Josiah[a]: v. *Giosia.*

Josie[a]: bl. app. pro Iosepha; v. *Giuseppina.*

Josse[g] **Joyce**[a] **Jodok**[ga]: Iudocus, i, vel Iodocus, i, m. Nomen repetitur a fonte Celtico: a verbo *iudic* seu *iudac*, quo *bellator* significatur: *iuda* enim idem valet ac *proelium*; cf. A. Holder, *Altceltischer Sprachschatz*, Leipzig 1896, II, p. 86 sqq.; Vita S. Meloti, *Annal. Boll.* V, 166; Sleumer, p. 443 (*Iodocus*). De S. Iudoco commemoratur in Mart. Rom. Id. Dec.

Jost[ge]: bl. app. pro Iudoco; v. *Josse.*

Joy[a]: Laetitia, ae, f. Sic enim in Latinum convertitur vulgare verbum Anglorum *joy.*

Joyce[a]: Iudocus, i, vel Iodocus, ii, m.; interdum est generis feminini: Iudoca, ae, vel Iodoca, ae, f. Videtur *Joyce* idem esse nomen ac *Josse*, ut Galli appellant (v. ib.). Secundum quosdam vero scriptores Anglos in enodanda nominum origine peritos, *Joyce* derivatum est a verbo Germanico *gauta* (*Gotso*, *Gozo*, *Gozzilo*, *Gozelo*, *Goscelo*, *Gozilin* e. s.; Förstemann, 606 sqq.).

Juana[h]: v. *Giovanna.*

Juanilla[h] **Juanita**[h]: v. *Giovannella.*

Juán[h]: v. *Giovanni.*

Jude[a]: Iudas, ae, m.

Judith[g] **Judith**[a] **Judith**[ge]: v. *Giuditta.*

Judy[a]: bl. app. pro Iuditha; v. *Giuditta.*

Jula[a]: Iula, ae, f. Videtur quidem esse corrupta quaedam nominis Iuliae scribendi ratio, tamen vim nominis proprii potest obtinere. In lingua enim Latina habetur *Iulus, i,* quo filius Aeneae, qui et Ascanius, appellabatur. Praeterea a scriptoribus, praesertim poetis, serioris aetatis *Iuli, orum,* interdum vocantur Romani; cf. Auson., *Ep.* XVI, 85.

Jules[g]: v. *Giulio.*

Julie[g] **Julia**[h] **Jule**[a] **Julie**[ge]: v. *Giulia.*

Julien[g] **Julián**[h] **Julian**[a] **Julian**[ge]: v. *Giuliano.*

Juliana[h] **Juliana**[a] **Juliana**[ge]: v. *Giuliana.*

Julienne[g]: v. *Giuliana.*

Juliet[a] **Juliette**[a]: v. *Giulia.*

Julius[a] **Julius**[ge]: v. *Giulio.*

June[a]: Iunia, ae, f. Cf. *Giunio.*

Justin[a] **Justin**[ge]: v. *Giustino.*

Justine[g] **Justina**[h] **Justina**[a] **Justine**[ge]: v. *Giustina.*

Juste[g] **Justo**[h] **Just**[ge]: v. *Giusto.*

Jutta[ge]: v. *Giuditta.*

K

Kajetan[ge] : v. *Gaetano.*

Kanut[ge] : v. *Canuto.*

Karda[ge] : dem. nom. Richardae ; v. *Riccarda.*

Karen[ge] **Karin**[ge] : v. *Caterina* ; nomen enim Catharinae Sueti ita deflectere solent ut audiat *Karen* vel *Karin.*

Karl[ge] : v. *Carlo.*

Karla[ge] : v. *Carla.*

Karlheinz[ge] : Carolus Henricus, m. ; v. haec nomina suis locis (*Carlo, Enrico*).

Karsten[ge] : Christianus, i, m. (v. *Cristiano*) ; vulgare nomen *Karsten* a gentibus Scandiae praesertim usurpatur.

Kasimir[ge] : v. *Casimiro.*

Kaspar[ge] : v. *Gaspare.*

Kate[a] **Kath**[a]: bl. app. pro Catharina ; v. *Caterina.*

Katharine[a] **Katharina**[ge] : v. *Caterina.*

Kathie[a]: bl. app. pro Catharina ; v. *Caterina.*

Kathinka : Est nomen Russicum, quo Catharina significatur ; v. *Caterina.*

Katie[a] **Katy**[a]: bl. app. pro Catharina ; v. *Caterina.*

Kay[a]: si feminino genere usurpatur, est bl. app. pro Catharina (cf. *Karen*, a quo ductum esse videtur) ; v. *Caterina.*

Kean[a] : Cianus, i, m. Est nomen originis Celticae; cf. *cian*, h. e. *vastus*, vel *cean*, h. e. *caput*. Cf. Partridge, p. 169.

Ken[a] **Kenny**[a]: bl. app. pro Kenedo.

Kenneth[a]: Canicus, i, vel Kenedus, i, m. Nomen *Kenneth*, quo significatur *venustus, formosus*, priscis quibusdam regibus Scotorum inditum est, sed non uno modo scriptum. Replicantes enim veteres eius gentis annales, miramur eiusdem nominis plurimas inveniri formas : *Kinet, Kineth, Kined, Kinart, Kinnart, Kynat, Kynath, Kynad, Kynach, Kynet, Kynnet, Kynnet, Kynet, Chineth, Cinaet, Cinaed, Cinaedh, Kened* : cf. W. F. Skene, *Chronicles of the Scots*, Edinburgh, 1867, pp. 131, 174 ; 289 ; 287, 288 ; 137 ; 174 ; 175, 150 ; 151, 209 ; 144, 335 ; 151, 152 ; 305 ; 302 ; 203 ; 204 e. a. Iisdem autem in litterarum monumentis, lingua Latina plerumque conditis, nomen ad hunc sermonem interdum conformatum est : *Kynetus* (« Primus rex fuit Kynetus, vel Kynet » ; op. mem., pp. 295, 299, 300, 177), *Kynnetus, Ky-*

nedus, *Kinedus*, *Kynaldus*, *Kynadius*, *Cinadius*, *Kenedus* (« Et postquam Kenedus Pictos omnino fugavit » ; op. mem., *Chronicon Rhythmicum*, pp. 335, 336).

Alii autem viro, christianae virtutis laude ornato, qui, oriundus ex Hibernis, saeculo VII praefuit coenobio vulgari sermone *Kill-Kenny* postea appellato, nomen erat *Canicus* vel *Cannicus* vel *Cannechus* (ab aliis ponitur etiam : *Cainicus*, *Caynicus*, *Canithus*). Quod nomen idem esse perhibetur atque *Kenneth* ; cf. C. De Smedt – I. De Backer, *Acta Sanctorum Hiberniae*, Brugis et Insulis 1887, p. 360 sqq. ; *Acta Sanct.* Oct., V, p. 642. – (Mart. Rom. XV Id. Oct.).

Kentingern[a]: Kentigernus, i, m. Est nomen a Celtico sermone ductum, e cuius ratione idem valet atque *princeps*.

Kester[a]: bl. app. pro Christophoro ; v. *Cristoforo*.

Ketil[ge] **Kettil**[ge] : Ketillus, i, m. Prisco verbo Scandiae gentium proprio *ketill*, unde nomen derivatum est, significatur *cassis* ; cf. Goth. *katils* ; Suet. *kettel* ; Germ. rec. *Kessel*, h. e. *catinus*. De S. Ketillo, canonico reg. e Dania, commemoratur in *Act. Sanct.* III Iul., pp. 241-244 ; cf. praeterea *Scriptores rer. Dan.*, Kopenhagen 1776, IV, pp. 425-442 ; H. Olrik, *Danske Helgeners Leoned*, Kopenhagen 1893-94, pp. 149-166 ; N. Hansen, *Vore Helgener*, Kopenhagen 1916, pp. 120-127 ; E. Jörgensen, *Helgendyrkelse* ; *Danmark*, Kopenhagen 1909, p. 54 sq. ; M. Cl. Gerts, *Vita Sanctorum Danorum*, Kopenhagen 1908-1912, pp. 249-283.

Kilian[ge] : Chilianus, i, m. Nomen videtur esse originis Hiberniae atque *virum ecclesiasticum* significare.

Kirstin[a]: bl. app. a Scotis pro Christiano usurpata ; v. *Cristiano*.

Kit[a]: bl. app. pro Christophoro ; v. *Cristoforo*.

Kitt[a]: bl. app. pro Catharina ; v. *Caterina*.

Klara[ge] : v. *Chiara*.

Klaus[ge] : bl. app. pro Nicolao ; v. *Nicola*.

Klemens[ge] : v. *Clemente*.

Kleopatra[ge] : v. *Cleopatra*.

Klodewald[ge] : v. *Clodoaldo*.

Klodwig[ge] : v. *Clodoveo*.

Klotilde[ge] : v. *Clotilde*.

Knud[ge] **Knut**[ge] : v. *Canuto*.

Konrad[ge] : v. *Corrado*.

Konrada[ge] : Conrada, ae, f. ; v. *Corrado*.

Korbinian[ge] : Corbinianus, i, m. Est nomen Corbini vel Corbinii (*Corbinius*) ad sermonis Latini rationem amplificatum (*-anus*), sed ipsa eius origo Celtica. Verbum *corb-* huius linguae proprium deprehenditur in pluribus nominibus, quae sunt huiusmodi : *Corbus*, *Corbio*, *Corbis*, *Corbelius*, *Corbilla*, *Corbiacus* (nom. loc.), *Corbiniacus* (nom. loc.) ; cf. A. Holder, *Alt-celtischer Sprachschatz*, I, p. 116. Hoc nomine primus appellatus est episcopus Frisingensis in Bavaria, cuius sollemne in Mart. Rom. VI Id. Sept. recensetur.

Kordula[ge] : v. *Cordula*.

Kosmas[ge] : v. *Cosma*.

Krein^{ge}: bl. app. pro Quirino; v. ib.

Kriemhild^{ge}: Crimildis, is, f. Nomen, quo appellata est herois Germanica (cf. carmen epicum, quod de *Nibelungis* inscribitur), conflatum est e *grîma*, quo *persona*, *galea*, *praesidium* significatur, et *hild*, in quo est vis *pugnandi*; id ergo interpreteris quasi *bellatricem galeatam*.

Kunibert^{ge}: v. *Cuniberto*.

Kunigunde^{ge}: v. *Cunegonda*.

Kuno^{ge} **Kunz**^{ge}: bl. app. pro Conrado usurpata; v. *Corrado*.

Kurt^{ge}: bl. app. pro Conrado usurpata; v. *Corrado*.

Kyrill^{ge}: v. *Cirillo*.

L

Ladislao[i] **Ladislao**[h] **Ladislaus**[ge] : Ladislaus, i, m. Hoc modo in Latinam rationem translatum est Slavicum nomen *Wladislaw, Wladislaus, Zdislaw* (apud Hungaros audit *Laslo*), quod secundum originationem idem valet ac *dominus clarus.* – (Mart. Rom. V Cal. Iul.).

Laerte[i]: Laertes, is, vel Laerta, ae, m. Apud Prisc. VII 739 P., scriptum legimus etiam nomen Laertius, ii. Originem nominis, quo rex Ithacae idemque Ulixis pater appellabatur, alii ducunt a λαός, quo *populus* significatur, et ab εἴρειν, cuius vis est *nectere*, ita ut haec fere sit eius interpretatio : *populum nectens* seu *concilians* ; alii vero derivant a λαός et ἀερτάω, quod idem vaet ac *tollo.* Cf. On. Perin.

Laetitia[a] **Letitia**[a]: v. *Letizia.*

Lal[a] **Lally**[a]: bl. app. pro Lalage ; v. ib.

Lalage[a]: Lalăge, es, f. Hoc nomen Graecum (λαλαγή, hoc est *garrulitas*) ab Horatio inditum est puellae, quam carmine celebravit ; cf. *Carm.* I, 22, v. 10, 23 ; II, 5, v. 16. Hac aetate ab Anglis interdum usurpatur.

Lallo[i]: bl. app. pro Venceslao, Ladislao, Stanislao vel etiam Carolo usurpata ; v. suis locis.

Lally[a]: v. *Lal.*

Lamberto[i] **Lambert**[g] **Lamberto**[h] **Lambert**[a] **Lambert**[ge] **Lamprecht**[ge] : Lambertus, i, m. Nomen coaluit e verbis Germanicis *land - bert* (*beraht*), quorum haec est interpretatio : *in* (propria) *regione clarus.* Recensetur bis in Mart. Rom. (XVIII et XVI Cal. Mai.).

Lamberta[ge] **Lambertine**[ge] : Lamberta, ae, f. ; v. *Lamberto.*

Lamprecht[ge] : v. *Lamberto.*

Lancellotto[i] **Lancelot**[g] **Lanzarote**[h] **Launcelot**[a]: Lancellottus, i, m. Nomen *Lancelot* ab Anglis usurpatum, ductum esse videtur a Gallicis verbis *ancel*, vel *ancelot,* (*Lancelot* est proprie : *l'ancelot*), quae a Latino vocabulo *ancilla* derivantur. Cf. Partridge, p. 172 (v. *Ancelot*) ; secundum alios vero ductum est a *lancea.*

Lancillotto[i] **Lanciotto**[i]: v. *Lancellotto.*

Landelin[ge] : Landelinus, i, m. Est Germanicum nomen *Lando* (a *land* ductum, quo *regio* significatur) cum adiuncta blanda terminatione *-lin.* Occurrit in litterarum monumentis media aetate conditis ; cf. *Polyptique*

de l'abbé Irmion par Guérard, p. 273 (*Landolin*); Pardessus, *Diplomata, chartae* etc., Paris 1843, n. 301 (a. 642 : *Landelenus*). – (Mart. Rom. XVII Cal. Iul.).

Landerich[ge]: v. *Landry*.

Lando[i] **Lando**[ge] : bl. app. pro Rolando usurpata ; v. *Orlando*. Apud Germanos autem Lando est vetus nomen, a verbo *land* ductum (cuius vis est *regio*) et in monumentis litterarum, media aetate conditis, saepe usurpatum ; cf. Förstemann, 1003 sq.

Landoald[ge] **Landolt**[ge] : Landoaldus, i, m. Derivatur a verbis Germanicis *land* et *walt* (*valdan*), quorum priore *regio*, altero *dominari* significatur. Recensetur in Mart. Rom. a. d. XIV Cal. Apr.

Landolfo[i] **Landolf**[ge] **Landulf**[ge] : Landulfus, i, m. Nomen effectum est verbis Germanicis *land* et *wolf* (*wulf*), quae *terram*, *regionem* et *lupum* significant. Est ergo eius interpretatio : *lupus regionis*. Nomen occurrit, ut exemplum afferram, in M.G.H. III, p. 470 (*Landulfus*).

Landolt[ge] : v. *Landoald*.

Landry[g] **Landerich**[ge]: Landericus, i, m. Ducitur a verbis Germanicis *land* et *rîhhi* (*ricja*), quorum priore *regio*, altero *dominus*, *potens* significatur.

Landulf[ge]: v. *Landolfo*.

Lanfranco[i] **Lanfranc**[g] **Lanfranco**[h]: Lanfrancus, i, m. Nomen structum est e verbis Germanicis *land*, quo *terra*, *regio* significatur, et *frank*, cuius vis est *liber*, *ingenuus*. Itaque *liber in sua regione* est nominis interpretatio.

Lanty[a]: bl. app. pro Laurentio.

Lanzarote[h]: v. *Lancellotto*.

Laodamia[i] **Laudomia**[i]: Laodamia, ae, vel Laudamia, ae, f., ut est apud Catull. 68, 74 ; 80 ; 105, e. a. Paenultimam producendam esse comprobatur versu Ovidii : « Haemonis Haemonio Laodamia viro » (*Her.* XIII, 2 ; cf. ibid. 36). Nomen non modo fabularibus quibusdam feminis, sed etiam aliis, qui vere fuerunt, inditum, coaluit e λαός, quo *populus* significatur, et δαμάω, quod idem valet ac *domo*.

Laodice[i]: Laodice, es, vel Laudice, es (cf. Ovid. *Her.* XVIII, 135), vel Laudica, ae, f. Nomen antiquis praesertim temporibus usitatum, et mulieribus sive ingenuis sive libertabus impositum (cf. C.I.L. X, 2084, 7278, 8280), ductum est a λαός et δίκη, quarum vocum priore *populus*, altera vero *iustitia* significatur.

Lapo[i]: bl. app. pro Iacobo in Etruria usurpata ; v. *Giacomo*. In veteribus litterarum monumentis Florentinis (e saec. XIII) blandum hoc nomen etiam ad Latini sermonis rationem accommodatum videmus : *Lapus, i*. Non tamen in usum induxerim. Si rem attentius consideres, *Lapo* est deminutum vulgare nomen *Jacopo*, quo itidem *Jacobus* significatur.

Lares[ge]: bl. app. pro Hilario ; v. *Ilario*.

Larkin[a]: bl. app. pro Laurentio ; v. *Lorenzo*.

Larry[a]: bl. app. pro Laurentio ; v. *Lorenzo*.

Lars : Laurentius, ii, n. ; Sueti

enim, qui appellatione *Lars* utuntur, ita nomen Latinum Laurentii interpretari consueverunt.

Lary[a]: bl. app. pro Hilario; v. *Ilario.*

Latino[i]: Latinus, i, m. Si *Latium*, unde derivatum est nomen, a fonte Indico-Europaeo repetitur, eo significatur *terra lata* (*stlata*); cf. Walde-Hofmann, I, p. 770. Nomine *Latini* appellatus est, praeter alios, rex aborigenum tempore, quo Aeneas ad Italiae oras appulisse traditur; frequentatur etiam in titulis hoc nomen, viris e vulgo inditum. S. Latini, Episcopi Brixiensis, sollemne in Mart. Rom. recensetur IX Cal. Iun.

Launcelot[a]: v. *Lancellotto.*

Laura[i] **Laure**[g] **Laura**[h] **Laura**[a] **Laura**[ge]: Laura, ae, f. Hoc vero nomen apud neminem e veteribus Latinitatis auctoribus scriptum videmus; est autem in titulis Lauris, ĭdis (C.I.L. V, 1137), vel Laure, es., Laurea ae, quibus puri sermonis amator uti poterit. Ducitur a *lauro*, quam vocem Romani a priscis populis ad mare Aegaeum incolentibus acceperunt (E. Meillet, *Esquisse d'une histoire de la langue latine*, Paris 1928, p. 86). Idem dixeris de Graeco verbo δάφνη (apud Pergamenos λάφνη), quo *laurus* Latine significatur.

Laurence[a]: v. *Lorenzo.*

Laurent[g] **Laurencio**[h]: v. *Lorenzo.*

Laurentia[ge]: v. *Lorenza.*

Lauretta[i]: v. *Laurina.*

Laurie[a]: bl. app. pro Laurentio; v. *Lorenzo.*

Laurina[i]: Laurina, ae, f. Hoc nomen, a *lauro* ductum (v. *Laura*), antiqua iam aetate mulieribus imponebatur; cf. C.I.L. X, 2015. Scriptum videmus etiam nomen Laurilla, ae; cf. C.I.L. IX, 2813.

Lavinia[i], ae, f. Nomen, quo, ut notum est, appellabatur filia regis Latini et Aeneae uxor, repetendum videtur a fonte Etrusco; cf. Schulze, p. 179 (*Lavinus*). Cf. praeterea *Lavinio.*

Lavinio[i]: Lavinius, ii, m. Dicuntur Lavinii incolae urbis antiquissimae in Latio, quae olim Lavinium nunc *Pratica di mare* appellatur. Adi. *Lavinius, a, um,* autem ponitur etiam pro *Italicus, a, um,* cf. Verg. *Aen.*, I, 2 Habetur autem et nomen virile *Lavinius*; cf. Serv. ad Verg. *Aen.* I, 2, ac praeterea *Lavinia.*

Lawrence[a]: v. *Lorenzo.*

Lazzaro[i] **Lazare**[g] **Lázaro**[h] **Lazarus**[a] **Lazarus**[ge]: Lazărus, i, m. Videtur esse nomen Hebraicum *Eleazar* per compendium scriptum, ut in libris Talmuicis moris est (*Laʿzâr*); cuius interpretatio est: *Deus* (*ʾEl*) *adiuvit* (*ʿazar*). In Mart. Rom. nomen quater recensetur.

Lazzarina[i]: Lazăra, ae, f. Cf. *Lazzaro.*

Lea[i] **Lea**[h] **Leah**[a]: Lea, ae, f. Est nomen fere poeticum, quod idem valet ac *leaena*, neque a fonte Indico – Europaeo deduci potest. Frequentatur praesertim in veteribus titulis christianis; cf. C.I.L. V, 4717; *Bull. arch. crist.*, a. 1875, p. 95. Sollemne S. Leae viduae, de qua Hieron. *ep.* 23, commemorat, recensetur in Mart. Rom. X Cal. Apr. Leah denique, quo nomine Angli

interdum utuntur, est Hebraica appellandi ratio (*Lê'ah*) nominis Liae; v. ib.

Leandro[i] **Léandre**[g] **Leandro**[h] **Leander**[a] **Leander**[ge]; Leander, dri, vel Leandrus, i, m., ut est in C.I.L. V, 5861; IX, 130. Graeci scripserunt Λέανδρος vel Λείανδρος. Nomen, quo apud eam gentem appellatus est iuvenis Abydenus, amator Herus, sacerdotis Aphrodites, ex urbe Sesto (cf. Ovid. *Am.* 2, 16, 31; *Her.* 18, 19; *Trist.* III, 10, 41; Mart. XIV, 181 e. a.), deducendum videtur a λεῖος (ex ληιϜος), quo *levis*, *placidus*, *mitis* significatur, et ab ἀνήρ, ἀνδρός, cuius vis est *vir*. Priorem vero partem alii deducunt a λεώς (λαός), cui haec est sententia subiecta: *gens*, *populus*. S. Leandri, episcopi Hispalensis, sollemne recensetur in Mart. Rom. III Cal. Mart.

Lebuin[ge] **Lewin**[ge] **Lebuin**[ge] **Lewin**[ge]: Leobinus, i, m. Nomen coaluit e verbis Germanicis *liub* (nunc audit *lieb*) - *win*, quorum priore *carus*, altero vero *amicus* significatur. – Mart. Rom. XVII Cal. Oct.).

Leda[i]: Leda, ae, f. Scribitur etiam more Graecorum Lede, es.; cf. Ovid. *Am.* I, 10, 3; *Ars am.* III, 251. Nomen, quo fabularis femina, filia Thestii, appellatur, ducendum videtur aut a Λητώ aut a *lada*, cuius vis est *domina*; cf. On. Perin.

Léger[g] **Leodegar**[ge] **Ludgerger**[ge]: Leodegarius, ii, vel Ludgerus, i, m. Coaluit e priscis verbis Germanicis *liut* (*liud*), cuius vis est *populus* (nunc audit *Leute*) et *gêr* (*gari*), quo *hasta* seu *iaculum* significatur. Eo ergo nomine appellatur *vir qui est quasi hasta populi sui.* Cf. Mart. Rom. VI Non. Oct. (*S. Leodegarius*) et VII Cal. Apr. (*S. Ludgerus*).

Leila[a] **Leilah**[a]: Leila, ae, f. Nomen ductum esse videtur ex Arabum sermone atque *caliginem* vel *noctem* significare.

Lelio[i]: Laelius, ii, m. De originatione non satis constat. Sunt qui nomen ducunt a λάλος, quo *loquax* Latine significatur.

Lella[i]: bl. app. pro Gabriela, Raphaela e s.; v. suis locis.

Lello[i]: bl. app. pro Gabriele, Raphaële, Leonillo ab Italis usurpata; v. suis locis.

Lembert[g]: v. *Lamberto.*

Len[a]: bl. app. pro Leonardo.

Lena[i] **Lena**[h] **Lena**[a] **Lena**[ge]: bl. app. pro Maria Magdalena vel Eleanora vel Helena.

Lennie[a]: bl. app. pro Leonarda usurpata.

Lenz[ge]: bl. app. a Germanis pro Laurentio usurpata.

Leodebald[ge]: v. *Leopoldo.*

Leodebert[ge] **Liebert**[ge] **Luitbert**[ge]: Leodebertus, i, m. Coaluit e verbis Germanicis *liut* - *bert* (*beraht*), quorum priore *populus*, altero *clarus*, *fulgens* significatur.

Leodefried[ge] **Leutfried**[ge]: Leodefridus, i, vel, quamvis minus eleganter, Leutfridus, i, m. Constat e verbis Germanicis *liut* - *frid*, quibus *populus* ac *munitio*, *defensio* significantur. Est ergo nominis interpretatio: *defensor populi.* Cf. Mart. Rom. XI Cal. Iul. (*S. Leutfridus*).

Leodegar[ge]: v. *Léger.*

Leodegarde[ge]: Leodegardis, is, vel Lutgardis, is, f., ut est in Mart. Rom. XVI Cal. Iul. Quoad originationem v. *Léger*.

Leodewin[ge]: v. *Liutwin*.

Leonardo[i] **Léonard**[g] **Leonardo**[h] **Leonard**[a] **Leonhard**[ge]: Leonardus, i, m. Origo nominis trahitur a verbis Germanicis *liut* (*leod*) et *hard*, quae idem valent atque: *in populo* (*liut*, *leod*) *strenuus* (*hard*); fieri etiam potest ut prior nominis pars petenda sit a verbo Latino *leonis* (Germ. *Löwe*). Cf. Mart. Rom. VIII Id. Nov. et VI Cal. Dec.

Léonce[g]: v. *Leonzio*.

Leone[i] **Léon**[g] **León**[h] **Leo**[a] **Leo**[ge]: Leo, onis, m. Romani hoc nomen a Graecis acceperunt (λέων), quod tamen non pertinet ad thesaurum verborum, quae Indica-Europaea appellantur; cf. Walde - Hofmann, I, p. 785. In Mart. Rom. plures recensentur Caelites, hoc nomine insignes, in quibus praesertim S. Leo Magnus, IV Id. Nov.

Leonello[i] **Lionel**[g] **Leonelo**[h] **Lionel**[a]: Leonillus, i, m. Est suavis appellatio pro Leone (v. ib.) usurpata. Recte autem ponitur Leonillus, quandoquidem apud Lingonas christiana mulier fuit, cui nomen *Leonilla*, quaeque Marco Aurelio Imperatore martyrio est affecta (Mart. Rom. XVI Cal. Febr.).

Leonetta[i]: Leonilla, ae, f., v. *Leonello*.

Leonhard[ge]: v. *Leonardo*.

Leonida[i]: Leonĭdas, ae, m. Ita scriptum videmus apud Plaut., *Asin.* 58, 265, et C.I.L. IX, 3748; alibi autem Leonides, is; C.I.L., III, 5835; Plin., Hieron. Ducitur a λέων, cuius vis est *leo*, cui adiuncta terminatio -ιδης, qua significatur aliquem a patre vel avo esse appellatum (*nomen patronymicum*). In Mart. Rom. IV recensentur Caelites nomine Leonidis (*Leonides, is*) appellati.

Léonie[g] **Leonia**[h] **Leonie**[ge]: Leonia, ar, f. Nomen, ductum a *leone*, scriptum videmus apud Le Blant, *Inscr. Chrét. de la Gaul.*, n. 416; Diehl, 1550, 3176.

Leonilda[i] **Leonilda**[h] **Leonilde**[ge]: Leonildis, is, f. Coaluit e verbis Germanicis *liut* (*leod*), cuius vis est *populus* (cf. Germ. rec. *Leute*) et *hild*, quo *proelium* significatur (interpreteris igitur: *bellatricem populi*); aut, quoad priorem nominis partem, derivatur a verbo Latino *leonis*.

Leonora[i] **Leonor**[h] **Leonora**[a] **Leonore**[ge]: v. *Eleonora*.

Leontina[i] **Leontina**[h]: Leontina, ae, f.

Leonzia[i]: Leontia, ae, f. Cf. *Leonzio* et Mart. Rom. VIII Id. Dec.

Leonzio[i] **Léonce**[g] **Leoncio**[h] **Leontius**[ge]: Leontius, ii, n. Nomen a verbo Graeco λεόντιος, quod idem valet ac *leoninus*, deductum in veteribus litterarum monumentis et in titulis haud raro scriptum videmus. In Mart. Rom. VIII recensentur Caelites eo appellati.

Leopoldo[i] **Léopold**[g] **Leopoldo**[h] **Leopold**[a] **Leopold**[ge]: Leopoldus, i, m. Nomen coaluit ex *liut* (apud Anglos et Saxones *leod*) et *bald* (*pold*), quorum priore *populus*, altero *strenuus*, *fortis* significatur. Est ergo nominis

interpretatio : *strenuus in populo.* – (Mart. Rom. XVII Cal. Dec.).

Leopolda[ge] **Leopoldine**[ge] : Leopolda, ae, f. ; v. *Leopoldo.*

Les[a]: dem. nom. Lesleae ; v. *Leslie.*

Lesbia[i] **Lesbia**[a]: Lesbia, ae, f. Ducitur a nomine insulae Lesbi, quod videtur petendum esse a λες seu λις, cuius vis est *petra levis, polita* ; cf. λέσπις vel λίσπος.

Leslie[a]: Leslea, ae, f. Nomen Leslie, vel Lesley, derivatum esse videtur a cognomine, quod nos dicimus, *Lesley* vel *Lesly.* Cf. Partridge, p. 177. Itaque, parce detortum, non inepte Leslea Latine audit.

Letizia[i] **Leticia**[h] **Letitia**[a]: Laetitia, ae, f. ; v. *Leto.*

Leto[i]: Laetus, i, m. Verbum adi. *laetus, a, um,* dicitur de agris pinguibus, de satis plantisque, in quibus est fertilitas et ubertas, cf. Cato *R. R.* VI ; Varro *R. R.* I, 23 ; Verg. *Georg.* I, 1, e. a. ; deinde de copia rerum, cf. Verg. *Georg.* III, 310 : « Laeta magis pressis manabant flumina mammis » ; ac denique, per translationem, eodem significatur *faustus, iucundus, hilaris.* De originatione non satis constat. – (Mart. Rom. Non. Nov. e. a.).

Leutfried[ge]: v. *Leodefried.*

Levi[i] **Levi**[a]: Levi, m. ; non inclinatur in casus. Derivatur a verbo Hebraico *lêwî,* quo *coniunctus, nexus* significatur.

Levio[i]: Laevius, ii, m. Nominis, quo gens Romana appellata est, origo repetitur a verbo Etrusco *leve* ; cf. C.I.E. 4636 ; C.I.L. III, 7065 ; V, 2123 ; 3795, 6666 (Schulze, p. 178).

Lexy[a]: bl. app. pro Alexandra vel Alexia usurpata.

Lewin[ge] : v. *Lebuin.*

Lewis[a]: v. *Lodovico.*

Lia[i]: Lia, ae, f. Hoc nomine Hebraico (*lêʿah*) *defatigata* significatur ; cf. Isid. *Or.* VII, 6, 36 : « Lia, laboriosa, utique generando ».

Libby[a]: bl. app. pro Elisabetha.

Liberata[i] **Liberata**[h]: Liberata, ae, f. Cf. *Libero.* Recensetur in Mart. Rom. XI Cal. Febr.

Liberia[i]: Liberia, ae, f. Cf. *Libero.*

Liberio[i]: Liberius, ii, m. Cf. *Libero.* Recensetur in Mart. Rom. III Cal. Ian.

Libero[i]: Liber, eri, m. Petitur a voce primigenia Indica-Europaea *leudheros* ; cf. Graec. ἐλεύθερος ; prisc. Germ. *liut* (Germ. rec. *Leute*). Apud priscos Italos *leudheros* deflexum est in *louferos* ; cf. Falisc. *loferta* h. e. *liberta* ; Paelign. *loufir,* h. e. *liber.* Cf. Leumann-Stolz 5, p. 67. Nomen non recensetur in Mart. Rom., habetur autem in vetere titulo christiano apud Diehl, 3757 B. (*Liber fossor*).

Libertà : Libertas, atis. f. Ad originationem quod attinet, v. *Libero.* Libertas a Romanis dea habebatur, scilicet libertatis praeses et custos. Si fidem habemus viris in exscribendis titulis peritis, hoc nomen mulieri e vulgo inditum, occurrit in C.I.L., IX, 750 : « ... Colio Tereti, qui vixit annos XII mens. V, M. Colius Teres pater et Gavia Liber(*tas*) *mater* ».

Liborio[i] **Liborio**[h] **Liborius**[ge] : Libo-

rius, ii, m. Nomen fortasse deductum est a fonte Celtico – (Mart. Rom. X Cal. Aug.).

Lica[i]: Lycas, ae, m. Nomen, quod in veteribus litterarum monumentis saepius occurrit, ducendum videtur a prisco vocabulo Graeco λύκη, quo *lux* significatur.

Lice[i]: Lyce, es, vel Lyca, ae, f. Nomen deducendum esse videtur a prisco verbo Graeco λύκη (cf. ἀμφι - λύκη = *crepusculum* ; λύχνος = *lychnus*) potius quam a λύκος (= *lupus*), ut quidam defendunt. Quo appellatae sunt nymphae, e quibus una Apollini iuncta genuit Lycadium, ut Servius ad Verg. *Aen.* XII, 516, docet. Est praeterea nomen puellae apud Horatium, *Carm.* III, 10, 1 : « Extremum Tanain si biberes, Lyce » ; et ib. IV, 13, 1-2 : « Audivere, Lyce, di mea vota, di audivere, Lyce, fis anus... ». Scriptum denique legimus in titulis, cf. C.I.L. X, 1296.

Licia[i]: Lycia, ae, f. Hoc nomine, secundum originationem, significatur *femina oriunda e Lycia*, regione Asiae inter Cariam, Phrygiam, Pisidiam, Pamphyliam ; eius incola appellatur Lycius, ii ; est autem *Lycius, a, um*, etiam adiectivum : cf. Verg. *Aen.* VII, 516 : *Lyciam pharetram*, XI, 773 : *Lycio cornu.*

Licinio[i]: Licinius, ii, m. A *licino* derivatur nomen, primum iis inditum, quibus crines retro reflexi per se surgunt ; cf. Serv. et Phil. *ad Verg. Georg.* III, 55 : « boves qui sursum versum reflexa cornua habent ». In Mart. Rom. duo Sancti Caelites ita appellati recensentur (a. d. VII Cal. Aug. et Cal. Nov.).

Licoride[i]: Lycoris, ĭdis, f. Videtur ducendum esse nomen, perinde ac *Lycorus* (Λύκωρος), a verbis Graecis λύκος et ὄρος, quorum priore *lupus*, altero *mons significatur.*

Licurgo[i]: Lycurgus, i, m. Nomen structum est e verbis Graecis λύκος, quo *lupus* significatur, et ὀργή, cuius vis est *ira* (Graece scribitur etiam Λυκόοργος), unde eius interpretatio est : *lupus furens.*

Lidda[a] **Liddy**[a]: bl. app. pro Lydia ; v. *Lidia.*

Lidia[i] **Lydia**[ge] : Lydia, ae, f. Hoc nomine significatur *mulier oriunda e Lydia*, regione Asiae inter Mysiam, Phrygiam minorem et Cariam (Lydius, ii = incola masc. gen.). Plures puellae antiquis temporibus eodem appellatae sunt, haud raro a poetis ; inter christianos excelluit S. Lydia mulier purpuraria, a S. Paulo Ap. ad fidem Christi traducta (*Act.* XV, 14) ; cf. Mart. Rom. III Non. Aug., et VI Cal. Apr.

Lidmilla[ge] **Ludmilla**[ge] : Ludmilla, ae, f. Nomen deducitur a diverso fonte : *lud* (*liut*) est vox Germanica, *populum* significans ; *milla* vero in Slavorum sermonibus idem valet ac *dilecta, cara* (cf. *Mila, Milina, Milena, Militza*). Itaque *lud - milla* Latine redditur : *populo cara, a populo dilecta* ; cf. M.G.H. IV, p. 217 : *Liudmila.*

Lidwina[ge] **Ludwina**[ge] : Ludvina, ae, f. Nomen coaluit e priscis verbis Germanicis *liud* (*liut*) et *win*, quae idem valent ac *populus* et *amicus*,

sodalis. Est ergo eiusdem significatio : *amica populi*.

Liébert[g]: v. *Leodebert*.

Liénard[g] **Lienhard**[ge]: v. *Leonardo*.

Liese[ge] : v. *Elisabetta*.

Lieselotte[ge] : Elisabetha Carola ; v. suis locis.

Liger[g]: v. *Léger*.

Lili[ge]: bl. app. apro Elisabetha aut Carola aut Iulia usurpata.

Liliana[i] **Lilian**[a]: Liliana, ae, f. Videtur esse bl. app. ab Anglis pro *Elisabetha* usurpata ; sed subauditur etiam verbum Latinum *lilium, ii* ; cf. *Gigliola*. Praeterea *S. Liliosa*, virgo et martyr, in Mart. Rom. VI Cal. Aug. recensetur.

Lilla[a]: bl. app. pro Elisabetha; v. *Elisabetta*.

Lina[i] **Line**[g] **Lina**[h] **Lina**[a] **Lina**[ge] : Lina, ae, f. ; est quidem blanda appellatio pro *Carolina, Adelina, Michelina* et aliis huiusmodi usurpata, sed sed iam vim nominis proprii obtinet.

Linceo[i]: Lynceus, ei, m. ; acc. Lyncea ; Verg. *Aen.* IX, 768 ; Ovid. *Fast.* 5, 711 ; Rutil. Namat. I, 611. Ductum est nomen a lynce, quod est animal visus perspicacissimi.

Lincoln[a]: Licolnus, is, m. Hoc nomen familiae inditum , sed revera urbis in Anglia appellatio, haud raro pro nomine usurpatur, praesertim ut in memoriam redigatur *Abrahamus Lincoln*, qui praefuit Foederatis Americae Civitatibus ab anno MDCCCLXI ad annum MDCCCLXV.

Linda[i] **Linda**[h] **Linda**[a] **Linda**[ge] : Linda, ae, f. Vocabulum *lind* (*linta*), quo *tilia* seu *scutum tiliaceum* significatur, est quidem altera pars quorundam nominum, veluti *Dietlinde* (Theodelinda), *Ermelinde, Herlinde, Sieglinde*, tamen iam vim appellationis propriae obtinet.

Lindo[i]: Lindus, i, m. Hoc nomine (Λίνδος) appellabatur quartus Solis filius, qui urbem cognominem in ora Rhodi orientali condidisset ; cf. Cic. *Nat. deor.*, III, 21 ; Plin. V, 31, 36 ; id. XIX, 1, 2, ubi commemoratur de templo Minervae Lindi.

Lindoro[i] **Lindoro**[h]: Lindorus, i, m. Est nomen commenticium de fabulis Goldonianis et aliunde depromptum.

Linneo[i]: Linneus, i, m. Est in Latinam rationem translatum cognomen, quod nos dicimus, *Caroli Linné* (1707-1778), rerum naturae investigatoris praeclarissimi.

Lino[i] **Lino**[h]: Linus, i, m. Cas acc. exit plerumque, more Latino, in *-um*, apud Mart. vero, IX, 87, e Graeci sermonis ratione, in *-on* : « Ipse meum flevi, dixit Apollo, Linon ». Hoc nomen, veteribus iam usitatum, totum pertinet ad artem musicam. Est autem λίνος *genus hymnorum flebile*, in quo frequentabatur versus αἴλινον, αἴλινον (= αἰ Λινος) propter mortem immaturam Lini, filii Apollinis e Psamathe. Ita veteres originem enodare conati sunt. Videtur autem αἴλινον esse quaedam prosopopoeia exclamationis Semiticae *ai lanu*, h. e. *vae nobis* ; cf. C. Brugsch, *Die Aegyptol.*, p. 18 sqq. ; W. Baudissin, *Studien zur semit. Religionsgesch.* I, 1876, pp. 302-304.

Fuit Linus vates et musicus antiquissimus, cuius historia, sane fa-

bulosa, a veteribus non uno exponitur modo. Nomen scriptum videmus etiam in titulis ut viris ingenuis ac servis inditum; cf. C.I.L. V, 2119, 3699; X, 6637 (ubi est nomen servi). S. Lini, Pont. Max., sollemne in Mart. Rom. recensetur IX Cal. Oct.

Lioba[ge] **Liuba**[ge]: Liŏba, ae, f. Est priscum nomen Germanicum *liub*, quo *Liebe*, hoc est *amor*, significatur. Sanctae Caelitis, eo appellatae, sollemne a. d. IV Cal. Oct. in Mart. Rom. recensetur.

Lionello[i] **Lionel**[g] **Lionelo**[h] **Lionel**[a]: v. *Leonello*.

Lisa[i]: bl. app. pro Elisabetha usurpata; v. *Elisabetta*.

Lisandro[i]: Lysander, dri, m.; videtur quidem esse primo aspectu deminutum nomen vulgare Italicum (*Lisandro*) pro *Alessandro*; eo autem iam Graeci et Romani utebantur, cf. Lysander, dux Lacedaemoniorum (Cic. *Divin.* I, 34; II, 32; *Off.* I, 22, e. a.); et C.I.L. III, 536. Derivatur autem a λύω et ἀνήρ, quorum verborum priore significatur *solvo*, *libero*, altero *vir*. Itaque, si originationem spectes, nomen idem valet ac *liberator*.

Liselotte[ge]: Elisabetha Carola; v. suis locis.

Liuba[ge] **Ljuba**[ge]: v. *Lioba*.

Liutbald[ge]: v. *Leodebald*.

Liutbert[ge]: v. *Leodebert*.

Liutfried[ge]: v. *Leodefried*.

Liutgard[ge]: v. *Leodegarde*.

Liutger[ge]: v. *Léger*.

Liutprando[i] **Liutprand**[ge]: Leoprandus, i, vel Liutprandus, i, m. Prior exarandi ratio iucundior esse videtur auribus Latinis; quae occurrit in *Historia Mediolanensi*, M.G.H., III, 18; VIII, 86. Quo in corpore nomen eodem fere modo alibi scriptum videmus: *Liubrandus*, *Liuprandus*, *Lioprandus*. A Germanis auem scriptoribus magis frequentatur: *Liutprandus*. Quod nomen coaluit e verbis Germanicis *liut* (id saepe in *leod* deflexum est), quo *populus* significatur (cf. Germ. rec. *Leute* = *homines*), et *brand*, cui haec est vis subiecta: *ignis* ac praesertim *gladius micans*.

Liutwin[ge] **Ludwin**[ge] **Leodewin**[ge]: Ludvinus, i, m. Quod ad originationem attinet, cf. *Lidwina*.

Livia[i]: Livia, ae, f. v. *Livio*.

Livio[i]: Livius, ii, m. Nomen, quod vulgo a *livendo* (cf. *livor*) ducunt, rectius a fonte Etrusco derivatur; cf. Schulze, p. 498.

Liz[a] **Liza**[a] **Lizzy**[a]: bl. app. pro Elisabetha usurpata.

Lodovica[i]: v. *Ludovica*.

Lodovico[i] **Louis**[g] **Ludovico**[h] **Ludowick**[a] **Ludwig**[ge]: Ludovicus, i, m. Nomen compositum est e priscis verbis Germanicis *hlût* (*chlod*, *chlut*, *lut*; cf. Graec. κλυτός; Lat. *in-clutus*), cuius vis est *clarus*, et *wîc* vel *wig*, quod Latine *proelium* sonat. Saepe confunditur cum nomine Aloisii (v. *Luigi*). Est ergo Ludovicus secundum nominis interpretation: *vir clarus proelio*. Prisca eiusdem nominis scribendi ratio est *Chlothwich*; cf. *Clodoveo*. In Mart. Rom. plures recensentur Caelites ita appellati, ut S. Lud. IX, rex Francorum, VIII Cal. Sept.

Lois[ge]: v. *Luigi.*

Lola[i]: bl. app. ab Hispanis pro *Dolores* (v. ib.) vulgo usurpata, sed saepe nominis proprii vim obtinet.

Lolly[a]: bl. app. pro Laura ; v. ib.

Lora[a] **Lore**[ge] : bl. app. pro *Eleonora* ; v. ib.

Loredana[i]: Lauretana, ae, f. Nomen quo Lucianus Zuccoli fabulam amatoriam inscripsit (*L'amore di Loredana*), derivatum esse videtur a cognomine, quod nos dicimus, familiae Venetae *Loredan* ; quod originem traxit a pago *Loreo*, in finibus provinciae Rhodigianae (*Rovigo*) posito. Hoc vero olim *Loredo* vel *Lauredo* (h. e. *lauretum*) audivisse perhibetur. Itaque *Loredana* cognatione coniungitur cum *Laureto*, oppido in Picenis, propter religionem Virginis (*Lauretanae*) praenobili. Cf. Tagliavini, p. 424 sq.

Lorenz[ge] : v. *Lorenzo.*

Lorenza[h]: Laurentia, ae, f. v. *Lorenzo.*

Lorenzo[i] **Laurent**[g] **Lorenzo**[h] **Laurence**[a] **Lorenz**[ge] : Laurentius, ii, m. Derivatur a *Laurento*, urbe antiquissima, de qua Prisc. *de XII v. Aen.*, 9, haec scripsit : « Laurentum autem nominatum est a lauro inventa in arce, teste ipso poeta ». Cf. *Auct. orig. g. Rom.* 10, 5 ; et Serv. *ad Verg. Aen.* I, 2, Est autem Laurentius sive adiectivum (*Laurentius, a, um*), cf. Verg. *Aen.* X, 709 : « Laurentia palus », sive nomen viri ; cf. C.I.L., 4383, ac saepe in titulis christianis aliisque litterarum monumentis usurpatur. Recentiores autem litterati nomen urbis Laurenti a fonte Italico, Latino sermoni anteriore, petunt. – (Mart. Rom. IV Id. Aug. e. a.).

Lorella[i]: Cl. app. pro Eleonora ab Italis interdum usurpata ; v. *Eleonora.*

Loreta[i]: Lauretana, ae, f. Appellantur interdum puellae vulgari nomine *Loreta* propter religionem Mariae Virginis Lauretanae.

Loris[i]: Loris, is, m., et interdum etiam f. Videtur esse potius nomen commenticium quam deminutum nomen Laurentiae vel Laurentii, ut nonnulli defendunt. Veri simile esse videtur hoc nomen eo invaluisse, quod in Victoriani Sardou (1831-1908) fabula scaenica, quae *Fédora* inscribitur, primas partes agens eo appellaretur ; qui Russus cum esset ex fabulae ratione, scriptorem imitatum esse nomen *Boris.*

Lorna[a]: Lorna, ae, f. Hoc nomen Anglorum et Saxonum sermone idem valet atque *amissa*, ut videtur, ab amatore. Cf. Partridge, p. 182.

Lotario[i] **Lotario**[h] **Lothair**[a] **Lothar**[ge]: Lotharius, ii, m. Ducitur a verbis Germanicis *hlût* (*chlod*, *lût*), quod idem valet atque *clarus*, et *hari* (*hêr*), quo *exercitus* et interdum *miles* (*sing. coll.*) significatur. Est ergo Lotharius quasi *miles inclitus.* Hoc modo etiam interpreteris nomen *Luther* (*Lutero*).

Lotte[g] **Lottie**[a] **Lotty**[a] **Lotte**[ge] : bl. app. pro Carola.

Lottelore[ge]: Carola Eleonora, f. Hoc gemino nomine significatur mulier ad Carolum (= *virum*) pertinens et *Dei luce* fruens ; cf. *Carla*, *Carlo* et *Eleonora.*

Louis[g]: v. *Lodovico.*

Louise[g] **Louiset**[g]: bl. app. pro Aloisia vel Ludovica usurpata.

Luana[i]: Luana, ae, f. Est nomen hac aetate, novarum appellationum cupida, inductum ab iis, ut videtur, qui arti cinematographicae student. Fieri potest, ut deductum sit a verbo adi. Hispanico *luan*, quo color *subflavus* significatur.

Lubrecht[ge]: v. *Leodebert.*

Luca[i] **Luc**[g] **Lucas**[h] **Luke**[a] **Lukas**[ge]: Lucas, ae, m. Videtur esse nomen *hypochoristicum*, quod vocant, contractum a Λουκανός (v. *Lucano*), ut Κλεόπας a Κλεόπατρος, 'Αντίπας ab 'Αντίπατρος. – (Mart. Rom. XV Cal. Nov. e. a.).

Lucano[i] **Lucan**[a]: Lucanus, i, m. « Lucani », ut ait Paul. ex Fest., 106, « appellati dicuntur, quod eorum regio sita est ad partem stellae luciferae, vel quod loca cretosa sint, id est multae lucis ; vel a Lucilio duce, vel quod primitus in luco consederint » ; Plin., vero, III, 5, 10 : « Lucani a Samnitibus orti, duce Lucio »; secundum recentiores autem rectius a λύκος, hoc est *lupus*, cum veterrimi quidam nummi ΛΟΥΚΑΝΩΝ vel ΛΥΚΙΑΝΩΝ inscripti sint ac saepe lupi caput praeferant (cf. On. Perin.). Recensetur in vetere tit. christiano, Diehl, 1379, et in Mart. Rom. III Cal. Nov.

Lucia[i] **Lucie**[g] **Lucia**[h] **Lucy**[a] **Luzie**[ge]: Lucia, ae, f. Est femininum genus nominis Lucii (v. ib.). Recensetur in Mart. Rom. Id. Dec. e. a.

Luciana[i] **Lucienne**[g] **Luciana**[h]: Luciana, ae, f. Cf. *Lucia*, *Luciano*.

Luciano[i] **Lucien**[g] **Luciano**[h] **Lucian**[a]: Lucianus, i, m. Nomen, ut liquet, ductum est a Lucio (v. ib.). Recensetur in Mart. Rom. VI Id. Ian. e. a.

Lucilio[i] **Lucilio**[h]: Lucilius, ii, m. Quoad originationem v. *Lucio.*

Lucilla[i] **Lucile**[g] Lucilla, ae, f. Nomen hoc blandum deductum est a Lucia (v. ib.) ; cf. Mart. Rom. IV Cal. Aug. et VIII Cal. Sept.

Lucina[i]: Lucina, ae, f. Ad originationem quod pertinet v. *Lucio.* Hoc nomine appellabatur apud Romanos dea partuum praeses, quae et Genitalis ; cf. Ovid. *Her.* 6, 122 ; Hor. *Carm. saec.*, 13-16 : « Rite maturos aperire partus — lenis, Ilithyia, tuere matres, — sive tu Lucina probas vocari — seu Genitalis ». Praeterea Lunae, Dianae, Iunoni, quae et ipsa partubus praeerat, hoc nomen indebatur. Mulieribus quoque e vulgo ac turba imponi solebat ; cf. C.I.L. V, 7066, 8122 ; VIII, 1578.

Plures denique mulieres christianae, maxime tempore, quo nomen christianum infense petebatur, eodem nomine appellabantur ; cf. Diehl, 4050, 2576A adn., 2825 adn. – (Mart. Rom. prid. Cal. Iul. : « Apostolorum discipula »).

Lucio[i] **Luce**[g] **Lucio**[h] **Lucius**[a]: Lucius, ii, m. Ducitur a *luce*, quae vox repetitur a verbo primitivo *louk-s* ; cf. prisc. Ind. *rokáh*, h. e. *lux*, *lókate*, h. e. *contuetur* ; Graec. λευκός, h. e. *splendens*, *albus* (λυκό-φως, h. e. *crepusculum*) ; prisc. Germ. *lioht*, h. e. *clarus*, *lux* (Germ. rec. *Licht*). Hoc

praenomen, ut ait Varro *L.L.* VI, 2, 5, initium videtur habuisse ab eo, qui prima luce natus est ; quocum consentit Paul. est Fest. 106 : « Lucius praenomen ex eius, qui primum fuit, quia oriente luce natus est » ; item *Auct. de praen.* 6. Haec autem originatio ad vulgi mentem accommodata esse videtur, non e recondita doctrina permanasse ; de ipso tamen fonte non convenit inter eruditos. In Mart. Rom. XIX recensentur Caelites hoc nomine appellati.

Lucita[h]: Maria a Luce, f.

Lucrezia[i] **Lucrèce**[g] **Lucrecia**[h] **Lucretia**[a] **Lukretia**[ge] : Lucretia, ae, f. Hoc nomen a Villelmo Schulze, p. 182 sq. repetitur ab origine Etrusca (cf. *luχre* ; et *Lucretius*, C.I.L. X, 2939, Volcis). Occurrit in veteribus titulis christianis, Diehl, 2110, 2247, 348. Sollemne S. Lucretiae virginis in Mart. Rom. IX Cal. Dec. recensetur.

Lucullo[i]: Lucullus, i, m. Derivandum est nomen fortasse a *luculo*, seu a *parvo luco*. Nomen autem Luculus, i, in C.I.L. VI, 3844 ; 1286 scriptum est.

Lucy[a]: v. *Lucia*.

Ludger[g] **Ludger**[ge] : v. *Léger*.

Ludmilla[ge] : v. *Lidmilla*.

Ludo[a]: bl. app. pro Ludovico ; v. *Lodovico*.

Ludolf[ge]: Ludolfus, i, m. Derivatur aut a verbis Germanicis *hlut-wolf*, quae *clarum lupum* significant, aut ab *liud* (*liut*)-*wolf*, quae idem valent ac *populi lupus*.

Ludovica[i] **Ludovika**[ge] **Ludwiga**[ge] : Ludovica, ae, f. ; v. *Lodovico*.

Ludovico[i] : v. *Lodovico*.

Ludovika[ge] : v. *Ludovica*.

Ludwig[ge] : v. *Lodovico*.

Ludwiga[ge] : v. *Ludovica*.

Ludwin[ge] : v. *Liutwin*.

Ludwina[ge] : v. *Lidwina*.

Luigi[i] **Louis**[g] **Luís**[h] **Aloysius**[a] **Alois**[ge] : Aloisius, ii, n. Improbanda est scribendi ratio : *Aloysius*. Nomen enim repetitur a fonte Germanico, e cuius ratione *y* littera solum in verbis Graecanicis poni solet. De modo autem quo inde sit derivandum, non omnes consentiunt : sunt enim qui dicant (fortasse rectius) id deductum esse a verbis coniunctis *al-wis* (Germ. rec. *all-weise*), quibus haec est vis subiecta : *valde sciens*. Quod nomen deflexum esse in *Alvise*, *Aluigi* ; cf. Wasserzieher, p. 19. Alii autem idem esse existimant ac nomen Ludovici (v. *Lodovico*), a *hlût - wîc* (*Chlodowich*, *Chlodwich*) derivatum ; quo significatur *vir clarus proelio*. Iuvat memorare in *Ariprandi brevi historia Langobardorum*, saeculo XII ineunte conscripta, legi nomen *Laudoisii* (M.G.H. *Scipt. rer. Langob.*, XXX, p. 596). Ad quam exarandi rationem videtur propius accedere vulgare nomen *Louis*, quo Galli utuntur. S. Aloisii, optime morati adulescentis e S. I., sollemne XI Cal. Iul. celebratur (Mart. Rom.).

Luisa[i] **Louise**[g] **Luisa**[h] **Aloisia**[ge] vel **Luise**[ge] : Aloisia, ae, f. v. *Luigi*. Galli vero nomine vulgari *Louise* intellegunt Ludovicam.

Luigino[i] **Louison**[g] **Luis**[ge] : Aloisillus, i, m. V. *Luigi*.

Luitpold[ge] : v. *Leopoldo*.

Luke[a] **Lukas**[ge] : v. *Luca*.

Lukretia[ge] : v. *Lucrezia*.

Lula[a] **Lulu**[g] **Lulu**[ge] : bl. app. pro Aloisia ; v. *Luisa* ; apud Germanos etiam pro Ludmilla et Ludovica ; v. suis locis.

Lunz[ge] : bl. app. pro Laurentio ; v. *Lorenzo*.

Lupo[i] **Loup**[g] **Lupo**[h] vel **Lope**[h]: Lupus, i, m. Cf. Graec. λύκος. Verbum lupi videtur esse in linguam Latinam receptum e quadam dialecto Italica (e sermone Sabinorum, ut Osthoff, *Indogerm. Forschungen*, IV, p. 278, e. a. opinantur). Cf. Mart. Rom. IV Cal. Aug. e. a.

Lussorio[i] : Luxorius, ii, m. Hoc nomine appellatus est poeta Carthaginiensis, qui temporibus dominationis Vandalicae fuit, et Martyr in Sardinia, cuius sollemne in Mart. Rom. XI Cal. Sept. recensetur.

Lutz[ge]: bl. app. pro Ludovico ; v. *Lodovico*.

Lydia[a] **Lydia**[ge] : v. *Lidia*.

Lyonel[a]: v. *Leonello*.

M

Mabile[g] **Mabel**[a]: est dem. nomen, quod vulgo *Amabel* apud gentes, quae Anglico sermone utuntur, audit ; v. *Amabile.*

Macario[i] **Macaire**[g] **Macario**[h] **Macaire**[a]: Macarius, ii, m. A nonnullis perverse scribitur Macharius. Est enim in Latinam rationem e Graeco translatum nomen μακάριος, quo *felix*, *beatus* significatur. – (Mart. Rom. VI Id. Apr.; postr. Cal. Ian. e. a.).

Macbeth[a]: Macbethus, i, m. Nomine hoc Celtico, quo summus Anglorum poeta Shakespeare fabulam tragicam inscripsit, significatur *filius vitae* seu *vivax.*

Macián[h]: bl. app. ab Hispanis pro Matthia usurpata ; v. *Mattia.*

Macrobio : Macrobius, ii, m. Derivatur a fonte Graeco : μακρός, h. e. *longus*, et βίος, h. e. *vita*, ita ut nomen interpretandum sit : *longaevus*. – (Mart. Rom. XII Cal. Aug.; Id. Sept.).

Maddalena[i] **Madeleine**[g] **Magdalena**[h] **Magdalen**[a] **Magdalene**[ge] : Magdalene, es, vel Magdalena, ae, f. Est cognomen mulieris a loco *Magdala* ductum, quae est ratio scribendi Aramaica ; Hebraice vero *Migdal* audit, sic appellatus a *gadal*, h. e. *magnus fuit*, unde *migdal* vel *migdôl* idem valet ac *turris*, *arx*. Saepe, in sacris praesertim litteris, nomen Graeca terminatione *-ne* invenitur ; apud scriptores vero ecclesiasticos saepe more Latino : *Magdalena* ; cf. Ambros., *Virg.* 3, 14, 11. ; Hieron., *Ep.* 127, qui Magdalenam ita in La-Latinum convertit : *turritam*. –(Mart. Rom. VIII et IV Cal. Iun.; XVII Cal. Aug. ; XI Cal. Aug.).

Maddie[a] **Madeline**[a]; bl. app. pro Magdalena ; v. *Maddalena.*

Madeleine[g]: v. *Maddalena.*

Madge[a]: bl. app. pro Magdalena ; v. *Maddalena.*

Mafalda[i]: v. *Matilde.* Ita enim a Lusitanis deflexum est nomen Mathildis ; non autem improbandus est scribendi modus : *Mafalda, ae*, cum saepe vim nominis proprii obtineat.

Maffeo[i] : Maffeus, i, m. Vulgare nomen Italicum *Maffeo*, quod Latinitate donandum esse videtur (cf. *Lex. Morcell.* IV, p. 131 : « Maffeius = Maffei ») derivatum est a *Matthaeo* ; est ergo nomen corruptum. Quo appellabatur praesertim Vegius, vir humanitatis studiis conspicuus (1406-1458).

Magda[ge]: dem. nom. Magdalenae; v. *Maddalena.*

Magdalena[h] **Magdalen**[a] **Magdalene**[ge] : v. *Maddalena.*

Maggiorino[i]: Maiorinus, i, m. Hoc nomen ab adi. *maior*, *is*, ductum, in veteribus litterarum monumentis atque titulis scriptum videmus; cf. C.I.L. III, 124; V, 3729, et 5957; Augustin. *ep.* 88; 175; 181.

Magno[i] **Magne**[g] **Magnus**[a] **Magnus**[ge] **Mang**[ge]: Magnus, i, m. Ducitur a verbo Indico - Europaeo *meg(h)*; cf. Graec. μέγας; prisc. Germanicis *mihhil*; Ang. *much*. – (Mart. Rom. Cal. Ian.; prid. Non. Febr. e. a.).

Maia[i]: Maia, ae, f. Videtur pertinere ad verbum primitivum, unde ductum est adiectivum *magnus* (v. *Magno*). Fuit enim Maia «Magna Mater» seu Terra. Ovidius hoc nomen, veluti a Graecis mutuo acceptum (Μαῖα, Μαίη), in casu acc. ex eorum more inclinat in *-an*; cf. *Fast.* I, 174.

Malachia[i] **Malachie**[g] **Malaquías**[h] **Malachy**[a]: Malachīas, ae, m. Derivatur a fonte Hebraico: *Mal'âki*, quod per compendium scriptum est pro *Mal'akiyâh*; hoc vero significatur *nuntius Yahve*, i. e. *Domini*. – (Mart. Rom. XIX Cal. Febr.; III Non. Nov.).

Malvina[i] **Malvina**[g] **Malvina**[a] **Malwine**[ge] : Malvina, ae, vel Maluina, ae, f. Est nomen a fonte Germanico ductum; cf. nomina Anglorum Saxonumque propria *Meadhelm*, *Maldvit*, *Maldvulf*, in quibus verbum *meald* idem valet ac *confrictio*. Praeterea potius quam cum *madal*, ut Förstemann, 1085, opinatur, prior nominis pars coniungenda esse videtur cum verbo sermonis prisci Germanici *meldon*, cuius vis est *nuntiare*; *win* autem significat *amicum* (*amicam*).

In *Libro de Sancti Hildulfi Successoribus in Mediano Monasterio* (M.G.H., Script. IV, p. 87) occurrit hoc nomen masculino genere: *Madalwinus*: «qui mundanis dudum involucris expeditus, monasticae tranquillitatis expetiverat litus»; item ib., p. 89.

Mameli[i]: Mamelius, ii, m. Est quidem cognomen, quod nos dicimus, Godefridi Mameli (1827-1849), viri Itali, qui in poetica arte est versatus et, patriae incensus amore, militem egit. Ab eo compositus est hymnus *Fratelli d'Italia*, qui eiusdem nationis publicus propriusque est.

Hoc vero cognomine Itali interdum pro nomine utuntur.

Mamena[h]: est blanda et vulgaris appellatio ab Hispanis pro Carmela seu, uti dicere consueverunt, *Carmen*, usurpata; v. *Carmela.*

Mamerto[i]: Mamertus, i, m. Oscorum sermone *Mars* appellatur *Mamers* (cf. Paul. ex Fest. 116); quod nomen Graeci suis litteris ita exprimebant: Μάμερτος; denique in senescentis aetatis sermone Latino invenitur scribendi modus: *Mamertus*. Quo appellatus est episcopus Viennensis, cuius sollemne V Id. Mai. in Mart. Rom. recensetur.

Mamie[a]: Maria, ae, f. Apud Ame-

ricanos praesertim mos invaluit nomen Mariae blandae appellationis causa ita detorquendi ; v. Maria. Secundum Partridge autem, p. 190, *Mamie* dicitur blande pro Margarita.

Manasse[i] **Manasseh**[a]: Manasses, ae, m. ; cas. gen. exit in divinis libris in *-e* ; cf. *Gen.* XL, 1, 17 ; *Ios.* I, 12 ; XIII, 31 e. a. ; apud Prudent. *Cath.* XIX, 190, in *-ae* ; cas. dat. in *-i* ; acc. in *-en*. Plerumque in sacris litteris non declinatur in casus. Nomen, quo appellatus est unus e prophetis V. T., derivatum est a fonte Hebraico : a *menashsheh*, quo significatur *oblivionem efficiens*.

Manena[h]: est bl. app. ab Hispanis pro *Manuela* usurpata ; v. *Emanuela*.

Manfredi[i] **Manfroy**[g] **Manfredo**[h] **Manfred**[a] **Manfred**[ge] : Manfredus, i, vel Manfridus, i, m. Derivatur a verbis Germanicis *mann*, quo *vir* significatur, et *frid*, cuius vis est *munitio, tegmen* ; unde haec est nominis interpretatio : *vir muniens, defensor*. Apud Normannos verbum *frid* deflexum est in *fred*.

Mangold[ge] **Menegold**[ge] : Mangoldus, i, m. Nominis huius Germanici haec est interpretatio : *multorum dominus*. Coaluit enim ex *manag*, cuius vis est *multitudo* (cf. *Menge*), et *walt*, quod idem valet ac *dominari*.

Manilio[i]: Manilius, ii, m. Hoc nomen pertinet ad Manium (cf. *Manlio*), quae vox ducta est ab adiectivo *manus, a, um*, quod idem valet ac *bonus* ; cf. Varro *L.L.* VI, 4 : « bonum antiqui dicebant manum » ; Paul. ex Fest. 132 : « manuos in carminibus Saliaribus Aelius Stilo significare ait bonos ». Hoc priscum verbum servatum est in adiect. *immanis, e*. Eandem hanc vocem (*manus, a, um*) invenire est in voce *manes*, quacum nomen Manilii seu Manlii propius coniunctum esse videtur.

Manlio[i]: Manlius, ii, m. ; v. *Manilio*.

Manon[g]: bl. app., a Gallis praesertim, pro Maria Anna usurpata ; v. ib.

Manola[i] **Manolita**[h]: Emmanuela, ae, f. Ita enim blande dicitur hoc nomen ; v. *Emanuela*.

Manolo[i]: Emmanuel, is, m. Est blanda appellatio nominis Emmanuelis ; v. *Emanuele*.

Mansueto[i] **Mansuet**[g] **Manso**[h] **Mansueto**[h]: Mansuetus, i, m. Originem nominis Paul. ex Festo, 117, recte explicat : « mansuetum ad manum venire suetum » ; coaluit ergo e *man*(*us*)-*suetus*. – (Mart. Rom. XI Cal. Mart. e. a.).

Manuela[h]: Emmanuela, ae, f. ; v. *Emanuela*.

Manuele[i] **Manuel**[h]: v. *Emanuele*.

Mara[i] **Mara**[ge] : Mara, ae, f. Sermone Syriaco *mara* dicitur, quam Romani *dominam* appellant : quae originis explicatio magis probatur. Hebraicum autem verbum *mârâh* idem valet atque *amara* ; cf. *Ruth* I, 20 : « Ne vocetis me Noemi (i. e. *pulchram*), sed vocate me Mara, quia amaritudine valde replevit me Omnipotens ».

Marcantonio[i]: Marcus Antonius ; v. suius locis.

Marcella[i] **Marcelle**[g] **Marcela**[h] **Marcella**[a]: Marcella, ae, f. ; cf. *Marcello* et *Marco*. – (Mart. Rom. prid. Cal. Febr. e. a.).

Marcellina[i] **Marceline**[g] **Marcelina**[h]: Marcellina, ae, f. Cf. *Marcellino*, *Marcello*. Recensetur nomen in Mart. Rom. XVI Cal. Aug.

Marcellino[i] **Marcelino**[h] : Marcellinus, i, m. Derivatur a nomine *Marcelli*; v. ib. – (Mart. Rom. VIII Cal.-Nov.).

Marcello[i] **Marcel**[g] **Marcelo**[h] **Marcellus**[a]: Marcellus, i, m. Est nomen Marci cum syllabis *-ellus*, blandae appellationis causa, adiunctis ; v. *Marco*. – (Mart. Rom. XVII Cal. Febr. e. a.).

Marchionne[i]: est vulgaris ratio scribendi nominis Melchioris ab Italis interdum usurpata ; v. *Melchiorre*.

Marco[i] **Marc**[g] **Marco(s)**[h] **Mark**[a] **Markus**[ge] : Marcus, i, m. Huius nominis Romani haec est originatio : *Marticos*, vel *Martcos* ; coniungitur ergo cum nomine Martis ; cf. Walde-Hofmann, II, p. 38 ; G. Devoto, *Studi Etruschi*, III, p. 275. Cf. etiam *Martino*. In Mart. Rom. plures Caelites, hoc nomine insignes, recensentur ; S. Marcus Ev. VII Cal. Mai.

Marcolfa[i]: Marculfa, ae, f. ; v. *Marcolfo*.

Marcolfo[i] **Marcou**[g] **Marcolfo**[h] **Markolf**[ge] : Marculfus, i, m. Petitur a sermone Germanico, ac quidem a verbis *mark*, quo *limes*, *finis* significatur, et *wolf* (*wulf*), quod idem valet ac *lupus*. Quod vocabulum, cum alteri adiungitur, primam litteram *w* amittere solet (cf. *Adolfo*). Itaque nomen interpreteris *lupum ad limitem* seu *limitaneum*.

Marcus[a]: v. *Marco*.

Marfa : Martha, ae, f. ; quod nomen apud Russos *Marfa* audit. Cf. Wasserzieher, p. 122.

Marfisa[i] **Marfisa**[h]: Marfisa, ae, f. Est nomen commenticium , quod in carmine epico, quod *Orlando Furioso* inscribitur, et alibi frequentatur.

Margherita[i] **Marguerite**[g] **Margarita**[h] **Margaret**[a] **Margareta**[ge] : Margarita, ae, f. Est calculus candidus, in marinis nascens conchis, ad mundum muliebrem aptus (*perla*, *perle*, *pearle*). Latini hoc nomen acceperunt a Graecis, quorum sermone μαργαρίτης, ου, ὁ, audit ; cf. ad hoc Varr. *L.L*, ex Prisciano VII, 328 Kr.: « (Varro ait) vocabula ex Graeco sumpta, si suum genus non retineant, ex masculino in femininum Latine transire et A litera terminari, velut κοχλίας cochlea, Ἑρμῆς herma, χάρτης charta ». Graeci autem hoc mutuati sunt a prisco sermone Indorum, qui nitidum huiusmodi calculum *mañjaram* vel *mañjari*, hoc est *gemmam*, vocabant ; cf. Walde-Hofmann, II, p. 30. – (Mart. Rom. VIII Cal. Mart. ; XVI Cal. Nov. ; XVI Cal. Dec. e. a.).

Marget[a] **Margot**[a] : dem. nomen Margaritae ; v. *Margherita*.

Margila[i]: Maria Iulia ; v. *Maria*, *Giulia*.

Marguerite[g]: v. *Margherita*.

Maria[i] **Marie**[g] **Maria**[h] **Mary**[a] **Maria**[ge] : Maria, ae, f. Nomen Augustae Deiparae plane differt a *Maria*, ut Romani ante institutam christia-

nam religionem genus femininum nominis Marii interdum appellabant. Derivatum est enim a Μαριάμ, ut est in libris Novi Testamenti, Graece conscriptis (Hebr. *Maryâm*). De origine autem alii aliter sentiunt. Missis sententiis minus probabilibus, nomen videtur derivandum esse aut a fonte Aramaico (*mara* = *domina*), aut a fonte Aegyptio (cf. Copt. *Merit Amm* = *amatus ab Ammone*).

Marianna[i] **Marianne**[g] **Mariana**[h] **Marianne**[a] **Marianna**[ge]: Maria Anna, f.; v. suis locis.

Mariano[i] **Marien**[g] **Mariano**[h] **Marian**[a]: Marianus, i, m. Est, si originem spectes, adi. a nomine Marii (v. *Mario*) deductum; cf. Cic. *Brut.* 47: « Mariani consulatus »; id. *de Or.* II, 66: « Marianum scutum Cimbricum »; e. a. – (Mart. Rom. Cal. Ian. e. a.).

Maribelle[a]: Mariabella, ae, f. Vulgare hoc nomen ab Americanis fictum est, quo *Maria specie venusta* significatur.

Marica[i]: Marica, ae, f. Nominis origo petenda videtur a voce primitiva *mer*, in qua inest vis *splendendi*; cf. *merus*, *marmor*; prisc. Ind. *máricih*, h. e. *radius*; Graec. μαρμαίρω, h. e. *luceo*. Eo appellata est nympha apud Minturnas; cf. Verg. *Aen.* VII, 47; Liv. XXVII, 37, 2 (*lucus Maricae*) e. a.; occurrit quoque in titulis ut nomen muliebre; cf. C.I.L. III, 5257, V, 6850.

Apud Hispanos vero *Marica* est blanda appellatio pro Maria.

Marico[i]: Maricus, i, m. Cf. *Marica*. Usurpabatur interdum ut nomen servile; cf. C.I.L. V, 1336; XII, 5686.

Marietta[i] **Mariuccia**[i] **Marihuela**[h] **Mariechen**[ge]: bl. app. pro Maria; v. ib.

Marilena[i]: Maria Magdalena, vel Magdalene, f.; v. suis locis.

Marina[i] **Marinette**[g] **Marina**[h]: Marina, ae, f. Est nomen originis Etruscae (cf. *Mario*), ut est apud Schulze, pp. 188-189; cf. C.I.E., 1144, 1150 (*Larthia Marina*). Occurrit quoque in titulis christianis veteribus, Diehl, 1790, 2015, 227, 330. – (Mart. Rom. XIV Cal. Iul.; XV Cal. Aug.).

Mariner[a]: Marinarius, ii, m. Haec vox, qua *navicularius*, *nauta* significatur, est sermonis Latini, qui media, quam dicunt, aetate, invaluit, propria; cf. C. Ducange, *Glossarium mediae et infimae Latinitatis*.

Marino[i] **Marin**[g] **Marino**[h]: Marinus, i, m. Nomen, quemadmodum *Marius*, *Marina* (v. ib.), repetitur a fonte Etrusco. – (Mart. Rom. VII Non. Mart.; prid. Non. Sept. e. a.).

Mario[i] **Marius**[g] **Mario**[h] **Marito**[h]: Marius, ii, m. Non est, ut vulgus arbitratur, genus masculinum christiani nominis Mariae, cum multo ante inducta christiana sacra Romanis fuerit usitatum. Nomen autem repetitur a sermone Etrusco; cf. Schulze, pp. 188-189; C.I.E. 1145: *Mare*; 2451: *Marie*. Sunt qui putent hoc verbum apud Etruscos idem valuisse ac *virum* fuisseque appellationem muneris cuiusdam; cf. Tagliavini, p. 20. – (Mart. Rom. XIV Cal. Febr.).

Marion[g]: bl. app. pro Maria usurpata ; v. ib.

Maripepa[h]: Maria Iosepha ; Hispani enim *Maripepa* blande pro *Maria Josefa* dicunt V. *Maria* et *Giuseppina*.

Mariquila[h] **Mariquilla**[h]: bl. app. ab Hispanis pro Maria usurpata ; v. *Maria*.

Marisa[i]: Maria Aloisia, f. ; v. suis locis.

Marius[g]: v. *Mario*.

Mark[a]: v. *Marco*.

Markart[ge] **Marquart**[ge] : Marcuardus, i, m. Nomen structum est e ver- Germanicis *marah* (cf. *Mähre*), cuius vis est *equus*, et *wart* (*ward*, *vardan*), quo *custos significatur*. Id ergo *custodem equi* interpreteris ; priorem partem quidam a *marka* petunt, quod idem valet ac *limes*, sed est minus certum ; cf. Förstemann, 1094. In Latinam autem rationem translatum, ut supra posui, nomen scriptum videmus in libro cui index *Casuum S. Gall. Cont.* II, c. 7 ; M.G.H., II, p. 157. Alibi invenitur *Marcwardus*, ib. I, p. 567 ; II, p. 330 ; IV, p. 763 ; V, pp. 192, 190, 301 ; VI, pp. 2, 11 582, 584, 720, 746 ; vel *Marquardus*, ib. V, p. 685.

Markolf[ge] : v. *Marcolfo*.

Markus[ge]: v. *Marco*.

Marlene[ge]: Maria Magdalena ; v. suis locis.

Marquart[ge] : v. *Markart*.

Marrirosa[h]: Maria Rosa, f. ; v. haec nomina suis locis.

Marsilio[i] **Marsil**[g] **Marsilio**[h]: Marsilius, ii, m. Nomen non ductum est, quemadmodum videtur, a Marsis, vetere Italiae gente, sed a fonte Etrusco ; cf. Schulze, p. 188 sq. A voce enim Etrusca *marsi* (cf. C.I.E. 4392) derivata sunt nomina cum *Marsilio* cognatione coniuncta, ut : *Marsinus* C.I.L. XI, 44 6), *Marsicius* (*Eph. epigr.* VIII, 8), *Marsidius* (C.I.L., VI, 22251 ; XI, 4485).

Marta[i] **Marthe**[g] **Marta**[h] **Marta**[a] **Martha**[ge]: Martha, ae, f. Derivatur a voce Aramaica *mâr'*, cuius vis est *dominus* ; unde *marthâ*, feminino genere, *dominam* significat. – (Mart. Rom. IV Cal. Aug. e. a.).

Martie[a] **Marty**[a]: bl. app. pro Martha ; v. *Marta*.

Martina[i] **Martine**[g] **Martina**[h] **Martina**[a]: Martina, ae, f. ; cf. *Martino*. – (Mart. Rom. Cal. Ian. et III Cal. Febr.).

Martino[i] **Martin**[g] **Martín**[h] **Martin**[a] **Martin**[ge]: Martinus, i, m. Ducitur a nomine *Martis*, cuius originem alii aliter enodant. Secundum P. Kretschmer, *Zeitschrift für vergleich. Sprachforschung* 38, pp. 129 sqq., 134, derivatur a verbo *Mavortis*, quod coaluit e *macs* (*mages* ; cf. *mactus*, *- vert*, *- vort*) ; est ergo Mavors *is qui cum vi* (*bene*) *vertit*. Solmsen autem, *Zeitschr. f. vergl. Sprachf.*, 38, pp. 450 sqq., ducit idem Mavortis nomen a *mâgh*(*e*)s-*vert* (*vort*) ; priori quidem verbo primitivo subicit vim *proelii* (cf. μάχομαι), ita ut significetur *is qui proelium vertit*. Cf. Walde-Hofmann, II, pp. 44 sq. – (Mart. Rom. III Id. Nov. e. a.).

Mary[a]: v. *Maria*.

Marylyn[a]: bl. app. pro Maria, vel Maria Magdalena.

Marziale[i]: Martialis, is, m. Pertinet, ut liquet, ad nomen Martis ; cf. *Martino*. In Mart. Rom. sex recensentur Sancti Caelites, hoc nomine appellati.

Marzio[i]: Martius, ii, m. Pertinet ad nomen Martis (cf. *Marco* ; *Martino*). Nomen occurrit, missis aliis monumentis, in veteribus titulis christianis, Diehl, 1447, 1769, 2316, 2797-

Maso[i] **Masino**[i] : bl. app. pro Thoma ; v. *Tommaso*.

Massimiliano[i] **Maximilien**[g] **Maximiliano**[h] **Maximilian**[ge] : Maximilianus, i, m. Est nomen Maximi cum duplici terminatione, in qua prior blanda appellatur ; etenim derivatur a *Maximillo* ; qua in re animadvertendum ex usu linguae Latinae unam litteram *l* poni (Maximilianus ; cf. *Paolo*). Recensetur in C.I.L. IX, 1160, 1161 ; Symm., *Ep.* VIII, n. 48, 551, 55 ; IX, 52. – (Mart.Rom. IV Id. Oct. , IV Cal. Nov.).

Massimino[i] **Maximin**[g]: Maximinus, i, m. Ut liquet, derivatur a *Maximo* (v. *Massimo*) ; cf. Mart. Rom. VI Id. Ian.; XVIII Cal. Ian.; XVIII Cal. Febr., e. a.).

Massimo[i] **Maxime**[g] **Máximo**[h]: Maxĭmus, i, m. Quoad originationem v. *Magno*; cf. prisc. nom. *mag-se-mos*, Walde-Hofmann II, p. 14. – (Mart. Rom. VI Id. Ian. e. a).

Mat[a]: bl. app. ab Anglis pro Matthaeo usurpata ; v. *Matteo*.

Matelda[i]: Mathildis, is, f. ; v. *Matilde*.

Mateo[h]: v. *Matteo*.

Materno[i]: Maternus, i, m. Derivatur a *matre*, ut paternus a patre ; cf. Graec. μήτηρ (Dor. μάτηρ) ; prisc. Ind. *matár* ; prisc. Hib. *mathir* ; prisc. Germ. *muoter* (*Mutter*, *mother*) e. s. – (Mart. Rom. XV Cal. Aug. ; XVIII Cal. Oct.).

Matías[h] : v. *Mattia*.

Matilde[i] **Mathilde**[g] **Matilde**[h] **Matilda**[a] **Mathilde**[ge]: Mathildis, is, f. Hoc nomen interdum ita videtur scriptum : *Mechthildis* ; qui modus propius quidem accedit ad originem Germanicam, tamen in auribus Latinis durum quiddam sonat et asperum. Ductum est enim a *mahti* (Germani nunc dicunt *Macht*), quo vocabulo *potentia*, *virtus* significatur, et a prisca voce *hild*, quae ita Latine redditur : *pugna* seu *proelium*. Magis igitur probanda videtur haec scribendi ratio : *Mathildis*, quae media aetate, in regionibus praesertim Romanicis, quas dicunt, invaluit. – (Mart. Rom. prid. Id. Mart.).

Matteo[i] **Mathieu**[g] **Mateo**[h] **Matthew**[a] **Matthäus**[ge]: Matthaeus, i, m. Minus recte scribitur cum una littera *t*. Est nomen Hebraicum *Matthay*, fortasse per compendium scriptum pro *Matthathâh*, quo *donum Dei* vel *donatus* (cf. S. Hieron. *de nom. Hebr.*) vel, minus probabiliter, *fidelis* significatur. Graeci scripserunt : Μαθθαῖος vel Ματθαῖος – (Mart. Rom. XI Cal. Oct.; prid. Id. Nov.).

Mattia[i] **Mathias**[g] **Matías**[h] **Matthias**[a] **Matthias**[ge]: Matthīas, ae, m. Minus recte scribitur cum una littera *t*. Nomen derivatum est a dictione Hebraica *Matthâtyah*, cuius vis est : *donum Yah*, i. e. Dei (Graece Μαθθίας vel Ματθίας). Est ergo quoad

originem idem nomen ac Matthaei. – (Mart. Rom. III Cal. Febr., VI Cal. Mart.).

Maturino[i] **Mathurin**[g]: Maturinus, i, m.; perverse scribitur Mathurinus. Nomen enim., quod etiam in C.I.L., III, 3166 scriptum videmus, derivatur a *maturo* (v. *Maturo*). Recensetur in Mart. Rom. Cal. Nov.

Maturo[i]: Maturus, i, m. Huius nominis, a prisco vervo *ma-tu* derivati, vim veteres scriptores explanavere; Paul. ex Fest. 109: « maturum idoneum usui [appellabant antiqui] »; Nigid. fragm. Gell. 11: « mature... est, quod neque citius est neque serius, sed medium quiddam et temperatum est ». Nomen vero Maturi, viris inditum, scriptum videmus in C.I.L. V, 2169, 6051; III, 4720. – (Mart. Rom. postr. Cal. Iun.).

Maud[a] **Maude**[a]: bl. app. ab Anglis pro Mathilde usurpata; v. *Matilde.*

Maudlin[a]: dem. nom. Magdalenae; v. *Maddalena.*

Maura[i] **Maure**[g] **Maura**[h] **Maura**[a]: Maura, ae, f. i v. *Mauro.* – (Mart. Rom. Id. Febr. e. a.).

Maurice[g]: v. *Maurizio.*

Maurilio[i] **Maurille**[g] **Maurilio**[h]: Maurilius, ii, m. Nomen, a *Mauro* (v. ib.) derivatum (ut Quintilius a Quinto), recensetur in Mart. Rom. Id. Sept.

Maurizio[i] **Maurice**[g] **Mauricio**[h] **Morrice**[a] **Moritz**[ge]: Mauricius, ii, m. In sacris libris et alibi frequentatur modus: *Mauritius*, qui tamen minus rectus esse videtur. Eadem enim ratione pars altera nominis Mauricii est effecta, quam alia plura praeferunt verba, ut additicius, advecticius, commenticius, novicius, nutricius, hisque similia; quibus syllabis (*-icius*) significatur hominem vel rem ad alium vel ad aliam pertinere. Neque praetereundum eandem hanc scribendi rationem propriam esse Ammiani Marcellini (XXV, 8; 7: *tribunus Mauricius*; edit. Teubner), et eos, qui huic nomini vestem induerunt Graecam, posuisse: Μαυρίκιος (Procop. Caesar., *Bell. Goth.*, I, 7 - Cod. Ambrosian. 119 sup. fol. 95). Quoad originationem v. *Mauro.* – (Mart. Rom. VI Id. Iul., X Cal. Oct.).

Mauro[i] **Maur**[g] **Mauro**[h]: Maurus, i. m. Hoc nomen, quo appellatur incola Mauretaniae, secundum Vivien de Saint Martin, *Le Nord de l'Afrique*, p. 100, ducitur a voce Phoenicia *mauharim*, cuius vis est *occidentales*; Mauretani enim, seu Mauri, in occidentis partibus, e Phoenicum sententia, habitabant. – (Mart. Rom. XVIII Cal. Febr. e. a.).

Max[g] **Max**[ge] **Maximiliano**[h] **Maximilian**[ge]: v. *Massimiliano.*

Maximiliana[h] **Maximiliane**[ge]: Maximiliana, ae, f. Cf. *Massimiliano.*

Maximin[g] **Maximino**[h]: v. *Massimino.*

Maxime[g] **Máximo**[h]: v. *Massimo.*

Mayto[h]: bl. app. pro Angela seu secundum vulgarem Hispanorum rationem *Angelita*, usurpata; v. *Angela.*

Mechthild[ge]: v. *Matilde.*

Medardo[i] **Médard**[g] **Medard**[ge]: Medardus, i, m. Nomen compositum est e verbis Germanicis *mahti* (nunc audit *Macht*), quo *potentia* signifi-

catur, et *hard*, quod idem valet ac *fortis, strenuus*. In Mart. Rom. recensetur sollemne S. Medardi, episcopi Noviomensis in Gallia, VI Id. Iun.

Medea[i]: Medēa, ae, vel, ut apud Plinium, Medīa, ae, f. Est nomen Graecum Μήδεια, quod derivatum est a verbo primitivo *mad*, cuius vis est *metiri, pensare, cogitare*; cf. prisc. Ind. *madh-jas*, h. e. *consilia*; Graec. μήδομαι; Lat. *meditor*.

Meg[a] **Meggie**[a] **Meggy**[a]: bl. app. pro Margarita; v. *Margherita*.

Meinhard[ge]: Mainardus, i, vel Meinardus, i, m. Nomen coaluit e verbis Germanicis *magan* (vel *megin*) - *hard*, quorum alterum idem valet ac *robur, virtus*, alterum idem ac *fortis, strenuus, audax*. *Magan* (cf. Germ. rec. *vermögen*; *ich vermag*), perinde ac *ragan*, si alteri verbo adiungitur, saepe litteram *g* amittit, ita ut *main* vel *mein* audiat. In libro, qui *traditiones Corbeienses* inscribitur, plerumque scriptum legimus *main-*. Cf. Förstemann, 1071.

Meinrad[ge]: Mainradus, i, vel Meinradus, i, m. Quoad priorem nominis partem (*magan* vel *megin*) v. *Meinhard*; altera efficitur verbo Germanico *rât* (*rad*), quo *consilium* significatur. Cf. M.G.H., *Script.*, III, pp. 48, 140, 145 (*Meginradus*). Est ergo nominis interpretatio: *vir consilio validus*; recensetur in Mart. Rom. XII Cal. Febr.

Melania[i] **Mélanie**[g] **Melania**[h] **Melanie**[ge]: Melania, ae, f. Hoc nomine significatur *femina atri coloris*, cum deductum sit a verbo Graeco μέλαινα. Cf. Hieron. *ep*. 39, n. 2; Diehl, 2895' 3608; – (Mart. Rom. prid. Cal. Ian.).

Melchiade[i] **Melquíades**[h]: Melchiădes, is, m. Nomen deductum est a verbo Hebraico *Melkî* = *rex meus*; cf. LXX Interpret.: Μελχί; quod nomen proprium fuit duorum virorum e maioribus Christi. Sollemne S. Melchiadis, Summi Pontificis, qui Diocletiano imperatore Ecclesiam est moderatus virtutibusque illustravit, in Mart. Rom. IV Id. Dec. recensetur.

Melchiorre[i] **Melchor**[h] **Melchior**[ge]: Melchior, oris, m. Magis, qui ex Orientis partibus advenerant, ut Christum natum adorarent, postero tempore imposita sunt nomina. A saeculo IX tres magi seu reges appellari coepti sunt Caspar, Melchior, Balthasar (G. Ricciotti, *Vita di Gesù*, p. 287). Nomine autem Melchioris (Hebr. *melki'or*) significatur: *rex meus* (scil. Deus) *lumen*.

Melezio[i]: Meletius, ii, m. Ducitur, quemadmodum videtur, a verbo Graeco μέλει, quod idem valet atque: *curae est*. – (Mart. Rom. prid. Id. Febr. e. a.).

Melinda[a]: Melinda, ae, f. Videtur esse nomen commenticium, quamvis fatendum sit alteram nominis partem (*linda*) ad prisci sermonis Germanici rationem (cf. plura nomina Germanica in *lint, linda* exeuntia) esse confictam.

Melissa[i] **Melitta**[a]: Melissa, ae, f. Est verbum Graecum μέλισσα, quo *apis* significatur. Apud veteres scriptores et in titulis occurrit nomen masculino genere expressum: *Melis-*

sus ; cf. praeterea Diehl, 2534 : Μέλισσα.

Melpomene[i] : Melpomĕne, es, f. Hoc nomen, a verbo μέλπομαι (h. e. *cano*) ductum, proprium est uni e Musis, tragoediae inventrici, sed antiquis temporibus etiam aliis mulieribus imponebatur ; cf. C.I.L. X, 5418 ; VI, 21225 ; XII, 236 ; 739.

Melquíades[h] : v. *Melchiade.*

Melvin[a] : Melvinus, i, m. De origine nominis non satis constat ; fieri potet ut sit ab Anglis parce detortum a *Malvin* ; cf. *Malvina.*

Mena[i] : bl. app. ab Italis pro Philomena usurpata ; v. *Filomena.*

Menegold[ge] : v. *Mangold.*

Menelao[i]: Menelaus, i, m. Coaluit e verbis μένος, quo *animus*, *robur* significatur, et λαός, cuius vis est *populus.* Est ergo Menelaus (Μενέλαος) quasi *robur populi.*

Menico[i] : bl. app. ab Italis pro Domenico usurpata : v. *Domenico.*

Menotti[i] : Menottius, ii, m. Est quidem, quod nos dicimus, cognomen Cyri Menotti, viri Italici patriae amantissimi, pro qua Mutinae anno 1813 vitam profudit.

Mentore[i] : Mentor, ŏris, m. Apud poetas c. acc. interdum more Graecorum in *-a* exit ; cf. Martial. XI, 11, 5 ; Auson., *Ep.* XVI, 14. Est nomen Gracum Μέντωρ, quo imprimis insignis fuit amicus et aequalis Ulixis, eiusdemque domus praepositus ; cuius formam saepe sumpsit Minerva, ut est apud Homerum. Franciscus vero Fénélon, copiosus scriptor Gallus (1651-1715), anno 1699 edidit librum fabulosum quidem, sed ad artem educandi pertinentem, cui index *Les aventures de Télémaque*, et quo Mentorem induxit comitem Telemachi, cum is, patrem Ulixen quaerens, peregrinabatur. Unde factum est, ut Mentor idem valeret atque amabilis et sollicitus comes et paedagogus.

Missis aliis, de quodam Mentore, praeclaro caelatore (saec. IV a. Ch. n.), commemorant veteres ; cf. Plin. *Nat. hist.*, XXXIII, 12 (154) ; atque etiam in titulis ut nomen viri libertini occurrit, cf. C.I.L. V, 2396.

Mercedes[i] **Mercedes**[h] **Mercedes**[a] : Maria Mercedonia, vel Maria a mercede.

Mercurio[i]: Mercurius, ii, m. Nomen non derivatur a *mercando*, ut quidam opinantur, sed ab Etrusco *mercura*, numine tutore gentis alicuius ; cf. G. Herbig, *Religion und Kultus der Etrusker*, Breslau 1922, pp. 7, 12 ; F. Dltheim, *Griechische Götter im alten Rom*, Diessen 1930, p. 43 sqq. ; F. Ribezzo, *Rivista Indo-Greco-Italica* 15, p. 99. Recensentur in Mart. Rom. duo Caelites ita appellati (VII Cal. Dec. ; IV Id. Dec.).

Merle[a]: Merŭla, ae, f. Huiusce avis nomen Angli interdum, Americani saepius, puellis imponunt.

Mero[h]: bl. app. ab Hispanis pro Baldomero usurpata ; v. ib.

Mesmin[g]: v. *Massimino.*

Meta[ge] **Metta**[ge] **Mette**[ge] : bl. app. a Germanis pro Mathilde usurpata ; v. *Matilde.*

Metello[i]: Metellus, i, m. Quid sibi velit hoc nomen, a Paul. ex Fest. 132, ita explanatur : « metelli dicuntur in

lege militari quasi mercennarii ». Est autem nomen gentis Romanae, a *Metto* (*Mettus*, *i*) ductum, qua in re animadvertendum est geminas consonantes (*tt*), cum syllaba blandae appellationis causa adiungitur, haud raro ad unam redigi ; cf. offa - ofella ; mamma - mamella ; Schulze, p. 462 sq., qui p. 293 affirmat nomen Metelli interdum etiam a fonte Etrusco duci, a *meteli* ; cf. C.I.L. XI, 1025. Sanctus Caeles, ita nominatus, recensetur in Mart. Rom. IX Cal. Febr.

Metodio[i]: **Metódio**[h] Methodius, ii, m. Derivatur a verbo Graeco μέθοδος, quo *ratio* significatur (μετά - ὁδός). – (Mart. Rom. Non. Iul. e. a.).

Michela[i] **Michèle**[g] **Micaela**[h] **Michaela**[ge]: Michaëla, ae, f. ; cf. *Michele.*

Michele[i] **Michel**[g] **Miguel**[h] **Michel**[a] **Michael**[ge]: Michaël, elis, m. Interdum in casus non inclinatur, quod plerique Latinitatis cultores minus probant. Derivatur nomen a fonte Hebraico : *Mikâʿel*, quod sic in Latinum convertitur : *Quis ut Deus.*

Michelangelo[i]: Michael Angelus ; v. haec nomina suis locis.

Michèle[g]: v. *Michela.*

Michelina[i] **Micheline**[g] **Micheline**[ge] : v. *Michela.*

Mike[a]: bl. app. pro Michaele, ; v. *Michele.*

Mila[i]: Mila, ae, f. Videtur esse nomen a fonte Slavico deductum, ; cf. *Milo*, *Milena.*

Milena[i]: Milena, ae, f. Plerumque affirmatur hoc nomen contractum esse atque conflatum ex *Maria* et *Helena* aut ex *Maria* et *Magdalena* ; rectius autem dixeris id esse verbum Slavicum *milena*, quod *gratam caram* significat ; cf. *milina* = *venustas*, *gratia* ; *milica* = *amasia*, A. Wolf, *Slovensko - Nemiski Slovar.*

Miles[a]: Milo, onis, m. De origine nominis non constat inter litteratos : sunt qui putant id esse corruptum nomen Michaëlis, alii qui ad Apuleium appellant, in cuius Metamorphoseon libris agitur de Milone, viro « ampliter nummato et longe opulento, verum extremae avaritiae homine » (cf. ib. I, 21), alii demum aliunde derivant. Posui Milonis nomen, quia Latinis auribus est accommodatum, non tamen de origine certi quidquam statuere mihi sumpsi .

Milton[a]: Miltonius, ii, m. Est revera cognomen, quod nos dicimus, Ioannis Milton, eximii Britanniae poetae, qui saeculo XVII fuit. Nunc vero pro nomine poni solet.

Milo : Milo, onis, vel Milus, i, m. Est nomen Slavicum, e cuius ratione verbum *mil-* idem valet ac *carus*, *gratus* ; cf. *milína* = *gratia*, *venustas*, *mílen* = *carus*, A. Wolf, *Slovensko - Nemiski Slovar.* In Sanctorum indice a I. Stadler edito (*Vollständiges Heiligen-Lexikon*, IV, p. 462) quinque recensentur viri sanctimonia clari, quibus nomen *Milo* vel *Milus*).

Milziade[i] **Milcíades**[h]: Miltiădes, is, m. Nomen deductum est a verbo Graeco μίλτος, quo is appellatur color, qui Latine *rubrica* dicitur ; cf. Plin. XXXIII, 7, 38. Syllabis - *ades* significatur nomen a patris nomine

esse factum. Nomen occurrit quoque in vetere titulo christiano, Diehl, 1986.

Mimì[i] **Mimí**[h]: bl. app. pro Maria.

Mina[i] **Mina**[ge] : bl. app. pro Villelma ; v. *Guglielmina* ; interdum, maxime a Germanis, etiam pro *Ermina* usurpatur (v. *Erminia*). Potest autem nomen proprium Mina, ae, usurpari. Cf. *Minna*.

Mingo[h]: bl. app. Hispanis pro Dominico usurpata ; v. *Domenico*.

Miniato[i]: Miniatus, i, m. Nomen idem valet ac : *minio tinctus*. Est autem minium verbum Hibericum ; cf. Prop. II, 3, 11 ; *Isid. Or.*, XIX, 17,7 ; Walde-Hofmann, II, p. 91 sq.

Minna[a] **Minnie**[a] **Minna**[he]: Minna, ae, f. Est quidem, si originem spectes, deminutum nomen Villelmae vel Erminae (*Wilhelmine*, *Hermine*), cf. supra *Mina*, tamen iam vim nominis proprii obtinet. Nomen increbruit ex quo a Valthero Scott, Gottholdo Ephraimo Lessing (*Minna von Barnhelm*) et aliis est usurpatum.

Est autem prae nobis ferendum nomen Minna, ae (m. et f.) in veteribus titulis inveniri ; cf. C.I.L. VIII, 8701 (*Mine*), ubi et masculino genere Minnus, i, reperitur ; cf. ib. 1564 : « Minnus Iustus » ; C.I.L., VI, 529 : « Minnatia » feminino genere. Quae nomina ad Africam pertinent, ubi etiam locus Minna habetur, *Itin. Ant.*, p. 63.

Minucio[i]: Minucius, ii, m. Origo nominis petenda est a verbo *minuendi*.

Mira[i]: Mira, ae, f. Licet sit deminutum nomen Italicum (cf. *Miranda*, *Diomira* e.s.), repetitur tamen a fonte Latino, unde derivata sunt verba *miror*, *mirus*, *a*, *um*, e. s. Vox primitiva videtur esse *smeiros* ; cf. prisc. Ind. *smerah*, h. e. *subridens* ; Graec. μειδάω, h. e. *rideo* ; Angl. *smile*, h. e. *subridere*.

Miranda[i] **Miranda**[a]: Miranda, ae, f. Est nomen Latinum intellectu facile, quod propterea invaluisse videtur, quod Anglorum poeta summus, cui appellatio *Shakespeare*, in fabula tragica, quae *tempest* inscribitur, id personae indiderit. Cf. Partridge, p. 205 ; et *Mira*.

Mirella[i] **Mireille**[g] **Mireyo**[h]: Mirella, ae, f. cf. *Mira*. Nomine *Mireille* Fridericus Mistral carmen inscripsit, unde illud in vulgus propagatum esse videtur.

Mirena[i]: Mirena, ae, f. Fortasse nomen a fonte Slavico deductum est ; cf. *Míren* = *Pacificus* (*mir* = *pax*) ; vel est corruptum nomen Milenae.

Miriam[i] **Myriam**[a]: Miryam, f. ; non inclinatur in casus. Est alia scribendi ratio nominis *Maryâm*, ut Hebraei *Mariam* appellare soliti sunt (cf. *Maria*). Exarandi modus *Miryam* a Massoretis, quos vocant, inductus est.

Mirina[i]: Myrine, es, vel Myrina, ae, f. Ut nomen mulieris recensetur in C.I.L. II, 5192, V, 24, 28 ; III, 5389 (*Mirina*) ; X, 5192 (*Mirinna*), Diehl, 3602 (*Myrine*). Nomine Myrinae appellatur etiam urbs Aeolidis et insulae Lemni.

Mirone[i] **Myron**[a]: Myro, nis, vel Myron, is, m. Nomen deductum est a

μύρον, seu a σμύρις (= *unguentum odoratum*) ; cf. Goth. *smairthr* ; prisc. Germ. *smero*, h. e. *adeps*, *smirwen*, h. e. *ungere*, Boisacq, p. 86. Hoc nomine praesertim inclaruit sculptor Graecus, de cuius discobolo haec Quintil. II, 13, scripsit : « Quid tam distortum et elaboratum, quam est ille discobolos Myronis ? Si quis tamen ut parum rectum increpet opus, nonne ab intellectu artis abfuerit, in qua vel praecipue laudabilis est illa ipsa novitas ac difficultas ».

Mirtilo[i]: Myrtĭlus, i, m. Nomen, a μύρτος ductum, non solum proprium erat filii Mercurii et Cleobules, sed etiam virorum obscuro loco natorum, ut est in C.I.L., IX, 991, 5618.

Modesta[i] **Modesta**[h]: Modesta, ae, f.; v. *Modesto*. – (Mart. Mom., III Id. Mart.; prid. Non. Nov.).

Modestina[i] **Modestina**[h]: Modestina, ae, f. ; v. *Modestino*. Invenitur etiam nomen Modestillae, C.I.L. XIV, 1344.

Modestino[i] **Modestino**[h]: Modestinus i, m. Derivatur a *Modesto* (v. ib.); eoque nomine appellati sunt plures veteres homines, in quibus iuris consultus non obscurae famae.

Modesto[i] **Modesto**[h]: Modestus, i, m. Pertinet ad verbum *modi* (*modus*, *i*), unde derivantur *modestia*, *moderor*, *commodus* e. a. ; est autem verbum primitivum *med* (cf. *meditor*), in quo inest vis *metiendi*. Dicitur ergo *modestus* qui *rectum modum* seu *mensuram tenet in rebus*. Cf. Walde-Hofmann, II, p. 100. – (Mart. Rom., prid. Id. Ian. e. a.).

Moira[a]: Moira, ae, f. Hoc nomen, Britannis usitatum, est ipsum verbum Graecum μοῖρα, cuius vis est *pars*, *portio*, *sors*, praesertim divinitus tributa, *condicio*. Pertinet ad verbum temporale μείρομαι = *sortior* ; cf. Lat. *mereor*.

Moïse[g] **Moisés**[h]: v. *Mosè*.

Moll[a] **Molly**[a]: bl. app. ab Anglis pro Maria usurpata.

Mombert[ge] **Mumbert**[ge] : Mumbertus, i, m. Nomen structum est e priscis verbis Germanicis *mun* (Goth. *munan* = *cogitare*), quo *cogitatio*, *voluntas* significatur, et *bert* (*beraht*), quod idem valet ac *splendidus*, *clarus*. Cf. Förstemann, 1136.

Momo[i]: bl. app. ab Italias pro Hieronymo usurpata ; v. *Gerolamo*.

Monaldo[i] **Monaldo**[h]: Munaldus, i, m. Nomen coaluit e verbis Germanicis *mun* (Goth. *muns*), quo *cogitatio*, *voluntas* significatur, et *walt* (Goth. *valdan*), in quo inest vis *dominandi*, *regnandi*.

Monica[i] **Monique**[g] **Monica**[h] **Monika**[ge]: Monĭca, ae, f. ; in antiquis litterarum monumentis nomen saepe ita scriptum est : *Monnica*. Non videtur derivandum a fonte Graeco, ut plerique arbitrantur (a μοναχή, quasi significetur monastria), sed potius a fonte Punico ; in titulis enim Africae septemtrionalis haec frequentantur nomina cognatione inter se coniuncta : *Monna* (eo appellabatur etiam dea ; cf. Inscr. n. 1245 Suppl. I vol. VIII C.I.L. in arula loci « Aïn Tinga » : MONNAE AVG. SAC.), *Monnis*, *Monnata*, *Monnia*, *Monnina* (*Monina*), *Monnus*, *Monnius* (*Monius*), *Monninus*, *Monno* (*onis*), *Monnosus*, *Monnulus* (cf. On. Per.) ; prae-

terea Diehl : 3605 *Monnula* ; 2856, 2860 *Monnina* ; 2552 *Monnosa* ; 2843, 3998, 2030, 3498 *Monnica* ; qui tituli itidem omnes in Africa sunt inventi. Alii vero arbitrantur nomen ductum esse a voce Latina *monna*, cuius vis sit : *mater*, *sponsa*, scilicet e puerili loquendi ratione. – (Mart. Rom. IV Non. Mai.).

Moreno[i]: Morenus, i, m. Est alterum cognomen, quod nos vocamus, Gabrielis Garcia Moreno, praesidis Rei publicae Aequatorianae, de nomine catholico optime meriti ; qui anno 1875 Quiti ab inimicis interfectus est.

Morfeo[i]: Morpheus, i, m. ; cas. acc. exit in *-a*, more Graecorum. Nomen derivatur a verbo μορφή, quo *forma* significatur. Eo appellatus est unus e filiis Somnii ; cf. Ovid. *Met.*, XI, 635 ; 647.

Morgan[a] : Pelagius, ii, m. ; v. *Pelagio*. *Morgan* enim (vel *Muirgen*, ut Hibernii appellant) idem significat ac *vir in mari vitam agens*. Neque improbandus est, qui nomen hoc Celticum ad sermonem Latinum accommodans, ponit : *Morganus*, *i*.

Moritz[ge]: v. *Maurizio*.

Morrice[a] **Morris**[a]: v. *Maurizio*.

Mosè[i] **Moïse**[g] **Moisés**[h] **Moses**[a] **Moses**[ge]: Moyses, is, m. Cas. gen. exit interdum in *-i* ; *Exod.*, VIII, 13 ; Cyprian., *Ep.* 73 ; Augustin. *de Civ. D.*, XVII 12, *Serm.* 47, e. a. Cas. vero accus. exit plerumque in *-en*. Invenitur etiam scribendi modus Moseus, i, (Μωσεύς), Tertull., *Anim.* 35, 37, 57 ; vel Moyseus, i, C.I.L., X, 8080 ; Venant. V, 5, 33.

Secundum vulgatam opinionem hoc nomen deducitur a verbo Hebr. *mâshâh*, cuius interpretatio est : *extraxit*, ut ipsis sacris litteris confirmatur : « vocavitque nomen eius Moyses, dicens : quia de aqua tuli eum », *Exod.*, II, 10. Recentiores vero eruditi non perperam defendunt originem petendam esse a fonte Aegyptio ; cf. *mesu*, quo verbo Aegyptio *infans* significatur. – (Mart. Rom. VII Id. Febr. ; V Cal. Sept. ; prid. Non Sept.).

Mungo[a]: Mungo, onis, m. Videtur esse cognomentum S. Centigerno, Evangelii praeconi ac primo episcopo Glasguensi (*Glasgow*), inditum ; est autem eius interpretatio : *amabilis* (*Mun-gu*). Recensetur in Sanctorum indice a I. Stadler edito (*Vollständiges Heiligen - Lexikon*, IV, p. 505). De S. Centigerno (*Kentigerno*) v. *Acta Sanctorum*, Ian. I.

Myles[a] : v. *Miles*.

Myra[i] **Myra**[a]: v. *Mira*.

Myriam[i] **Myriam**[g] **Myriam**[a]: v. *Miriam*.

Myrna[a]: Myrna, ae, f. Est nomen commenticium ab Americanis mulieribus, in arte cinematographica peritis, ut videtur, primum invectum (cf. *Myrna Loy*, *Myrna Hansen*, quae eductae sunt ad astra atque adeo — id minus quidem homines ingenio praediti probant — *stellae* vocatae).

Myron[a]: v. *Mirone*.

Myrtilla[a]: Myrtilla, ae, f. Cf. Diehl, 3653. Quoad originationem v. *Myrtle*.

Myrtle[a]: Myrtăle, is, vel Myrtis, ĭdis, f. Nomen ductum est a *murto*

seu *myrto* (Graec. μύρτος), quae vox a fonte Semitico videtur repetenda; cf. Boisacq, p. 652. Priorem exarandi modum invenimus in C.I.L. III, 2248; IX, 5077, atque etiam apud scriptores: cf. Hor. *carm.* I, 33, 14; Mart. V, 4; Iust. IX, 4; alterum vero (*Myrtis*) in C.I.L. V, 358, 3515.

Mysie[a]: bl. app. a Scotis pro Margarita usurpata; v. *Margherita*.

N

Naborre[i] **Nabor**[ge] : Nabor, ŏris, m. Nomen ductum est, quemadmodum videtur, a fonte Punico ; cf. verbum primitivum *nâbâ'*, cuius vis est : *copiose effudit*, *elocutus* seu *interpretatus est* ; unde *propheta* Hebraeorum sermone *nâbî'* appellatur. In vetere quodam carmine christiano syllaba *-or* producitur : « Infossum hic corpus, pia est cum laude Naboris » (cf. De Rossi, *Bull. Chr.* 1 6, p. 9), ex communi vero usu corripitur. Nomen frequentatur in veteribus titulis christianis, Diehl, 1254, 1959, 1975, 2060 e. a. In Mart. Rom. nomen recensetur prid. Id. Iun. ; VI Id. Iul. ; IV Id. Iul.

Nadia[i] **Nadèje**[g] **Nadine**[g] **Nadine**[a]: Nadia, ae, f. Est nomen Russicum *nadezna* parce detortum, quo *spes* significatur.

Nahum[a]: Nahum, m. ; non inclinatur in casus. Est nomen Hebraicum (*Nahhûm*), quo *consolatio* vel *consolator* significatur. – (Mart. Rom. Cal. Dec.).

Naiade[i] **Naide**[i]: Naias, ădis, vel Nais, dis. f. ; c. acc. exit plerumque, more Graecorum, in *-a*. Hoc nomine appellatur in veterum fabulari historia dea fontium et flumimun ; videtur autem petendum a verbo νάω, quod idem valet ac *fluo* (vel a ναίω, in quo est vis *habitandi*). Imponebatur antiquis etiam temporibus feminis sive ingenuis sive libertis ; cf. C.I.L. V, 1430 ; XIV, 2214.

Nan[a]: bl. app. pro Anna.

Nance[a] **Nancy**[a] : bl. app. pro Anna.

Nando[i]: bl. app. pro Ferdinando ; v. ib.

Nanny[a]: bl. app. pro Anna.

Nanty[a]: bl. app. a Scotis pro Antonio usurpata.

Naomi[a]: v. *Noemi.*

Napoleone[i] **Napoléon**[g] **Napoleon**[a]: Napoleon, onis, m. De originatione non satis constat. Plerumque derivatur a *Neapoli* (cf. C.I.L. II, 105, ubi scriptum videmus cognomen muliebre : *Napolis* ; ib. IX, 491 ; III, 3019 : *Napolitanus*). Alii vero putant esse corruptum nomen Graecum *Neopolis* seu *Naopuli*, martyris Alexandrini ; alii denique, ut C. Tagliavini (p. 250), repetunt a fonte Italico : a *Nepoleone* seu *Nepolone* (cf. *Nevelone*, *Nevolone*, *Novollone*) ; quo nomine, ad linguam Latinam accommodato (*Nevolonus*), appellatus est sutor Faentinus, anno

1280 mortuus ac Beatorum Caelitum honoribus ornatus.

Narciso[i] **Narcisse**[g] **Narciso**[h] **Narcissus**[a]: Narcissus, i, m. Est nomen floris (νάρκισσος), quod ducitur a νάρκη, quo verbo *sopor*, *torpor* significatur, cum, ut ait Plinius XXI, 19, 75, hic flos soporiferum odorem exhalet ; quapropter sacer erat diis inferis atque manibus. Origo autem, ut nominis κυπάρισσος, petenda videtur a prisco sermone gentis ad Mare Internum incolentis ; cf. Boisacq, p. 657. - (Mart. Rom. prid. Cal. Nov. e. a.).

Nardo[i]: bl. app. pro Bernardo vel Leonardo ; v. suis locis.

Narsete[i]: Narses, etis, vel Narsis, is, m. Cf. C.I.L. X, 8045.

Nastagio[i]: v. *Anastasio*.

Nastja[i]: bl. app. a Russis pro Anastasia usurpata ; v. ib.

Nat[a]: bl. app. pro Nathan, Nathanaele, Natalia : v. suis locis.

Natale[i] **Noel**[g]: Natalis, is, m. Vocabulum, *natus*, (*gnatus*), a quo derivatur *natalis*, deducitur a verbo primitivo Indico-Europaeo *gênotós* (prisc. Ind. jātáh ; apud Paelignos audiebat *cnatois* ; cf. Walde-Hofmann, I, p. 598). Nomen autem inditur propter religionem natalis diei Servatoris nostri. Plures viri recensentur in veteribus monumentis, quibus nomen est Natalis ; cf. C.I.L. II, 513 ; VIII, 6544, 7191 e. a. – (Mart. Rom., XVII Cal. Apr.).

Natalia[i] **Natalie**[g] **Natalia**[h] **Natalia**[a] **Natalia**[a] : Natalia, ae, f. Ducitur a nomine *Natalis* ; v. ib. – (Mart. Rom. VI Cal. Aug. ; Cal. Dec.).

Natalino[i] **Natalino**[h]: Natalinus, i, m. Est nomen Natalis, cum syllaba *-inus*, blandae appellationis causa adiuncta. Id scriptum videmus in C.I.L. VII, 3.

Natanaele[i] **Nathaniel**[a]: Nathanaël, elis, m. Hoc nomen a fonte Hebraico ductum (*Nethan'êl*) *donum Dei* significat ; itaque idem valet quod Graec. Θεόδωρος.

Natan[i] **Nathan**[a]: Nathan, m. ; non inclinatur in casus. Ducitur a fonte Hebraico : *Nâthân*, quo significatur *donum* (Dei) vel *donatus* (a Deo).

Nathaniel[a]: v. *Natanaele*.

Natividad[h]: v. *Natalia*.

Nauplio[i]: Nauplius, ii, m. Nomen compositum est e ναύς et πλέω atque adeo *navigatorem* significat. Quo appellatus est unus ex Argonautis, ac praesertim pater Palamedis, qui filium dolo Ulixis exstinctum ulcisci cupiens, Graecorum classem a capta atque eversa Troia redeuntem, falso indicio in scopulos impulit, ubi naufragium faceret. Cf. Ovid. *Met.* XIII, 39, 310 ; Serv. *ad Verg. Aen.* XI, 260 e.a.

Nazzareno[i]: Nazarenus, i, m. Hoc verbum, more Graecorum (Ναζαρηνός), deductum est a nomine oppidi *Nazareth*, de cuius originatione non satis constat. Sunt qui derivent ab Hebraico verbo *netzer*, cuius vis est *surculus*, *flos*, (cf. Hieron. *Nom. Hebr.*, s. v. ; Isid. *Or.* XI, 1) aut a verbo item Hebr. *natzar*, quod *custodire* significat ; alii denique interpretantur : *turrim custoditam* (*Nitzôreth*). Apud Hieron., *de sit. et nom. loc. Hebr.*, s. v., praeterea

haec scripta videmus : « Nazareth unde et Dominus Noster atque Salvator Nazaraeus vocatus est ; sed et nos apud veteres quasi opprobrio Nazaraei dicebamur quos nunc Christianos vocant ». Cf. ad hoc *Matth.* XXVI, 71 : *Act.* XXIV, 5 ; Prud. *Cath.* 7, 1 (*Nazareni*) ; id., *Perist.* 5, 25.

Nazario[i] **Názaro**[h]: Nazarius, ii, m. Ducitur, perinde ac Nazarenus, a nomine *Nazareth* (v. *Nazzareno*), quod interdum ita in Latinam rationem translatum est ut audiret *Nazara, ae* ; cf. On. Perin. ; Diehl, 2167, 800 e. a. – (Mart. Rom. prid. Id. Iun. ; V Cal. Aug.).

Neal[a]: Niallus, i, m. Est nomen Hibernium atque adeo Celticum (secundum Partridge, p. 212, idem valet ac *vir strenuus*). Nomen Nialli scriptum legimus in opere, quod *Vitae Sanctorum Hiberniae* inscribitur (ed. a. C. Plummer, Oxonii 1910), II, p. 17.

Nearco[i]: Nearchus, i, m. Alii derivant a νεός - ἄρχομαι (ideo significat *novum principem*), alii a ναύαρχος, i. e. *navarcho*. Nomen imponebatur viris Graecis, ut praefecto classis Macedonicae, sed sequiore aetate etiam Romanis ; cf. C.I.L. IX, 239.

Ned[a]: bl. app. pro Eduardo ; v. *Edoardo*.

Neda[i] **Nedda**[i] : Neda, ae, f. Est nomen nymphae cuiusdam et fluminis in Peloponneso (Νέδα) ; quod verbum repetitur a prisco verbo Ind. *nad*, in quo inest vis *resonandi, mugiendi*.

Neemia[i]: Nehemīas, ae, m. Ducitur a verbis coniunctis Hebraicis *Nehhemayâh*, quae idem valent ac (*quem*) *consolatur Dominus* (*Yah*).

Neera[i] : Neaera, ae, f. Hoc nomine (Νέαιρα), quod ducitur a νεαρός (h. e. *recens, novus*), plures a veteribus appellatae sunt puellae, in quibus filia Niobes, nympha a Xantho amata (Ovid. *Am.*, III, 6, 28).

Nela[h]: bl. app. ab Hispanis pro *Manuela* (= Emmanuela) usurpata ; v. *Emanuela*.

Nelda[i]: Nelda, ae, f. Videtur esse nomen commenticium.

Nella[i]: bl. app. pro Antonilla (*Antonella*), Donatilla (*Donatella*), Catharina (*Caterinella*), praesertim Petronilla (*Petronella*), sed saepe vim nominis proprii habet ; quam ob rem poni potest Latine : Nella, ae, f.

Nello[i]: bl. app. pro Leonillo (*Leonello*), Antonillo (*Antonello*), Donatillo (*Donatello*) ; v. suis locis.

Nelson[a]: Nelsonius, ii, m. Fuit cognomen, quod nos dicimus, Horatii Nelson, navarchi Angli, quod a *Cornelleson* (h. e. *Cornelii filius*) ductum esse videtur ; cf. Partridge, p. 213. Eo autem Angli pro nomine interdum utuntur.

Nelly[g] **Nelly**[a] : bl. app. pro Helena ; v. *Elena*. Interdum ponitur etiam pro Eleonora ; v. ib.

Nemorino[i] **Nemoroso**[h]: Nemorinus, i, m. Derivatur, ut liquet, a verbo *nemoris* (*nemus, oris*), quo *silva amoena* significatur ; cf. Paul. ex Fest. 159 : « nemora significant silvas amoenas ». Cf. Graec. νέμος, h. e. *silva* ; prisc. Ind. *námati*, h. e. *flectitur* ; videtur ergo esse secundum

originationem locus, in alvei modum conformatus arboribusque consitus. Cf. Walde-Hodmann e. a.

Nena[i]: bl. app. pro Magdalena ; v. *Maddalena.*

Nencia[i] **Nencio**[i] : bl. app. pro Laurentia et Laurentio ; v. *Lorenza, Lorenzo.*

Neottolemo[i]: Neoptolĕmus, i, m. Hoc Graecum nomen coaluit ex νεός et πτόλεμος (pro πόλεμος), ita ut *novum* seu *iuvenem bellatorem* significet.

Nepomuceno[i] **Nepomuk**[ge] : Ioannes Nepomucenus ; si originatio spectetur, scribendus est Pomucenus, quod *Nepomuk* Bohemorum sermone significat *ex* (oppido) *Pomuk* ; tamen usus vulgaris induxit appellandi modum : *Nepomucenus.*

Nereide[i]: Nereis, ĭdos, f. m. Altera autem syllaba interdum producitur ; cas. acc. exit in *-ida.* Sequiore aetate scriptum videmus etiam : *Nereida, ae.* Quo nomine appellata est filia Nerei (v. *Nereo*), filia Priami, e. a. Plurali numero eo universe significantur deae maris. Frequentatur ut nomen muliebre in titulis ; cf. C.I.L. II, 3991 ; IV, 1353 (*Neraeis*) ; VI, 22909, VIII, 3929.

Nereo[i]: Nereus,ei, vel ĕos, m. ; c. accus. exit in *-a* (*Nerea*) ; cf. Verg. *Ecl.* VI, 35 ; Tibull. IV, 1, 58 ; Ovid. *Met.* II, 268 et XII, 94 ; Manil. V, 434 ; Stat. *Ach.* II, 301, e. a. Homines in enodandis verborum originibus periti non consentiunt. Videtur autem probabilius derivari a νηρός (ναρές), quo *humidus* significatur. Cf. A. Fick, *Wörterb. d. indogerm. Sprach.* I, 123, 250 – (Mart. Rom. IV Id. Mai. ; XVII Cal. Nov.).

Neri[i] : Rainerius, ii, m. Est enim *Neri* deminutum nomen *Ranieri*, ut Itali appellant, atque praesertim in Tuscia frequentatur. Ad originationem quod attinet, v. *Ranieri.*

Nerina[i]: Nerina, ae, f. Quamvis vox vulgaris Italica *Nerina* primo aspectu ab adiect. It. *nero, a,* cuius vis est *niger, ra,* ducta esse videatur, tamen repetendum est nomen Latinum a prisco verbo, quo effecta sunt nomina Nerio, Neriensis, Nero e. s. Fuit autem Nerio, enis, vetus dea cui idem fere cultus adhibebatur ac Marti (apud Gell. appellatur Neria, unde derivatur Nerina). Vim autem nominis Neronis recte interpretatur Suet., *Tib.* 1, 2 : « quo significatur lingua Sabina fortis ac strenuus ». Huc pertinet etiam Nerva. Animadvertas Oscorum lingua *ner virum* dici, *nerum virorum,* et prisca lingua Indorum *nar* idem valere atque *hominem, virum.* Cf. etiam antiquam deam Germanorum Nerthum, de qua Tacitus, *Germ.*, 40, commemorat.

Nerino[i] : Nerius, ii, m. ; v. *Nerina.*

Nessa[a] **Nessie**[a] : bl. app. pro Agnete.

Nestore[i] **Nestor**[g] **Néstor**[h]: Nestor, ŏris ; m. ; cas. acc. praesertim apud poetas in *-a* exit, more Graecorum ; cf. Hor. *Carm.* I, 15, 22 ; Tibull., IV, 1, 49 i Ovid. *Met.* XIII 63 ; Mart. X, 24, 11 ; in soluta vero oratione plerumque in *-em,* e sermonis Latini ratione ; cf. Varr. *L.L.* 72 ; Cic.

Fam. IX, 14. De origine non satis constat; fortasse nomen petendum est a verbo Graeco νέομαι, cuius vis est *redeo*; videturque esse deminutum nomen, cum olim audivisset *Eunestor* (εὖ - νόστος = *bene* - *reditus*). Cf. Mart. Rom. IV Cal. Febr.; IV Id. Mart.; VI Id. Sept.; VIII Id. Oct.

Netta[a]: bl. app. pro Agnete.

Neville[a]: Novavilla, ae, m. Est cognomen, quod nos dicimus, ductum a fonte Gallico (Neuville = *nova villa*). Saeculo XIX ut nomen coeptum est usurpari.

Nevio[i]: Naevius, ii, m. Est, si originationem spectes, idem nomen atque Gnaei (cf. Praenest. abl. *Gnaivod*); quid vero *naevus* sibi velit, Cicero, *Nat. deor.*, I, 79 edisserit: «est corporis macula naevos», seu nota genetiva (Ital. *neo*). Qui ergo tali nota insignitus est, Naevius appellatur (Arnob.).

Newton[a]: Neotonius , ii, m. Hoc nomine seu potius cognomine, quod pro nomine solet poni, si originem spectes, significatur *novum oppidum* (*ton* = *town*, olim *tuun*, *tûn*, *tounne*, *toun.*; cf. Celt. *dun*, - *dunum*; Germ. med. aet. *zûn*, Germ. rec. *Zaun* = *munitio*, *saepes*). Eo imprimis insignis fuit *Isaacus Newton* (1692-1727), philosophus rerumque naturalium investigator uberrimus. Qui praeclara, quae de huiusmodi disciplina, conscripsit opera Latino quidem sermone, nomine suo ad eam linguam conformato signavit: *Newtonus*, *i.* Malumus vero Anglicum hunc nomen ita detorquere, ut auribus Latinis iucundius sit atque adeo ponere: *Neotonius*, *ii.*

Nicagora[i]: Nicagŏras, ae, m. Ducitur a Graeco fonte: νίκη - ἀγορεύω, quorum verborum prius *victoriam*, alterum *contionari* significat; est ergo nominis interpretatio: *qui de victoria loquitur pro contione.*

Nicaise[g]: v. *Nicasio.*

Nicandro[i]: Nicander, dri, m. Nominis origo sic explicatur: νίκη - ἀνήρ, quasi eo significetur *vir victor.* – (Mart. Rom. Id. Mart. e. a.).

Nicanore[i] **Nicanor**[h]: Nicanor, ŏris, m. Origo eadem esse videtur ac nominis Nicandri; v. *Nicandro.* – (Mart. Rom IV Id. Ian.; Non. Iun.).

Nicasio[i] **Nicaise**[g] **Nicasio**[h]: Nicasius, ii, m. Videtur derivari a nomine insulae Νικασία, prope Naxum sitae, de qua Plin. IV, 12, 23, commemorat. – (Mart. Rom. V Id. Oct.; XIX Cal. Ian.).

Niccolò[i]: v. *Nicola.*

Nice[i] **Nicette**[g] **Nice**[h] **Nike**[ge]: Nice, es., f. Est ipsum verbum Graecum νίκη, quo *victoria* significatur.

Niceforo[i] **Nicéforo**[h]: Nicephŏrus, i, m. Nomen coaluit e verbis Graecis νίκη et φέρω, ita ut eius Latina interpretatio sit: *qui victoriam portat.* – (Mart. Rom. postr. Cal. Iun. e. a.).

Nicholas[a]: v. *Nicola.*

Nick[a] **Nicky**[a]: bl. app. plerumque pro Nicolao usurpata; v. *Nicola.*

Nicodemo[i] **Nicodème**[g] **Nicodemo**[h]: Nicodemus, i, m. Nomen effectum est verbis Graecis νίκη et δῆμος, quorum prius *victoriam*, alterum *populum* significat. Eo ergo appellatur *vir*

qui est quasi victor populi. – (Mart. Rom. III Non. Aug.).

Nicola[i] **Nicolas**[g] **Nicolás**[h] **Nicholas**[a] **Nikolaus**[ge]: Nicolaus, i, m. Est idem nomen atque Nicodemi (v. ib.); λαός enim, perinde ac δῆμος, *populum* significat. – (Mart. Rom. VIII Id. Dec. e. a.).

Nicolangelo[i]: Nicolaus Angelus, m.; v. suis locis.

Nicolina[i] **Nicole**[g] **Nicolette**[g] **Nicolasa**[h]: Nicolais, ĭdis, vel quamvis minus eleganter, Nicŏla, ae, f. Haec nomina a *Nicolao* ducta, quibus feminae appellantur, scripta videmus in veteribus titulis: Nicolais (Νικολαΐς): C.I.L., X, 34556; Nicola (Νικόλα): C.I.G., 2467.

Nicomede[i] **Nicomedes**[h]: Nicomedes, is, m. Hoc nomen, a fonte Graeco derivatum, *victoriam* et *consilium* seu *victorem consilio* (νίκη - μῆδος) significat. – (Mart. Rom. XVII Cal. Oct.).

Nicostrato[i]: Nicostrătus, i, m. Derivatur a Graeco fonte: νικάω, cuius vis est *vinco*, et στρατός, quo *exercitus* significatur; est ergo nominis interpretatio: *exercitus victor.* – (Mart. Rom. XII Cal. Iun.; Non. Iul. e. a.).

Niels[ge]: bl. app. a gentibus Scandinaviae, pro Nicolao usurpata; v. *Nicola.*

Nieves[h] **Nievecitas**[h]: Maria nivalis; v. *Nives.*

Nigel[a]: Nigellus, i, m. Hoc nomen, veteribus iam usitatum (ex adiect. *nigellus, a, um*), derivatur ab adiectivo *niger, gra, grum.* De originatione non satis constat. Probabilior videtur esse coniectura Charpentier, *Glotta* IX, p. 41 sqq., secundum quam coniungitur cum Graec. νηγάτεος; prisc. Ind. *naga,* quo *serpens, elephas, nubes, cadmia* significantur.

Nike[ge]: v. *Nice.*

Nikolaus[ge]: v. *Nicola.*

Nikota: ita a populis Slavicis appellatur Nicolaus; v. *Nicola.*

Nilla[ge] **Nille**[ge]: bl. app. pro Petronilla; v. ib.

Nilo[i] **Nilus**[ge]: Nilus, i, m. Veteres nomen fluminis Nili, quod viris etiam imponitur (cf. S. Nilus), ducebant ἀπὸ τοῦ νέαν κατάγειν ἰλὺν καὶ χερσοῦν τὸ πέλαγος, Lycophr. 119; 119; Schol. Theocr. 0, 114; cf. Serv. *ad Verg. Aen.* IX, 30: « Nilus dictus est quasi νέαν ἰλύν hoc est *novum limum* trahens », e.q.s.; item Isid., *Or.* XIII, 21, 7. Alii fortasse rectius, derivant a voce Aegyptiaca *Nu* vel *Nun,* quod *novam aquam* significat; cf. H. Brugsch, *Die Ägyptol.*, Leipzig 1891, p. 27. – (Mart. Rom. VI Cal. Oct. e. a.).

Nils[ge]: bl. app. a gentibus Scandinaviae pro Cornelio usurpata; v. *Cornelio.*

Nilus[ge]: v. *Nilo.*

Nina[i]: est nomen blandum ab Italis maxime frequentatum, quod plerumque ponitur pro Anna (*Annina*) vel Ioanna (*Giovannina*); v. *Anna, Giovanna.*

Ninian[a]: Ninianus, i, m. Est nomen Celticae originis, cuius interpretatio non est in aperto. – (Mart. Rom. XVI Cal. Oct.).

Nino[i]: Ioannillus, i, vel Ninus, i, m. Itali vulgari nomine *Nino* blande

Ioannem appellare solent. Tamen in veteribus litterarum monumentis etiam nomen *Nini* (*Ninus, i* ; Nίνος vel Nῖνος) scriptum videmus ; cf. Ovid. *Met.* 9, 88 : « Conveniant ad busta Nini » ; Lucan. III, 215 ; *Anth. Lat.* 696 M. et 8556 R. : « Ninus ab Assyriis sum primus regibus ausus ». Videtur coniungi cum nomine Nini-ves, cuius praeclarae urbis, ex veterum fabulis, Ninus exstiterit conditor.

Niobe[i]: Niŏbe, es, vel Niŏba, ae, f. De originatione non satis constat.

Nis[ge]: bl. app. pro Dionysio ; v. *Dionigi.*

Niso[i]: Nisus, i, m. Nomen fortasse derivatum est a Graeco verbo νίω (= *abeo, redeo*), atque adeo idem ferme valet ac *viator.*

Eo appellatus est rex Megarensium, filius Martis (Hygin., *Fab.* 198, 242), deinde pater Dionysi sive Liberi, quem ex Thyone suscepit, ut est apud Cic., *Nat. deor.* III, 23, 58, ac demum Euryali amicus, de quo multa inveniuntur in Vergilii *Aen.* IX, 107-449.

Nomen praeterea in titulis usurpatur ; cf. C.I.L., X, 7536 ; XIV, 4090 ; etiam in vetere titulo christiano, Diehl, 3287 A a : « depositus Nisus... ».

Nita[a]: dem. nom. Hisp. *Anita* vel *Juanita* ; v. *Anna* vel *Giovanna.*

Nives[i]: Maria nivalis, f. Cf. *Lex. Morcellian.* (IV, p. 136) : « Monasterium Virginum Claralium Mariae Sanctae Nivalis ». Recolitur hoc nomine dedicatio Basilicae Liberianae in Exquiliis Nonis Augustis (cf. Mart. Rom.), « quo tempore in Urbe maximi calores esse solent » (cf. *Brev. Rom.*) ; quae ideo facta esse traditur, quod noctu locus prodigiali nive esset contectus.

Noè[i] **Noah**[a]: Noë, es, vel sine postrema syllaba Lat., vel Noa, ae (ut apud quosdam veteres Ecclesiae scriptores). Accusativus exit in *-en* (*Noen*). Ducitur autem a verbo Hebraico *nôahh*, cuius vis est *solacium, quies* ; cf. *Gen.* V, 29.

Noel[g] **Noel**[a]: v. *Natale.*

Noelle[g]: Natalia, ae, f. V. hoc nomen.

Noemi[i] **Noemi**[h]: Noemis, is, f. ; cf. Prud. *Hamart.* 779 : « Illa (Ruth) socrum Noemin fido comitatur amore ». Hoc nomen Hebraicum (*Noemi*, seu *No ʿomi*) *suavitatem* vel *laetitiam* significat.

Nofre[h]: v. *Onofrio.*

Noll[a]: bl. app. pro Olivario ; v. *Oliviero.*

Nora[i] **Nora**[h] **Norah**[a] **Nora**[ge]: bl. app. pro Eleonora ; v. ib.

Norberto[i] **Norbert**[g] **Norberto**[h] **Norbert**[a] **Norbert**[ge]: Norbertus, i, m. Hoc nomen, quod propter S. Norbertum, archiepiscopum Magdeburgensem, maxime invaluit, ducitur a verbis Germanicis *Nord - bert* (*beraht*), quorum priore *aquilo*, seu *vir septemtrionalis* significatur (cf. *Normanno*), alterum idem valet ac *clarus, splendidus* ; id ergo interpreteris quasi *virum clarum e regione septemtrionali.* – (Mart. Rom. VIII Id. Iun.).

Noreen[a]: bl. app. pro Nora seu Eleonora ; v. ib.

Norita[h]: bl. app. ab Hispanis pro

Leonor (= Eleonora) usurpata; v. *Eleonora.*

Norma[i] **Norma**[h] **Norma**[a]: Norma, ae, f. Est quidem norma verbum, ut videtur, a vocabulo Graeco γνώμονα (c. acc.) ductum et per Etruscos a Romanis acceptum (cf. A. Ernout, *Bulletin de la societé de linguistique*, 30, 118), quo significatur instrumentum fabrorum duabus regulis constans, inter se ab uno capite coagmentatis, Latinae litterae L figuram et rectum angulum referentibus (cf. Lex. Forcell.). Per translationem vero *rationem*, *legem*, *praescriptionem* significat. Ut nomen mulieribus ad arbitrium potius inditum invaluit propter Bellini drama musicum, quod *Norma* inscribitur.

Normanno[i] **Norman**[a]: Normannus, i, m. Hoc nomen, verbis Germanicis *Nord* et *Mann* effectum, *virum e regione septemtrionali* significat; ex eo autem praecipue nuncupata est gens, quae in Galliae plaga inter septemtriones et occasum spectante sedem constituit (*Normandia* - *Normandie*). Huiusce nominis origo recte explicatur in *Liudprandi Antapodosi* V, 15 (saec. X conscr.), M.G.H. III, p. 331: « Lingua quippe Teutonum nord aquilo, man autem dicitur homo; unde et Nordmannos aquilonares homines dicere possumus ».

Notburga[ge]: Notburga, ae, f. Interdum scriptum videmus *Notburgis*, sed ex Ecclesiae usu magis probatur exarandi ratio *Notburga.* Nomen effectum est verbis Germanicis *nôt* (Goth. *nauths*; nunc audit *Not*), quo *necessitas* significatur, et *burg* (cf. *bergan*, h. e. *condere*), quod idem valet ac *praesidium.* In *Act. Sanct.* (Ian. II, p. 750; Sept. IV, pp. 709-768; Oct. XIII, pp. 836-841) tres mulieres, hoc nomine insignes atque Sanctorum Caelitum honoribus auctae, recensentur. In *Notis Dedicationum Wettingensibus*, M.G.H. XV, p. 1286, e. a., nomen ita scriptum est: *Notpurga.*

Notker[ge]: Notgerus, i, m. Nomen effectum est verbis Germanicis *nôt* - *ger*, quibus haec est vis subiecta: *necessitas* - *hasta*; alteram autem partem alii esse putant verbum *garo*, quo *paratus*, *promptus* significatur.

Novello[i]: Novellus, i, m. Verbum adiect. *novellus*, *a*, *um*, pertinet ad sermonem rusticum; cf. Cic. *Fin.* V, 14 (*arborem... novellam*); Varr. *R.R.* II, 3 (*novella*, scil. capra); Col. VI, 1 (*novelli iuvenci*); id. VIII, 5 (*novellae gallinae*); Plin. XI, 37, 84 (*sues*) e. s. Novellare autem idem valet ac novum agrum colere, vel novas pangere vites.

Derivatur autem, ut liquet, a verbo *novus*, *a*, *um* cuius origo est **neuos*; cf. Graec. νέος (ex νεϜος); prisc. Ind. *navah*, h. e. *novus*; Heth. *newas*; prisc. Hib. *nue*; Goth. *niujis*; prisc. Germ. *niuwi*; Germ. rec. *neu.* (Walde-Hofmann, II, p. 181).

Nomen Novelli occurrit in veteribus titulis christianis, cf. Diehl, 2513, 3998.

Nowell[a]: v. *Natale.*

Nuflo[h]: v. *Onofrio.*

Nunzia[i] **Nunziata**[i] **Nunziatina**[i]: v. *Annunziata.*

Nunzio[i]: Nuntius, ii, vel Annun-

tius, ii, m. Re quidem vera nomine vulgari *Nunzio* intellegenda est annuntiatio B. Mariae Virginis, cum sit nomen femininum *Nunzia* (*Nunziata*, *Annunziata*) in masculinum genus translatum.

Placuit ergo verbum Annuntii ponere, quo annuntiatio, quae supra dicta est, aliquo modo subauditur.

Apud Apuleium, *De Deo Socr.* p. 164, est, ut videtur, adi. *annuntius, a, um*, quod idem valet ac *qui* (*quae, quod*) *annuntiat*. Substantivi autem vim habet apud Ambros. *Noe* 17,62: «plerique quasi adnuntium futurorum corvum aestimant»; id. *Exam.* 5, 9, 24: «echinus... index futurae tempestatis aut tranquillitatis adnuntius solet esse navigantibus»; id., *Off.* II, 10, 55: «veri se esse annuntium»; ib. I, 2, 6.

Nuto^i: bl. app. pro Benvenuto; v. ib.

Nys^ge: bl. app. pro Dionysio; v. *Dionigi*.

O

Obadiah[a]: Abdīas, ae, m. Huius nominis Hebraici (*Obadhyâh*) interpretatio est : *servus Yâh,* h. e. Domini. In sacris litteris sive Graece (a LXX Interpretibus) sive Latine exaratis, Hebraicum verbum *Obadhyâh* ita deflexum est ut audiat 'Αβδίας, Abdias.

Oberdan[i]: Oberdan, m. Non inclinatur in casus. Hoc nomen revera cognomen, quod nos dicimus, fuit viri Tergestini, patriae studiosi (1858-1882).

Obéron[g] **Auberon**[g]: Adalbero, onis, m. Est nomen Germanicum, effectum verbis *adal - ber* (*bern*), quibus *nobilis ursus* significatur.

Oberto[i] **Obert**[g] **Oberto**[h] : Obertus, i, m. Deducitur a verbis Germanicis *ôd* (*auda*) - *bert* (*beraht*), quorum priore *possessio*, *divitiae*, altero vero *clarus*, *splendens* significantur.

Obie[a]: bl. app. pro Abdia ; v. *Obadiah.*

Ocip : Iosephus, i, m. Nomine enim vulgari Russico *Ocip Iosephus* significatur.

Octavia[h] **Octavia**[a]: v. *Ottavia.*

Octave[g] **Octavio**[h] **Octavius**[a]: v. *Ottavio.*

Oda[i] **Ode**[g] **Odette**[h] **Odeta**[h]: Oda, ae, vel Uda, ae, vel Uta, ae, f. Petitur nomen a prisco verbo Germanico *auda* vel *ôd*, quo *possessio, divitiae* significantur. In M.G.H. saepe scriptum videmus, I, p. 414i; VI, p. 791 ; XIII, p. 131 ; interdum invenitur *Uta*, ut I, p. 414, vel *Uota,* ib., p. 100.

Odalberta[i]: Udalberta, ae, f. Nomen coaluit e priscis verbis Germanicis *uodal* (*odhil*), quo *patria* vel *possessio hereditate accepta* significantur, et e *bert* (*beraht*), cuius vis est *clarus*, *fulgens*.

Oddina[i] **Odina**[i] : Odina, ae, f. ; v. nom. sequ.

Oddone[i] **Odón**[h] **Odo**[a] **Oddo**[ge] : Oddo, onis, vel Odo, onis, m. Est idem nomen atque *Otto*, *onis*, derivatum a prisco verbo Germanico *auda* vel *ôd*, quo *possessio*, *divitiae* significantur. In femininum genus detortum audit *Odina*, *ae*.

Ode[g] **Odette**[g]: v. *Oda.*

Odemar[ge] : v. *Othmar.*

Oderisio[i]: Odericus, ii, vel Oderisius, ii, m. Nomen conflatum est e verbis Germanicis *auda* (*ôt*, *ôd*), quibus *possessio* significatur , et *rîhhi* (*ricja*), in quo inest vis *dominandi.* Nomen Oderisii scriptum videmus

in M.G.H. *Script. rer. Langob.*, p. 489, e. a.

Odetta[i] **Odette**[g]: bl. app. pro Oda; v. ib.

Odilia[i] **Odile**[g] **Odile**[a] **Odilie**[ge] **Ottilie**[ge]: Odilia, ae, f. Est nomen Germanicum *uodal*, in Latinam rationem deflexum. Prisco autem verbo illo significatur *patria* vel *possessio hereditate accepta*. Cf. M.G.H. II, 570, XVII, 87; Förstemann, 996.

Odilone[i] **Odilon**[g] **Odilo**[ge]: Odĭlo, onis, m. Est nomen priscum Germanicum *uodal* (apud Anglos et Saxones audiebat *odhil*), quod, cum *auda* vel *ôd* (cf. *Otmarus* - *Otto*) cognatione coniunctum, *patriam* vel *possessionem hereditate acceptam* significat; cf. Förstemann, p. 1182 sq. In Mart. Rom. S. Odilonis sollemne Cal. Ian. recensetur.

Odino[i]: Odinus, i, m. Verbo *ûdhin* (*Odin*) Scandinaviae gentes commenticiorum numinum summum appellabant, quod ceteri Germani *Wuotan* (*Wotan*, *Wodan*) vocare consueverant (cf. *wüten*, h. e. *furere*).

Odo[a]: v. *Oddone*.

Odoacre[i] **Odoaker**[ge] **Ottokar**[ge]: Odoacer, cri, vel cris, m. Hoc nomen, Langobardis praesertim olim usitatum (*Audovacar*, *Audoachari*; Ὀδόακρος apud Procop.), ducitur a verbis Germanicis *auda* (*ôd*), quo *possessio*, *divitiae* significantur, et a *wachar* (nunc dicitur *wacker*), cuius vis est *vigil*. In veteribus litterarum monumentis non uno modo scribitur: *Gest. Pont.* M.G.H. I, p. 114: *Odobacer*; *Origo Gent. Langobard.*, M. G. H. XXX, p. 3: *Audoachari*; *Pauli Hist. Langobard.*, ib., p. 47: *Odaacar*; *Agnelli liber Pontificalis Ecclesiae Ravenn.*, ib. p. 303: *Odovacer*, sed communior est scribendi ratio initio proposita.

Odoardo[i] **Odoardo**[h]: Odoardus, i, m. Est idem nomen atque Eduardi (v. ib.), prior enim nominis pars apud plerosque Germanos, qui olim fuerunt, audiebat *ôd* (*auda*), h. e. *possessio*, *divitiae*, apud Anglos vero atque Saxones *ead*, *êd*. Altera pars effecta est verbo *wart* (*ward*), in quo inest vis *custodiendi* (cf. It. *guardia*).

Odulfo[i] **Odulf**[ge]: Odulfus, i, m. A nonnullis perverse scribitur Odulphus; ducitur autem nomen a verbis Germanicis *auda vel ôd*, quo *possessio*, *divitiae* significantur, et *wolf* (*wulf*), cuius vis est *lupus*; cf. *Adolfo*.

Ofelia[i] **Ofelia**[h] **Ophelia**[a]: Ophelia, ae, vel Ofelia, ae, f. Nomen invaluit propter fabulam scaenicam Villelmi Shakespeare, quae *Hamlet* inscribitur. Deductum esse videtur a verbo Graeco ὠφέλεια = *auxilium*, *utilitas*. Fortasse autem coniungi potest cum nomine Ofelii; v. *Ofelio*.

Ofelio[i]: Ofelius, ii, m. Est nomen viri e gente Ofelia, quae Offelia saepius scribitur, unde putant a verbo *offa* vel *offella* id ductum esse. Re enim vera haec memorantur nomina a veteribus usurpata: Offa, Offanius, Offellus, Offella, Offellius. Cf. Walde-Hofmann II, p. 204. De originatione non satis constat. Alii vero, minus probabiliter, derivant a Graec. ὠφελός, unde scribunt *Ophelium*.

Ognissanti[i] **Toussaint**[g]: Panhagius, ii, m. Ita videtur Latine reddendum

vulgare nomen quod propter religionem *Omnium Sanctorum* (Cal. Nov.) pueris solet imponi. Ducitur autem a Graecis verbis πᾶς, πᾶσα, πᾶν, et ἅγιος (h. e. *omnis - Sanctus*). Nomen *Ognissanti* ab Italis plerumque deminuitur, ita ut audiat *Sante* vel *Santi*. Cf. Sertoli Salis, p. 171 ; Tagliavini, p. 373.

Oger[g] **Otger**[ge]: Otigerus, i, m. ; cf. *Edgar*.

Olaf[ge]: Olavus, i, vel Olaus, i, m. De originatione huius nominis Scandinavi, a verbo primigenio, ut videtur *olf* petendi, non satis constat ; cf. Förstemann, p. 1178-1179. Recensetur S. Olavus in Mart. Rom. IV Cal. Aug.

Olalla[h]: v. *Eulalia*.

Olao[i] **Olao**[h]: v. *Olaf*.

Olegario[h]: Ollegarius, ii, vel Aldegarius, ii, m. Nomen coaluit e verbis Germanicis *alt* ((Goth. *alds*), quo *vetus, aetate provectus* significatur, et *garo*, cuius vis est *telum missile, iaculum*. Nomen *Aldegar* scriptum legimus in opere, cui index *Polyptique de l'abbé Irmion par Guérard*, Paris 1844, p. 18, 26.

S. Ollegarii, Canonici Regularis et Episcopi Barcinonensis, sollemne celebratur VII Non. Aug.

Olga[i] **Olga**[h] **Olga**[a] **Olga**[ge]: Olga, ae, f. Valet idem atque Helga (v. ib.), sed in linguae Russicae rationem eo modo translatum, iam vim nominis proprii obtinet.

Olimpia[i] **Olympe**[g] **Olimpia**[h]: Olympia, ae, f. (v. *Olimpio*) ; cf. Diehl, 1382, 3174, 4663 e. a.

Olimpio[i] **Olimpio**[h]: Olympius, ii, m. Hoc nomen pertinet aut ad montem Olympum, in quo Iuppiter excolebatur, aut ad Olympiam, urbem in Peloponneso itam, ob ludos celeberriman. – (Mart. Rom. prid. Cal. Iun et VII Cal. Aug.).

Olindo[i] **Olindo**[h]: Olynthus, i, m. Nomine Ὄλυνθος appellatur urbs Thraciae, ad Chalcidices oram posita et, ut fabulantur, ab Herculis filio, cui nomen Olyntho, condita, unde nonomen accepisset. Idem vero in veteribus titulis etiam aliis viris impositum videmus ; cf. *Popidius Olynthus*, C.I.L., X (ind.), p. 1093 ; item (*Olintus*) apud H. Pais, *Suppl. Ital. C.I.L.*, 1077, 1080.

Olinto[i]: v. *Olindo*.

Oliva[i] **Oliva**[h]: Oliva, ae, f. Hoc verbum, quo et fructus oleae et ipsa arbor, quae olivam producit, significatur, deductum est ab *élaiva* ; cf. Graec. ἐλαί(F)α, h. e. *olea*. Utriusque autem origo est, ex E. Meillet (*Ling. hist.*, 302 sq.) sententia, Aegaea. S. Olivae virginis sollemne recensetur in Mart. Rom. III Non. Ian.

Olive[a]: v. *Olivia*.

Oliver[a]: v. *Oliviero*.

Olivia[i]: Olivia, ae, f. Hoc nomen, quod apud nullum veterem scriptorem invenitur, petitur ab *oliva* ; cf. *Oliva*.

Oliviero[i] **Olivieri**[i] **Olivier**[g] **Oliverio**[h] **Oliver**[a]: Olivarius, ii, m. Adiectivum *olivarius, a, um*, quod hic vim nominis obtinet (cf. Colum.: *olivariae metretae*), derivatur ab *oliva* ; cf. *Oliva*.

Ollie[a]: bl. app. pro Olivia vel Olivario ; ct. *Olivia, Oliviero*.

Omberto[i]: v. *Umberto*.

Omer[g]: Odemarus, i, m. In Mart. Rom. (XVI Cal. Dec.) recensetur hoc nomen cum *h* littera post *t* (*Othmarus*), quae tamen aspiratio est supervacanea. Ducitur enim nomen a priscis verbis Germanicis *auda* (Goth. *audags*) vel *ôd*, quo *possessio*, *divitiae* significantur (cf. Germ. rec. *Kleinod*), et a *mar*, cuius vis est *inclitus*, *celebratus*. Est ergo interpretario : *vir divitiis inclitus* ; cf. Förstemann, p. 198, et infra *Othmar*.

Omero[i]: Homerus, i, m. De originatione praeclari huius nominis non constat, cum sive veteres sive recentiores e multiplici fonte deducant. De quorum conatibus v. Curtius, *De nomine Homeri*, Kiel 1855. Non ita pridem vir litteratus quidam nomini vim subiecit *pugnae* seu *proelii*.

Omobono[i]: Homobonus, i, m. Ex usu Ecclesiae dicitur Homobónus, quamquam paenultima syllaba brevis est ; non enim ita arte verbum *bonus* coniunctum est cum verbo priore. Cuius rei alia exempla in lingua Latina deprehenduntur ; cf. *benefácit*, *calefácit*, quem appellandi modum veteres grammatici docent. – (Mart. Rom. Id. Nov.).

Omodeo[i]: Homodeus, i, m. Est nomen media, quam dicimus, aetate confictum (crebrius in Tuscia occurrit) ; cuius intellectus est apertus : *homo Dei*.

Onesimo[i] **Onésime**[g] **Onesimo**[h]: Onesĭmus, i, m. Hoc nomen Graecum ('Ονήσιμος), servis olim plerumque inditum, virum *utilem* significat. – (Mart. Rom. XIV Cal. Mart.).

Onila[h]: bl. app. ab Hispanis pro Petronilla usurpata ; v. ib.

Onimus[ge]: bl. app. pro Hieronymo ; v. *Gerolamo*.

Onofrio[i] **Onofre**[h]: Onuphrius, ii, m. Sunt qui opinentur hoc nomen derivatum esse ab urbe *Onuphi* (*Onuphis*, *is*, vel *eos* ; cf. Plin. V, 9, 9 : « Onuphites nomus » ; hodie audit *Nuf*). Secundum alios, fortasse rectius, revocatur ad cognomen Aegyptium *Onnophris*, quod Osiridi adiciebatur, cuiusque haec videtur fuisse significatio : *qui sempes felix est* ; cf. Tagliavini, p. 190.

Quo nomine appellatus est anachoreta Thebaidis, cuius vitam, virtutis laudibus insignem, scripsit Paphnutius, et quae a scriptore quodam Latine est reddita (*P.L.* 73, 212-226). Eius sollemne in Mart. Rom. prid. Id. Iun. recensetur.

Onorata[i] **Honorata**[h]: Honorata, ae, f. Cf. *Onorato*.

Onorato[i] **Honoré**[g] **Honorato**[h]: Honoratus, i, m. Hoc participio, a verbo *honorandi* ducto, non solum significatur : *honore affectus*, sed etiam : *honore dignus*, *illustris* ; quod a Romanis indebatur iis, qui magistratus gesserant vel gerebant. De origine autem verbi *honos* (*honor*), unde nomen derivatum est, non satis constat. – (Mart. Rom. XVII Cal. Febr. e. a.).

Onorio[i] **Honorio**[h]: Honorius, ii, m. Ducitur, ut liquet, a verbo quod est *honos* vel *honor*. – (Mart. Rom. VIII Cal. Mai. e. a.).

Opelio[i]: Opelius, ii, m. Est alia scribendi ratio nominis Opilii (v.

Opilio). Hoc nomine appellabatur imperator Romanus (M. Opelius Macrinus).

Ophelia[a]: v. *Ofelia*.

Opilio[i]: Opilius, ii, m. Hoc nomen, si fidem habemus Villelmo Schulze, p. 276, derivatur a voce Etrusca *upus*, non ab *opilione* seu *upilione* (quod verbum ductum est ab *ovipilio*; inest ergo vox *ovis* et *pellere*).

Opimio[i]: Opimius, ii, m. Derivatur ab adi. *opimus, a, um*; cf. πιμελή, h. e. *adeps*; *pinguis*, ex **pimguo*.

Orazio[i] **Horace**[g] **Horacio**[h] **Horace**[a]: Horatius, ii, m. Missis aliis originationibus, nomen deducimus cum V. Schulze, p. 356, a fonte Etrusco; cf. C.I.E. 2316: *huras'*; 3006: *hurace*; 1113: *huratn*.

Oreste[i] **Orestes**[ge]: Orestes, is vel ae, m.; c. gen. exit in *-is* apud Ovid., *Her*. VIII, 9; Iust. XVII, 3, 7; Solin. 1, 90; in *-ae* apud eundem Ovid. *Trist*. I, 9, 27; interdum etiam in *-i* (cf. *Achilli, Ulixi*) apud Gell. VII, 5. — C. dat. in *-ae*, apud Mart. VI, 11, 3; in *-i*, Ovid. *Her*. 8, 59. – C. acc. in *-em* apud Enn. tr. 136 (227); Cat. *orig*. III, 1; Cic. *Tusc*. III, 11; Ovid. *Rem. am*. 589 e. a.; in *-en* apud Cic. *Fin*. II, 24, 79; Propert. II, 14, 5. Sen. *Tro*. 555, et *Agam*. 931; Stat. *Theb*. 1, 476; Mart. VI, 11, 9. Suet. *Ner*. 21; *Anth. Lat*. 794, 13, R. Nomine Orestis (Ὀρέστης) significatur *monticola*, seu *is qui in montibus versatur*; cf. *Schol. Hom*.: Ὀρέστης, ἐν ὄρεσι διατώμενος. In Mart. Rom. duo recensentur Caelites hoc nomine insignes: V Id. Nov. et Id. Dec. In titulis occurrit etiam nomen feminino genere expressum: *Orestina*; cf. Diehl, 12161.

Oretta[i]: bl. app. pro Laura (*Lauretta*); v. ib. Videtur enim per errorem littera *l* habita esse articulus Italicus: *l'Oretta* (*Loretta* itidem pro *Lauretta* dicebatur), atque deinde idem articulus evanuisse: *Oretta*.

Orfeo[i]: Orpheus, i, m. C. gen. exit in *-i*, (cf. Cic. *Nat. deor*. I, 15; Hygin., *Fab*. 14) vel in*-eos* (cf. Verg. *Culex* 269; Ovid., *Ibis* 600; Stat. *Silv*. II, 7, 40 et 99; Auson. *Edyll*. 11, 74 e. a.); c. acc. vel in *-eum* vel in *-a* (*Orphea*). Originem vocis veteres petebant ab ὡραία φωνή, quod idem valet atque *optima vox*; cf. Fulg. *Mythol*. III, 10, et *Mythogr. Vat*. III, 8, 20; recentiores vero a verbo Phrygio *orbheu*; W. Tomaschek, *Sitzungsber. d. Wien. Akad. d. Wiss*. 130, 1893, p. 52, vel a prisco Indico *arbhu*.

Oriana[a]: Oriana, ae, f. Est nomen commenticium, deductum fortasse a verbo *oriendi*; cf. Partridge, p. 218.

Orlando[i] **Roland**[g] **Rolando**[h] **Roland**[a] **Roland**[ge]: Rolandus, i, m. Nomen effectum est verbis Germanicis *hrôth* (*hrod, rod*) et *land*, quorum priore *gloria*, altero *terra, regio* significatur. Qui ergo *gloria in sua floret regione*, eo appellatur; cf. Förstemann, 909. Fieri autem potest ut altera nominis pars (*land*) sit corrupta, scilicet *land* e vulgi consuetudine positum sit pro *nand* (cf. Goth, *nantjan*; prisc. Germ. *nendan*, h. e. *audere*); cui vocabulo haec est vis subiecta: *audax*.

Ormisda[i]: Hormisdas, ae, m. Est nomen Persicum *Ohrmazd*, vel, ut antiquius appellabatur, *Ahura-mazdâh*, ad Graeci sermonis rationem accommodatum (Ὁρμίσδης vel Ὁρμίσδας). Ita vocitabatur deus maximus apud Iraniae gentes (nominis significatio est: *dominus sapiens*). Hoc nomen inditum erat quibusdam regibus Persarum ac Summo Pontifici (514-523), qui, Sanctorum Caelitum honoribus insignis, in Mart. Rom. VIII Id. Aug. recensentur.

Ornella[i]: Ornilla, ae, f. Hoc nomen novatum est quidem, nititur autem vetere cognomine Latino, quod in titulis legimus scriptum: *Ornus, i*, m.; cf. *Bull. epigr.*, 1883, p. 235; *Orne, es*, f., C.I.L., II, 206 (*Iulia Orne*). Sunt qui vulgare nomen *Ornella* ab orno, quo verbo fraxinus silvestris significatur, deducant, quod minus probatur.

Oronzio[i] **Oronzo**[i]: Orontius, ii, m. Videtur derivari a nomine fluminis *Orontis*, Antiochiam in Syria interluentis, quod a Iuvenale, I, 3, 62, per translationem sumitur pro Syria: « Iam pridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes – Et linguam et mores et cum tibicine chordas — Obliquas nec non gentilia tympana secum — Vexit et ad circum iussas prostare puellas ». Orontes autem derivatur, ut conici licet, a sermone Persarum. Ad Orontium, virum Christianum, Augustinus scripsit epist. 257, qua eum maxime laudavit. – (Mart. Rom. XI Cal. Febr.).

Orosio[i]: Orosius, ii, m. Nomen petendum videtur ab origine Hispanica (cf. On. Perin).

Orso[i] **Ours**[g] **Urso**[h]: Ursus, i, m.; cf. Graec. ἄρκτος; prisc. Ind. *rkash*; Celt. *art* (= *ursus*). In Mart. Rom. III recensentur Caelites ita appellati.

Orsola[i] **Ursule**[g] **Ursula**[h] **Ursula**[ge]: Ursula, ae, f. Cf. *Orso*. In Mart. Rom. recensetur sollemne S. Ursulae XII Cal. Nov.

Ortensia[i] **Hortensia**[h]: Hortensia, ae, f.; v. *Ortensio*.

Ortensio[i] **Hortensio**[h]: Hortensius, ii, m. Hoc nomen primo aspectu pertinere videtur ad *hortum*; cf. *Iuppiter Hortensis*, Inscr. apud Marini, *Frat. Arv.* p. 390. Hortensia praeterea dicuntur, quae in hortis seruntur; cf. Plin. XIX, 6, 31: « Hortensiis omnibus fere singulae radices, ut raphano, betae, apio, malvae ». Tamen secundum Schulze, p. 174 sqq., nomen *Hortentius* (quod et *Hortenzius*, ut videtur, interdum scribitur) a fonte Etrusco est derivatum; cf. Umbr. *Hurtentius*.

Orthilde[ge]: Orthildis, is, f. Nomen effectum est priscis verbis Germanicis *ort*, quo *acies teli*, praesertim *gladii*, significatur (v. *Ortlieb*), et *hild*, cuius vis est *proelium*. Est ergo eius interpretatio quasi *bellatrix acie gladii*.

Ortlieb[ge]: Ortlibus, i, m. Verbum *ort*, quod nunc vulgo idem valet ac *locus*, in prisco tamen Germanorum sermone significabat etiam *aciem teli*, praesertim *gladii* (Förstemann, 1179; W. Wackernagel, *Altd. Handwörterbuch*, p. 229). Altera nominis parte *lieb* (olim *liub*) significatur

carus. In *Annalibus Monasteriensibus*, ad a. 1154-1158, M.G.H., III, p. 154, ad Latinam rationem conformatum est nomen : *Orthlibus* ; non est autem cur post litteram *t* ponatur *h*. Cf. et M.G.H. X, 21, 22, 64, 92 ; XIII, 287 (*Ortlivus*).

Ortlinde[ge]: Ortlinda, ae, f. Coaluit nomen e priscis verbis Germanicis *ort*, quo *acies gladii* aliusve *teli* significatur, et *lind*, quod idem valet atque *scutum tiliaceum* ; cui quidem verbo (*lind-linta*) etiam alia vis subicitur : *flexibilis*, *serpens*, *balteus*, *fons* ; cf. Förstemann, 1008.

Ortwin[ge]: Ortvinus, i, m. Hoc nomen coaluit e priscis verbis Germanicis *ort*, quo *acumen teli* vel *gladii* significatur, et *win*, cuius vis est *amicus*. In *Catalogo Abbatum Castellensium*, M.G.H. XIII, p. 337 nomen ita scriptum videmus *Ortwinus* ; placet autem parce detortum ad sermonis Latini rationem conformare (*Ortvinus*).

Osberta[ge]: Osberta, ae, f. ; v. nom. sequ.

Osbert[a]: Osbertus, i, m. Coaluit e priscis verbis Germanicis *ans* (*âs*, *ôs*), quo *fabulare numen* significatur, et *bert* (*beraht*), quod idem valet ac *fulgidus*, *splendens*.

Osborn[a]: Osbornus, i, m. Derivatur a verbis Germanicis *ans* (*âs* vel *ôs*), quo *numen fabulare* significatur, et *berin*, quod idem valet atque *ursus* ; hoc enim apud Anglos Saxonesque, quibus est nomen proprium, deflexum est in *beorn* (Förstemann, 120 sq.).

Oscar[i] **Oscar**[g] **Oscar**[h] **Oscar**[a] **Oskar**[ge]: v. *Ansgario* ; quod nomen apud Scandinaviae gentes *Oscar* audit (ductum ex *ôs* - *gari*).

Osea[i]: Osee, m. Non declinatur in casus. Nomen, quo appellatur unus e prophetis minoribus Veteris Testamenti, ductum est a fonte Hebraico : ab *Hôshea'*, seu a pleniore dictione *Hôsha' Yâh*, qua significatur : (*quem*) *liberavit Dominus*.

Oskar[ge]: v. *Oscar*.

Osmondo[i] **Osmond**[a] **Osmund**[ge] : Osmundus, i, m. Nomen effectum est priscis verbis Germanicis *ans* (apud Scandinavos *ôs* audit), quo *fabulare numen* significatur, et *mund*, cuius vis est *tueri*, *munitio*, *praesidium*, cf. μύνη ; *munio*). Qui ergo *Dei praesidio obtectus est*, hoc nomine appellatur. Scriptum videmus secundum sermonis Latini rationem, ex. gr., in M.G.H. V, p. 468 et in Mart. Rom. prid. Non. Dec.

Osred[a]: Osredus, i, m. Hoc nomen, e vetere sermone Anglorum Saxonumque sumptum, significat eum *qui deum* (*ans* - *âs* - *ôs*) *in consilium* (*rât* - *rad* - *raed* ; cf. *Alf* - *raed*) *adhibet*.

Osric[a]: Osricus, i, m. Coaluit e priscis verbis Germanicis *ôs*, quod a Scandinavis pro *âs*, *ans* usurpatum *fabulare numen* indicat (*Ase*), et *rîhhi* (*ricja*), quo *dominator*, *rex*, *potens* significatur.

Ostilio[i]: Hostilius, ii, m. Nomen, ut liquet, deductum est ab *hoste* (*hostilis*, *e*) ; cf. Paul, ex Fest. 102 : « hostis apud antiquos peregrinus dicebatur, et qui nunc hostis, perduellis ». Vox primigenia est *ghostis*,

cf. Goth. *gasts*, Germ. *Gast* = *peregrinus*, *hospes*.

Hostilius est nomen virile gentis Romanae antiquae, eoque plures, ut socius Romuli, tertius post Numam rex, mimographus extremis rei publicae temporibus, sunt appellati.

Osvalda[i] **Oswalda**[ge]: Osvalda, ae, f.; v. *Osvaldo*.

Osvaldo[i] **Oswald**[g] **Osvaldo**[h] **Oswald**[a] **Oswald**[ge]: Osvaldus, i, m. Coaluit e priscis verbis Germanicis *ans* (quod apud Scandinavos deflexum est in *ôs* atque *numen fabulare* significabat; cf. *Ase*) et *wald* (*walt*, *valdan*), in quo est vis *dominandi*, seu potius e *weald*, uti Angli Saxonesque appellabant (= *potentia*). Est ergo interpretatio, *qui Dei virtute dominatur*. – (Mart. Rom. Non. Aug.).

Oswalda[ge]: v. *Osvalda*.

Oswin[ge]: v. *Ansovino*.

Otbert[ge]: Odbertus, i, m Est idem nomen atque Edberti (v. ib.).

Otello[i] **Otelo**[h]: Othellus, i, m. Nomen non invenitur in veteribus litterarum monumentis, sed est a *V. Shakespeare*, scaenicarum fabularum scriptore uberrimo, factum. Invaluit autem maxime postquam Iosephus Verdi drama musicum eo nomine (*Otello*) inscripsit. Quamvis, ut supra dictum est, nomen a poeta Britanno illo sit novatum, conici tamen licet nomen Ottonis cum Italica terminatione *-ello*, qua blande verbum aliquod profertur, menti eius esse obversatum. Cum autem haec origo incerta sit, aptius ponitur ipsum nomen *Othello*, quo usus est *V. Shakespeare*, idque ad sermonem Latinum accommodatum.

Othmar[ge] **Otmar**[ge]: Otmarus, i, ex usu Ecclesia scribitur Othmarus, i, m. tamen non est, cur *h* littera inter *t* et *m* interponatur. Nomen derivatum est a verbis Germanicis *auda*, prisc. Saxonic. *ôd* (apud Anglos Saxonesque *ead*), quo *divitiae*, *possessio* significantur (cf. Goth. *audags*, Germ. *Kleinod*, *Allod*), et prisc. Germ. *mâri* (cf. Germ. recens *Marenuntius*, *fabula*), cuius vis est *clarus*. Est ergo, ad originem quod attinet, idem nomen atque *Audomasus*. – (Mart Rom. XVI Cal. Dec.).

Otone[i] **Othon**[g] **Oton**[h]: Otho, onis, m. Hoc nomen quoad originationem omnino discrepat a Germanico nomine Ottonis (v. ib.); derivatur autem a voce Etrusca *u0un*; cf. Schulze, p. 202; C.I.E. 145. Re quidem vera gens imperatoris Othonis oriunda est ex oppido Ferentio in Etruria. De hoc nomine commemorant veveteres scriptores Latini, ut Catull. 54, 1: « Othonis caput oppidost pusillum » (scill. Ferentii in Etruria«; Cic. *Or.*, 160, defendit ex vulgi consuetudine hov vocabulum sine aspiratione efferri. Cf. veteres titulos apud Diehl, 229, 230, 241, 1807, 7371.

Otmund[ge]: v. *Edmondo*.

Otriade[i]: Othryădes, is, m. Ut extremis syllabis significatur, vir hoc nomine appellatus est filius (vel nepos) Othryae. Fuit Othryades Panthus arcis Iliacae Phoebique sacerdos, cf. *Verg. Aen.* II, 318-321: « Ecce autem telis Panthus elapsus

Archivum, — Panthus Othryades, arcis Phoebique sacerdos, — sacra manu victosque deos parvumque nepotem — ipse trahit cursuque amens ad limina tendit ».

Ottavia[i] **Octavia**[a]: Octavia, ae, f. ; cf. *Ottavio*.

Ottavio[i] **Octave**[a] **Octavius**[a] : Octavius, ii, m. Hoc nomen ductum, quemadmodum liquet, a numero *octo*, *eum* significat, *qui octavo loco recensetur*. – (Mart. Rom. XII Cal. Dec.).

Ottone[i] **Otton**[g] **Oton**[h] **Otto**[a] **Otto**[ge] : Otto, onis, m. Hoc nomen, saepissime usurpatum, ducitur a prisco verbo Germanico *auda* (Goth. *audags*) vel *ôd*, quo *possessio*, *divitiae* significantur ; cf. Förstemann, p. 186 sq. Cavendum ne confundatur cum nomine Othonis (*Otho* ; v. ib.), quod a Catullo, 54, 1 ; Cicerone, *Or*. 48, Horatio, *Epod*. IV, 16, et in C.I.L., III, 3052, e. a. memoratur. Imperatores Germani, quibus nomen *Otto*, fere semper hoc ipso modo (*Otto*) id exarare soliti sunt, rarius vero scripserunt *Odo* vel *Oto* ; cf. Förstemann, 187.

Ottokar[ge] : v. *Odoacre* ; a nonnullis autem ponitur : *Ottocarus*, *i*.

Ottorino[i]: Ottorinus, i, m. Blandum nomen vulgare Italicum *Ottorino* ductum est ab *Ottone*, videturque olim audivisse *Ottolino* ; cf. Tagliavini, p. 219.

Ouen[g]: Audoënus, i, m. Est idem nomen atque Germ. *Aldwin* (= *nobilis* (*adal*) - *amicus*(*win*)). – (Mart. Rom. IX Cal. Sept.).

Ours[g]: v. *Orso*.

Ovidio[i] **Ovide**[g]: Ovidius, ii, m. Nominis origo peti solet ab *ove* seu *ovibus*, ut Porcius a porcis; cf. prisc. Ind. *avih* ; Graec. ὄϊς (prisc. ὄFις).

Owen[a]: Eugenius, ii, m. (v. ib.). Quamvis de originatione nominis Owen non omnes consentiant (alii ducunt a Celtico *oen*, h. e. *agnus* ; alii a Celt. *eoghunn*, h. e. *iuventus*), videtur tamen esse vocabulum *Eugenius* ad Celtarum linguam conformatum ; cf. Partridge, p. 220.

P

Pablo[h]: v. *Paolo.*

Pacifico[i]: Pacifĭcus, i, m. Hoc nomine significatur homo *pacem faciens* seu *auctor pacis* ; cf. *paciscor, paco, pactio.* Caelitis ita appellati sollemne recensetur in Mart. Rom. VIII Cal. Oct.

Pacomio[i]: Pachomius, ii, m. Est nomen Aegyptium, quod Graecis litteris scribitur Παχούμ vel Παχούμιος ; cf. inscr. Philenis, parva in insula Nili (W. Pape, *Wörterbuch der griechischen Eigennamen*, Braunschweig 1863-1870, II, p. 1153). Quo praesertim appellatus est monachus Aegyptius, S. Antonii aequalis, cuius sollemne in Mart. Rom. VII Id. Mai. recensetur; cf. etiam VI Cal. Dec.

Paddy[a]: bl. app. pro *Patricio* ; v. *Patrizio.*

Padraic[a]: v. *Patrizio.*

Palemone[i]: Palaemon, ŏnis, m. C. acc. exit plerumque in *-em*, interdum more Graecorum in *-a* ; cf. Ovid. *Her.* 17, 159 ; *Met.* 4, 54 ; Stat. *Theb.*, I, 122 et VII, 431. Ducitur a verbo Graeco παλαίω, quod idem valet ac *luctor* ; est ergo nominis interpretatio : *luctator.* – (Mart. Rom. III Id. Ian.).

Palamede[i]: Palamedes, is, m. ; apud Martial. XIII, 75, 2, casus rectus exit in *-is* ; c. acc. exit vel in *-em*, cf. Cic. *Tusc.* I, 41, 98 ; Tac. *Ann.* XI, 14, e. a., vel, more Graeco, in *-en*, cf. Ovid. *Met.* XIII, 308, Quintil., III, 1, 10 ; Plin. VII, 56, 57. Hoc nomen, quo appellatus est filius Nauplii, regis Euboeae, derivatur a παλάμη - μήδομαι (h. e. *palma-meditor, invenio*).

Palladio[i]: Palladius, ii, m. Nomen ductum est a *Pallade*, cognomento Minervae. Exstant Palladii, viri Romani, libri XIV non inelegantes, quos de re rustica scripsit.

Pallante[i]: Pallas, antis, m. ; c. acc. exit in astricta oratione plerumque in *-em*, in soluta in *-a.* A veteribus scriptoribus plures viri, hoc nomine insignes, memorantur, in quibus filius Euandri, apud Verg. *Aen.*, VIII. Ducitur autem a verbo Graeco πάλλω, quod idem valet ac *iacio* , *vibro.*

Palma[i]: Palma, ae, f. Hoc nomen puellis imponi solet propter religionem *dominicae palmarum.* Verbo palma significatur imprimis *vola*, seu pars plana et paulum concava manus (cf. prisc. Ind. *panih*, h. e. *manus* ; Graec. παλάμη, h. e. *manus plana*). Quae omnia repetenda videntur a

verbo primitivo *pela-*, in quo est vis *pandendi* ; cf. *palam*, *planta*. Eodem nomine praeterea appellatur arbor (*phoenix dactylifera*), cuius fructus dactylus (h. e. digitus) dicitur, quod ramis est expansis in modum manus hominis explicatae, ; cf. etiam *palmes*, h. e. vitis ramus utilis ad fructum ; quae sarmenta ita vocantur, ut ait Paul. ex Fest 246, « quod in modum palmarum humanarum virgulas quasi digitos edunt » (cf. Walde-Hofmann, II, p. 240 sq.).

Palmira[i] **Palmyre**[g] **Palmira**[i] : Palmaria, ae, f. Nonnulli, ut Fumagalli, p. 201, et Sertori Salis, p. 181, de Palmyra (Παλμύρα) commemorant, quae fuit urbs opulenta Coelesyriae ; cf. Plin., *Nat. hist.* II, 25, 21 : « Palmyra urbs nobilis situ, divitiis soli et aquis amonis, vasto undique ambitu arenis includit agros ac velut terris exempta a rerum natura ». Sed verius nomen ad palmarium pertinet, quo nomen media, quam vocant, aetate peregrinatores e Palaestina redeuntes appellabantur. Praeterea nomen, ut dictitant, imponi solet ob religionem diei palmarum. V. *Palmiro*.

Palmiro[i]: Palmarius, ii, m. Adiectivum Latinum *palmarius, a, um* (perinde ac *palmaris, e*) significat *ad palmam pertinens* et maxime *palma dignum, optimum, praecipuum* ; cf. Ter. *Eun.* 5, 4, 8 : « Id vero est, quod ego mihi puto palmarium, me reperisse, quomodo adulescentulus meretricum ingenia posset noscere ».

Media vero, quae appellatur, aetate palmarius dicebatur peregrinator redux e Palaestina ; cf. C. Du Cange, *Glossarium Mediae et infimae Latinitatis*, VI, p. 121 : « Palmarii porro dicebantur, qui peregrinationem Hierosolymitanam seu ex voto ac pietatis intuitu, vel cruce ac sacra expeditione suscepta, in patriam redierant, quod in signum exactae istius peregrinationis palmarum, quarum ferax est Syria, ramos prae manibus redeundo deferrent. Rationem delatae palmae aliam profert Durandus lib. I Ration. Cap. 3, n. 14 : 'Qui de Hierosolymis veniunt, Palmam in manibus ferunt, in signum quod illi Regi militarunt, qui Hierosolymis cum palmis honorifice receptus est' ». Cuius modi peregrinator pietatis causa Gallico sermone vocabatur *paumier*, Italico vero *palmiere* (saec. XIV, apud Dantem Alagherium), unde etiam cognomen, quod dicimus, *Palmieri* derivatum est (cf. C. Battisti - G. Alessio, *Dizionario Etimologico Italiano*, IV, p. 2735). E vulgari voce *paumier*, *palmiere* deducitur nomen *Palmiro*, *Palmira* ; quod quidem e vulgi interpretandi consuetudine indi solet infantibus ob religionem diei dominicae Palmarum.

Pam[a]: bl. app. pro *Pamela*.

Pamel[i] **Pamela**[a]: Pamela, ae, f. Est nomen commenticium, a Samuele Richardson, fabulae Milesiae scriptore, confictum et a Carolo Goldoni aliisque usurpatum.

Pamfilo[i] **Panfilo**[i] **Pánfilo**[h] : Pamphĭlus, i, m. Nomen repetitur a verbis Graecis πᾶς, πᾶσα, πᾶν, et φίλος,

h. e. *amicus* ; est ergo interpretatio : *omnium amicus* vel *totum amans*, ut vult Servius *ad Verg. Ecl.* praef. – (Mart. Rom. XI Cal. Oct. ; VII Id. Sept. e. a.).

Pancrazio[i] **Pancrace**[g] **Pancracio**[h] **Pankraz**[ge] : Pancratius, ii, n. Deducitur a fonte Graeco : πᾶς - κράτος ; quorum verborum priore *omnis*, altero *robur* significatur, ita ut nomen interpretandum sit : *totus robustus*, *praevalidus*. – (Mart. Rom. III Non. Apr. ; IV Id. Mai.).

Pandolfo[i] **Pandolfo**[h]: Pandulfus, i, m. Est altera scribendi ratio nominis Bandulfi ; v. *Bandulf*. Nomen Pandulfi scriptum videmus in M.G.H. XXX, p. 243 e. a.

Pandora[i]: Pandora, ae, f. ; apud Plin. XXXVI, 5, 4, c. gen. exit, Graeco more, in *-s* (Pandoras). Est autem nomen, quo prima mulier secundum fabularem historiam Graecorum appellata est, effectum verbis πᾶς, πᾶσα, πᾶν, et δῶρον, ita ut idem fere valeat atque *omnium donum*, vel *ab omnibus donata* vel, fortasse rectius, *donata omnium rerum genere* (cf. Forcellini).

Panezio[i] : Panaetius, ii, m. Est nomen Graecum Παναίτιος in Latinam rationem translatum, quod ducitur a πᾶς, πᾶσα, πᾶν (= *omnis*) et αἴτιος (= *qui causa* seu *auctor est*) ; eo ergo significatur : *qui auctor est omnium*. Ita appellabatur imprimis philosophus Stoicus, vir eruditissimus et paene divinus ; cf. Cic. *Off.* II, 14, 51 ; *Divin.* I, 3 ; *Mur.* 31, 66 ; *Fin.* IV, 9, 23.

Panfilo[i] **Pánfilo**[h]: v. *Pamfilo*.

Pankraz[ge] : v. *Pancrazio*.

Pantaleone[i] **Pantaleón**[h] : Pantaleo, ontis, vel, ut sequiore aetate invaluit, -onis, m. Derivatur a verbis Graecis πᾶς, παντός, et λεών, quorum prius *omne*, alterum *leonem* significat, ita ut sit interpretandum : *omnino* (fortis ut) *leo*. Alii, minus recte, ducunt a *Pantaleemon* (a verbo ἐλεέω ; cf. Mart. Rom. VI Cal. Aug.), quasi sit *omnino misericors* ; tamen quominus haec interpretatio accipiatur, obstat declinatio in casus (*Pantaleontis*, *-ti*, *-tem*) ; cf. Naev. fgr. apud Ribbeck X : « Pisatilem appellat Naevius Pantaleontem, id est Pisis oriundum tyrannuum, cum alioqui inde profecti Pisani dicuntur ». – (Mart. Rom. XVIII Cal. Aug.).

Paola[i] **Paule**[g] **Paula**[h] **Paula**[a] **Paula**[ge] : Paula, ae, f. ; v. *Paolo* – (Mart. Rom. VII Cal. Febr. e. a.).

Paolina[i] **Paulette**[g] **Paulina**[h] **Pauline**[a] **Pauline**[ge]: Paulina, ae, f. ; v. *Paolo* – (Mart. Rom. VIII Id. Iun. e.a.).

Paolino[i] **Paulin**[g] **Paulino**[h]: Paulinus, i, m. ; v. *Paolo*. – (Mart. Rom. X Cal. Iul. e. a.).

Paolo[i] **Paul**[g] **Pablo**[h] **Paul**[a] **Paul**[ge] : Paulus, i, m. Derivatur a verbo primitivo *pauc - s - los*. In veteribus litterarum monumentis scribitur cum una littera *l* aut cum gemina (*Paullus*) ; secundum grammaticos geminae litterae *ll* ad unam rediguntur, si eae inter duas vocales *i* interponuntur, cf. villa – vilicus ; mille – milia, vel si geminae litterae *ll* diphthongum subsequuntur : paullum – paulum. Apud Vel. Long. VII, 80, est *paulum*

propterea dicendum esse quod *paullum* difficile enuntietur. Alii vero, ut Terent. Scaur. VII, 20, geminam litteram servaverunt ; cf. F. Sommer, *Handb. d. lat. Laut - und Formenlehre*, p. 209 sq. ; in Mart. Rom. plures Caelites, hoc nomine insignes, recensentur.

Paride[i] **Paris**[g] **Paris**[h]: Paris, ĭdis, m. C. gen. exit in *-idis*, non *-idos*, ut monet Consent., Keil V, p. 365 : « Paris, Paridis, non Paridos ». C. acc. in *-idem*, cf. Varr. fr. p. 261 Bip. ; Verg. *Aen.* V, 370 ; Tac., *Ann.* XIII, 19 ; Iuven. VI, 87 ; Hygin. *Fab.* 92. Animadvertit idem Consent. (V) 365, 11 : « Paridem, non Parida ». Invenitur etiam declinatio : gen. *Paris*, dat. *Pari*, acc. *Parim*, vel *Părin*, abl. *Pari*. Hesychius ducit nomen a *πάριος*, hoc est *πιστός*. Recentiores vero alii aliter : vel a verbo primitivo φα, cf. prisc. Ind. *bha*, in quo inest vis *lucendi*, vel a prisco Persarum vocabulo *par*, quod *luctari* significat (Curtius, *Griech. Etym.* p. 278), vel, ac quidem rectius, a verbo primigenio Indico-Europaeo *per*, cf. prisc. Ind. *par*, quod idem valet ac *primus*, *optimus* (P. Kretschmer, *Einl. in die Gesch. d. griech. Sprache*, pag. 185). – (Mart. Rom. Non. Aug.).

Paris[g]: Patricius, ii, m. ; saepe enim vulgare nomen *Paris* a Gallis pro Patricio usurpatur ; v. *Patrizio*.

Parmenide[i]: Parmenĭdes, is, m. Hoc nomen Graecum, a verbo παρμένω ductum, idem valet ac *perstans*, *constans*, atque eum, qui est ex *Parmenae* alicuius genere ortus.

Parmenio[i] : Parmenio, onis, vel Parmenion, m. C. accus. exit vel in *-em* vel, more Graeco, in *-a*. Nomen ductum est a verbo παρμένω seu παραμένω, quo *permaneo*, *persisto* significatur. Quo appellatus est imprimis dux Philippi, regis Macedonum. In christiana autem Latinitate invenitur scribendi modus *Parmenius*, *ii* ; cf. Mart. Rom. X Cal. Mai.

Parisina[i]: Parisia, ae, f. Hoc nomine significatur *mulier e gente Parisiorum*, quae ad medium Sequanae cursum inter Matronam et Isaram incolebat et cuius sedes praecipua appellabatur Lutetia Parisiorum. De quibus Caesar *B. G.* VI, 3, e. a. ; Plin. IV, 18, 32, e. a. commemorant. Nomen autem *Parisius*, *ii*, apud Venant. *Carm.* IV, 26, 13, scriptum videmus. Sunt tamen qui putent *Parisina* esse genus femininum nominis Paridis. Denique S. Parisius, monachus Camaldulensis, in Mart. Rom. III Id. Iun. recensetur.

Partenio[i]: Parhenius, ii, m. Derivatur a vocabulo Graeco παρθένος, quo *virgo* significatur. Hoc nomen a Servio *ad Verg. Aen.* I, init., adiectum est Vergilio.

Partenope[i]: Parthenŏpe, es, et Parthenŏpa, ae, f. Hoc nomine, a verbo παρθένος (*virgo*) et ὤψ (*aspectus*) ducto, appellata est una e Sirenibus, quae Ulixem pellicere conatae sunt.

Pascal[g] **Pascual**[h] **Pascal**[a] **Paschal**[ge] **Pascal**[ge] : v. *Pasquale*.

Pascasio[i] **Pasquier**[g] **Paschasius**[ge]: Paschasius, ii, m. Nomen deductum est a *Paschate*, verbo Hebraico ; cf. *Pasqua*. In Mart. Rom. III recensentur Caelites, ita appellati.

Paschalina[ge]: v. *Pasqualina.*

Pascual[h] **Pascuala**[h] **Pascualita**[h]: v. *Pasquale, Pasqualina.*

Pasqua[i] **Pasque**[g]: Paschalis, is, f. Nomen deductum est a *Paschate*, et hoc a voce Hebraica (*pésah*), quo *transitus* significatur, quod Angelus, cum Aegyptios caederet, Israelitarum domos, agni sanguine illitas, transierit. Est autem *paschalis* verbum senescentis Romanorum aetatis proprium (cf. Sedul., 20 ; *Cod. Theod.* 9, 35, 4 ; Hieron., *Ep.* 99, 1, e. a.).

Pasquale[i] **Pascal**[g] **Pascual**[h] **Pascal**[a]: Paschalis, is, m. Quoad originatione, cf. *Pasqua.* – (Mart. Rom. III Id. Febr. e. a.).

Pasqualina[i] **Pascuala**[h] **Paschalina**[ge]: Paschalina, ae, f. Est nomen a recentioribus confictum ; cf. *Pasqua.*

Pat[a] **Pate**[a]: bl. app. pro Patricio ; v. *Patrizio* ; *Pat* etiam pro Patricia usurpatur.

Paterniano[i]: Paternianus, i, m. Nomen, ut nemo non videt, deductum est a patre seu potius a Paterno (v. ib.). Quo appellabatur notarius Valentini imperatoris, ut est apud Ammianum, XXX, 3, 2. – (Mart. Rom. IV Id. Iul.).

Paterno[i] **Paterne**[g]: Paternus, i, m. Ducitur, ut liquet, a *patre*, ut maternus a matre. Est pater verbum Indicum-Europaeum: cf. prisc. Ind. *pitár* ; Graec. πατήρ, Armen. *hair* ; Toch. A *pacar*, Toch. B *pacer* ; Goth. *fadar* ; prisc. Germ. *fater* ; Angl. *father* ; Germ. rec. *Vater.* In Mart. Rom. III Caelites, hoc nomine appellati, recensentur.

Patie[a]: bl. app. pro Patricio ; v. *Patrizio.*

Patrice[g] **Patricio**[h]: v. *Patrizio.*

Patricia[h] **Patricia**[a]: v. *Patrizia.*

Patrick[a]: v. *Patrizio.*

Patrizia[i]: Patricia, ae, f. ; v. *Patrizio.* Cf. Diehl. 234, 3101. In Mart. Rom. duae Caelites, ita nominatae, recensentur (III Id. Mart. ; VII Cal. Sept.).

Patrizio[i] **Patrice**[g] **Patricio**[h] **Patrick**[a] **Patriz**[ge]: Patricius, ii, m. Ducitur, ut liquet a *patre*, si originem spectes, seu potius a *patribus*, ut optimates in Romana republica appellabantur ; unde temporis successu idem valere coepit ac *nobilis*, *honesto loco natus.* Minus probanda est scribendi ratio : Patritius, ii ; eodem enim modo postrema pars nominis (*-icius*) effecta est, quem alia plura praeferunt verba, velut additicius, adventicius, commenticius, novicius, nutricius ; quibus syllabis (*-icius*) significatur hominem vel rem ad alium vel ad aliam pertinere. Quoad originationem vocis patris, unde nomen deductum est, v. *Paterno.* – (Mart. Rom. XVII Cal. Apr. e. a.).

Patroclo[i]: Patrŏclus, i, m. Nomen duobus effectum est verbis Graecis : πατήρ et κλέος, ita ut eo significetur *patris* vel *patriae gloria.* – (Mart. Rom. XII Cal. Febr.).

Paul[g] **Paul**[a] **Paul**[ge]: v. *Paolo.*

Paule[g] **Paula**[h] **Paula**[a] **Paula**[ge]: v. *Paola.*

Paulette[g]: v. *Paolina.*

Paulin[g]: v. *Paolino.*

Pauline[g] **Paulina**[h] **Pauline**[a] **Pauline**[ge]: v. *Paolina.*

Pawley[a]: v. *Paolo.*

Pearl[a]: v. *Perla.*

Pedro[h]: v. *Pietro.*

Peg[a] **Peggy**[a]: bl. app. pro Margarita; v. *Margherita.*

Pelagia[i]: Pelagia, ae, f.; v. *Pelagio.*

Pelagio[i]: Pelagius, ii, m. Derivatur a verbo Graeco πέλαγος, quo *mare* Latine significatur, sed est etiam idem hoc verbum in Romanum sermonem receptum: *pelagus.* Pelagium ergo interpreteris *virum maritimum.* – (Mart. Rom. VII Cal. Apr. e. a.).

Pellegrina[i] **Peregrina**[h] **Peregrine**[a] **Peregrina**[ge]: Peregrina, ae, f.; v. *Pellegrino.*

Pellegrino[i] **Pelégrin**[g] **Peregrino**[a] **Peregrine**[a]: Peregrinus, i, m. Hoc nomine proprie significatur *is, qui est extra agrum Romanum* (*per - ager*). Romanorum aetate cognomine Peregrini significabatur advena; medio vero aevo, quod vocant, hoc nomen indebatur iis, qui in Palaestinam, terram Servatoris commoratione sacram, vel Romam aliove religionis causa iter suscipiebant. – (Mart. Rom. Id. Iun. e. a.).

Peleo[i]: Peleus, eos, m. Cas. acc. exit in *-a*; voc.: *Peleu.* Nominis originem sic explicat Fulgentius, III, 7: «Thetidem dici voluerunt aquam, und et Nympha dicta est. Istam Iuppiter quasi deus coniunxit Peleo: Pelos enim Graece, (Latine) *lutum* dicitur» (πηλός – cf. Lat. *squalus, a, um*; *squaleo*). Alii autem aliunde derivant, veluti a *Pelio,* monte Thessaliae. – (Mart. Rom. XIII Cal. Oct.).

Pen[a]: bl. app. ab Anglis pro Penelope usurpata; v. ib.

Penelope[i] **Penelope**[a]: Penelŏpe, es, vel Penelŏpa, ae, f. Si ratio scribendi Penelope, es, usurpatur, c. acc. exit apud praestantes auctores in *-en.* De originatione non convenit inter peritos; sunt qui ducant nomen a verbo πένεσθαι, h. e. *laborare,* et λοπός (λῶπος), h. e. *vestimentum*; sed alii aliter interpretantur.

Penny[a]: bl. app. pro Penelope, v. ib.

Pepa[h]: bl. app. ab Hispanis pro Iosepha usurpata; v. *Giuseppina.*

Perdita[i]: Perdĭta, ae, f. Nomen ducitur, ut liquet, a *perdendo,* h. e. a *per-dando.*

Peregrina[h] **Peregrine**[a] **Peregrina**[ge]: v. *Pellegrina.*

Peregrino[h] **Peregrine**[a]: v. *Pellegrino.*

Pericle[i]: Perĭcles, is, m.; c. gen. exit etiam in *-i* (*Pericli*), Cic. *Or.* 2, 93; *Brut.* 59; *Fin.* V, 5; Nep. *Alcib.* 2; casus autem accus. exit plerumque, more Graeco, in-*en* (*Periclen*). Est nomen Graecum (Περικλέης), quod idem valet ac *circum* (περί) late *illustris* (κλέος).

Perla[i]: Pernŭla, ae, f. Vulgare verbum Italicum *perla* redditur quidem Latine *margarita,* cum tamen hoc nomen, quod mulieribus solet imponi (*Margarita*) proprium sit atque in hominum consuetudine a *Perla* distinguatur, nomen novum inducendum esse putavi. Vulgaris autem vox *perla* derivata est media, quam dicunt, aetate a verbo Latino *pernula,* quod, licet in ve-

teribus litterarum monumentis non inveniatur, *parvam pernam*, ut liquet, significat. Cf. C. Battisti - G. Alessio, *Dizionario etimologico italiano*, IV, p. 2858.

Perna, quod verbum a fonte Indico-Europaeo repetitur (*persna*), cf. prisc. Ind. *parsnih*, Graec. πτέρνη, Goth. *fairzna*, prisc. Germ. *farsana*, Germ. rec. *Ferse* = *calx*, i. e. pars pedis, apud scriptores Latinos plerumque idem valet ac *coxa* suis vel alius beluae atque etiam hominis. Apud Plinium vero eidem verbo vis subicitur, qua ad margaritam revocamur. In hanc enim loquitur sententiam : « Appellantur et pernae concharum generis, circa Pontias insulas frequentissimae. Stant velut suillum crus e longo in harena defixae hiantesque, qua latitudo est, pedali non minus spatio cibum venantur ; dentes circuitu marginum habent pectinatim spissatos, intus spondyli caro est » (*nat. hist.* 32, 11 (54).

Est igitur perna, translata verbi significatione, concha quaedam marina, novimusque margaritas, praeclaros calculos candidos, in huiusmodi nasci parvorum animalium testis. Praeterea concha per metonymiam interdum ponitur pro ipsa margarita : cf. Propert. I, 8, 39 : « hanc ego non auro, non Indis flectere conchis, — sed potui blandi carminis obsequio » ; Tibull., II, 4, 30 ; Ovid., *Am.* II, 11, 13, *Met.* 10, 260 ; Manil. 5, 405 : « censibus aequantur conchae ».

Itaque, sive ob etymologiam sive ob significationem, vox *pernulae* apta esse videtur ad interpretandum Latine vulgare nomen Italicum *Perla*.

Pernella[i] **Peronella**[i] **Pernela**[h] : v. *Petronilla*.

Perpetua[i] **Perpetua**[a]: Perpetua, ae, f. Origo nominis sic enodatur : *per - peto*, h. e. sine intermissione peto ; cf. prisc. Ind. *pátati*, h. e. *volat* ; Graec. πέτομαι, h. e. *volo*. – (Mart. Rom. prid. Id. Nov. ; prid. Non. Aug.).

Perpetuo[i]: Perpetuus, i, m. ; v. *Perpetua*.

Perry[a]: bl. app. pro Peregrino ; v. *Pellegrino*.

Perseo[i]: Perseus, i, m. ; nomen non tribus sed duabus constat syllabis ; c. gen. exit plerumque in *-ei*, apud poetas interdum in *-eos* ; c. acc. plerumque in *-a*, more Graecorum, rarius in *-eum*. Origo peti solet a verbo πέρθω, quod idem valet ac *vasto*, *deleo*.

Pete[a]: dem. nom. Petri. V. *Pietro*.

Petrina[a]: v. *Piera*.

Petronia[i]: Petronia, ae, f. ; v. *Petronio*.

Petronilla[i] **Pétronille**[g] **Petronilla**[h] **Petronella**[a] **Petronilla**[ge]: Petronilla, ae, f. Est blanda appellatio pro nomine Petroniae usurpata ; cf. *Petronio*. – (Mart. Rom. prid. Cal. Iun.).

Petronio[i]: Petronius, ii, m. Coniungitur cum nomine Etrusco *petruni* (C.I.E. 1905) ; cf. Schulze, p. 209. In Mart. Rom. duo Caelites, hoc nomine appellati recensentur (VIIII d. Sept. ; IV, Non. Oct.).

Pharamond[g]: v. *Faramund*.

Pharhilde[ge]: v. *Farahilde.*

Phebe[a]: v. *Febe.*

Phemie[a]: bl. app. pro Euphemia usurpata ; v. *Eufemia.*

Philander[a]: v. *Filandro.*

Philemon[a]: v. *Filemone.*

Philetus[a]: Philetus, i, m. Est ipsum part. praes. pass. verbi φιλέω : φιλητός, h. e. *qui amatur* seu *amatus* ; cf. Diehl, 4110. – (Mart. Rom. VI Cal. Iun.).

Philibert[g] **Philibert**[a]: v. *Filiberto.*

Philida[a]: v. *Phyllis.*

Phip[a]: bl. app. pro Philippo ; v. *Filippo.*

Philippe[g] **Philip**[a] **Philipp**[ge] : v. *Filippo.*

Philippine[ge]: Philippa, ae, f. ; v. *Filippo.*

Phillada[a]: v. *Phyllis.*

Philomène[g] **Philomena**[ge]: v. *Filomena.*

Phoebe[a]: v. *Febe.*

Phryne[a]: v. *Frine.*

Phyllida[a]: v. *Phyllis.*

Phyllis[a]: Phyllis, ĭdis, f. Apud Propert. IV, 8, 37, c. genet. exit, Graeco more, in *-idos* ; c. acc. exit plerumque in *-ida*, apud Hygin., *Fab.* 59, e. a. more Latino in *-idem.* Est nomen Graecum φυλλίς, quo *planta* significatur, utpote ductum a φύω.

Pia[i]: Pia, ae, f. ; cf. *Pio.* Recensetur in Mart. Rom. XIV Cal. Febr.

Piccarda[i]: Picarda, ae, f. ; v. *Piccardo.*

Piccardo[i]: Picardus, i, m. Nomen ductum est a *Picardia*, uti sermone media, quam dicunt, aetate usitato appellatur Galliae provincia, cuius urbs praecipua est Ambianum (*Amiens*). De cuius regionis incolis hi versus, lingua Latina barbara, scripti sunt : « Isti Picardi non sunt ad proelia tardi – Primo sunt hardi, sed sunt in fine couardi » ; cf. Du Cange, *Gloss.* VI, p. 309 sqq.

Piera[i] **Pierina**[i] **Pierre**[g] **Petra**[h]: Petra, ae, vel Petrina, ae, f. Apud veteres Ecclesiae scriptores est verbum adi. *petrinus, a, um,* quo significatur aliquem vel aliquid esse e petra ; cf. Tert. *adv. Marc. III*, 16 : « Petrina acies » ; id. *adv. Iud.* 9 ; Lact. *Inst.* IV, 17. Praestantes vero Latinitatis auctores commemorant de *Petrino* (praedio), quod non procul a Monte Massico in Campania situm erat ; cf. Cic. *Fam.* VI, 19 ; Hor. *Ep.* I, 5, 5 : « Inter Minturnas Sinuessanumque Petrinum ». *Petrini* denique appellabantur incolae Petrae, urbis Siciliae, quae nunc *Petralla* audit ; cf. Cic. *Verr.* V, 39 ; Plin. III, 8, 14. Non perperam autem *Petrina* videtur usurpari, ut nomen Petri feminino genere exprimatur. De originatione v. *Pietro.*

Pierce[a]: v. *Pietro.*

Pierina[i]: v. *Piera.*

Pierre[g]: v. *Pietro* vel *Piera.*

Pierron[g] **Pierrot**[g]: bl. app. pro Petro ; v. *Pietro.*

Piers[a]: v. *Pietro.*

Pies Pietrek: nomen Petri e Slavici sermonis ratione ; v. *Pietro.*

Pietro[i] **Pierre**[g] **Pedro**[h] **Peter**[a] **Peter**[ge] : Petrus, i, m. Ut notum est, Servator Iesus Christus Simonem, principem Apostolorum, appellavit Aramaico sermone *Kêpha'* (Hebr. *Kêph*), quod Latine *petra* redditur ;

quam vocem Romani a Graecis mutuati sunt (πέτρα). Ecclesiae autem scriptores Latini eidem Apostolo nomen Graecum πέτρος, h. e. *saxum*, indiderunt, utpote masculini generis, quod in libris Novi Testamento Graece conscriptis (et universe in lingua Graeca pro πέτρα) invenitur. Ab hoc ergo derivatum est nomen Latinum *Petri*. – (Mart. Rom. III Cal. Iul. et saepe alias).

Pilade[i]: Pylădes, is, m. Cas. acc. exit vel in *-em*, vel in *-en*. Nomen derivatum est a πύλη, cuius vis est *porta*.

Pilar[h]: Maria columnaris, is, vel columnaria, ae, vel Maria a columna, f. Hoc nomen puellis Hispanis solet imponi ob religionem B. Mariae Virginis a columna, cuius videlicet effigies, columnae superposita, in egregio templo Caesaraugustano studiosissime colitur (*pilar* = *columna*).

Verb. adi, *columnaris*, *is*, occurrit apud Prudentium, *Hamart.*, 475-477 : « si victor virtute Dei mediasque tenebras — luce columnari scindens exercitus olim — perdidit inventi vallem botryonis opimam ».

Columnarius, *a*, *um*, vero scriptum legimus apud Ammian. XXII, 16, 12 : « Inter quae (templa) eminet Serapeum, quod licet minuatur exilitate verborum, atriis tamen columnariis amplissimis ... ita est exornatum, ut post Capitolium... nihil orbis terrarum ambitiosius cernat » ; item apud Venant. Fortun. in *Vita S. Germ.* 37 : « genua columnaris imbecillitas roboratur ». Cum igitur *columnaris*, *is*, et *columnarius*, *a*, *um*, idem valeant atque *ad columnam pertinens* (vel in columnae modum conformatum), non perperam inducuntur ad significandam Augustam Virginem a columna appellatam.

Pilita[h]: bl. app. ab Hispanis pro *Pilar* (= *Maria columnari*) usurpata ; v. ib.

Pilo[i]: Pilus, i, m. Est quidem cognomen, uti vocamus, Roscelini (*Rosolino*) *Pilo*, viri patriae studiosissimi, pro qua vitam in pugna apud Panormum anno 1860 profudit. In vetere tamen litterarum monumento idem nomen (*Pilus*) occurrit ; cf. *Pseudocic.* ad *Brut.* 2, 7. In C.I.L. XII, 3011 scriptum legimus nomen *Pilo*, *onis*.

Pindaro[i]: Pindărus, i, m. De originatione nominis nihil certi proponi potest. Praeter eximium poetam lyricum Graecum, hoc nomine appellatus est servus quidam vel libertus, de quo Cic. *Att.* XVI, 1, 5, commemorat.

Pio[i] **Pie**[g] **Pio**[h] **Pius**[a] **Pius**[ge]: Ex pluribus verbis, quae cum hoc nomine coniunguntur, ut piabilis, piaculum, piacularis, piamentum, piamen, piare, expiare, liquet id pertinere ad res sacras, quibus homo *purus* efficiatur. Re enim vera pius et purus ab eadem origine petuntur (*pu - iios*) ; cf. prisc. Ind. *pávate*, h. e. *purgat*, *putah*, h. e. *purus* ; cf. Walde-Hofmann, II pp. 312, 391. Apus Romanos ficticiorum numinum cultores pius dicitur, *qui officia religiose exsequitur*, quibus dis, parentibus, praepositis devincitur (cf.

pius Aeneas) ; apud Romanos autem christiano nomine insignes *pius* idem valet ac *vero Deo cultum studiose tribuens*. Recensetur in Mart. Rom. sollemne S. Pii I, V, X, Pontificum Romanorum, V Id. Iul., III Non. Mai., III Non. Sept., quibus, ut quam maxime, hoc nomen adicitur.

Piotr : nomen Petri e Slavici sermonis ratione ; v. *Pietro*.

Pippo[i]: bl. app. pro Philippo ; v. *Filippo*.

Piramo[i]: Pyrămus, i, m. De origine nominis non satis constat ; ducitur fortasse a πῦρ, h. e. *ignis*, aut a πυρός, quo *frumentum* significatur. Quo appellatus est in fabulis adulescens Babylonius, Thisbes puellae captus amore. Cf. Ovid. *Met.* IV, 55 sqq.

Pirmin[ge]: Pirminus, ii, m. Videtur hoc nomen petendum esse a fonte Celtico atque *virum gloria florentem* aut *fortem ut ursum* significare ; cf. Wasserzieher, p. 104. – (Mart. Rom. III Non. Nov.).

Pirro[i]: Pyrrhus, i, m. Hoc nomine Graeco (πυρρός) significatur *rufus*.

Pitagora[i]: Pythagŏras, ae, m. Deducitur a fonte Graeco : Πύθιος et ἀγορά ; quorum verborum priore nomen Apollini adiectum, altero *oratio* significatur, ita ut nomen interpretandum sit : *qui divina oracula exponit*. Graece : Πυθαγόρας et Πυθαγόρης.

Pius[a] **Pius**[ge] : v. *Pio*.

Placida[i]: Placĭda, ae, vel Placidia, ae, f. ; v. *Placido*.

Placido[i] **Placide**[g] **Plácido**[h]: Placĭdus, i, m. Hoc nomen pertinet ad placet, placitum, placandum, quae omnia petuntur a *plakos*, quo *planum* significatur ; cf. Graec. πλάξ, κός, h. e. *aequor*, πλακοῦς, h. e. *placenta*, '*offa plana*' ; prisc. Germ. *fluoh* (nunc *Flühe*, h. e. *clivus saxeus*); Walde-Hofmann, II, 313. – (Mart. Ron. III Non. Oct. ; V Id. Oct.).

Plauto[i]: Plautus, i, m. Quid sibi velit nomen, a Paulo ex Festo, p. 259, explicatur : « plauti appellantur canes quorum aures languidae ac flaccidae et latius videntur patere » ; id., p. 275 : « ploti appellantur qui sunt planis pedibus. Unde et poeta Accius, quia Umber Sarsinas erat, a pedum planitie initio Plotus, postea Plautus est dictus. Soleas quoque dimidiatas, quibus utebantur in venando, quo planius pedem ponerent, semiplotia appellantur ». Coniunctae litterae *au* a gentibus Latii, vulgari loquendi consuetudine usis, conversae sunt in *o*. Sed saeculo II a. Ch. n. vergente hic mos etiam in Urbe obtinuit ; et ipse Cicero dixit *sodes* pro *saudes* (si audes). Puri quidem sermonis exactores eidem obnisi sunt, sed alterutra scribendi ratio saepe per succedentia tempora iuvenitur ; cf. *caudex - codex, cautes - cotes, aulla - olla, caupo - copo* e. s. ; v. W. Meyer-Lübke, *Grundriss d. roman. Philologie* I, p. 565 ; C. Battisti, *Avviamento allo studio del latino volgare*, Bari, p. 106 sq. S. Plauti Martyris sollemne recensetur in Mart. Rom. III Cal. Oct.

Plektrude[ge] : Plectrudis, is, f. Hoc nomen, raro usurpatum, petitur a

fonte Germanico : *blic - trud* ; quarum vocum priore significatur *splendor* (cf. Germ. rec. *Blick*, h. e. *intuitus* ; *Blitz*, h. e. *fulgur*), altero vero *fabularis herois* (*Trude*).

Plinio[i]: Plinius, ii, m. Ducitur fortasse a fonte Celtico ; nihil tamen certi statui potest.

Plutarco[i]: Plutarchus, i, m. Nomen coaluit e verbis Graecis πλοῦτος-ἄρχων, quorum priore *divitiae*, altero *princeps* significantur. Quo appellatus est praeclarus scriptor Graecus. Praeterea cf. Diehl, 2513, 3998. S. Plutarchi sollemne recensetur in Mart. Rom. IV Cal. Iul.

Polde[ge]: bl. app. pro Leopolda ; v. *Leopolda.*

Policarpo[i] **Polycarpe**[g] **Policarpo**[h] **Polykarp**[ge]: Polycarpus, i, m. Nomen coaluit e verbis Graecis πολύς et καρπός, quorum altero *multus*, altero *fructus* significatur ; est ergo eidem nomini haec vis subiecta : *fructibus dives* seu *multos fructus edens* (πολύκαρπος). – (Mart. Rom. VII Cal. Febr. e. a.).

Polidoro[i]: Polydorus, i, m. Nomen effectum est verbis Graecis πολύς et δῶρον ; quapropter idem fere valet ac *multa dona habens* seu *donis cumulatus.*

Polifemo[i]: Polyphemus, i, m. Nomen effectum est verbis πολύς et φήμη (h. e. *multus - vox, fama*) ; quod inditum est cyclopi Ulixeo et in titulis quoque invenitur.

Polinnia[i]: Polyhymnia, ae, vel Polymnia, ae, f. Nomen, quo appellata est una ex novem Musis, fabulis pantomimicis praeposita, ducendum videtur a πολύς, quo *multus* significatur, et ὕμνος, cuius vis est *laudatio, hymnus.*

Polissena[i]: Polyxěna, ae, f. Nomen, quo imprimis appellata est filia Priami, coaluit e πολύς - ξένος (h. e. *multus - hospes*), videturque interpretandum : *multos habens hospites.* – (Mart. Rom. IX Cal. Oct.).

Polito[i]: dem. nom. Hippolyti ; v. *Ippolito.*

Pollin[ge]: bl. app. pro Apollinare ; v. ib.

Polly[a]: bl. app. pro Maria.

Polo[i]: Polus, i, m. Est nomen Latinum Paulus, in quo ex vulgari enuntiandi ratione *au* deflexum est in *o* ; cf. *Plauto.*

Polykarp[ge]: v. *Policarpo.*

Pomona[i]: Pomona, ae, f. Antiquior scribendi ratio est *Poemona* (cf. C.I.L. II, 2573) ; ducitur enim nomen a *pomo*, cuius origo est *po-emo* (a verbo *emendi*, h. e. prehendendi). Erat autem « Pomona pomorum patrona » (Varr. *L. L.* VI, 3).

Pompea[i]: Pompeia, ae, f. ; v. *Pompeo.*

Pompeo[i] **Pompeyo**[h] **Pompey**[a]: Pompeius, ii, m. Huic nomini saepe vis subicitur *ducis* seu *ductoris*, quasi derivatum sit a verbo Graeco πέμπω, quo significatur *mitto, duco, comitor.* Videtur autem rectius petendum esse ab aliquo sermone Italico, non Latino, sed cum hoc cognatione coniuncto ; in sermone enim Osco verbum Latinum *quinque* audiebat, ut conici licet, *pompe* : cf. Osc. et Umbr. *pumperias*, quod verbum idem est ac Lat. *quintiliae* ; cf. praeterea

Pompeii, quod verbum, Latino ori conformatum, ductum est ab Italico *Pompaios*. Videtur ergo Pompeius idem esse ac *Pompaios*, h. e. *Quintus*; cf. Walde-Hofmann, II, p. 408; Tagliavini, p. 429. – (Mart. Rom. XIX Cal. Ian. e. a.).

Pompilio[i]: Pompilius, ii, m. Nomen derivatum est a *Pompeio*, v. *Pompeo*, adiuncta terminatione *-ilius*, ut Quintilius a Quinto.

Pomponio[i]: Pomponius, ii, m. Est cognomen gentis Etruscae ad linguae Latinae rationem accommodatum; cf. Schulze, p. 212. In Mart. Rom. III Caelites ita appellati recensentur.

Ponziano[i]: Pontianus, i, m. Ducitur a nomine *Pontii*, v. *Ponzio*. In Mart. Rom. VI Caelites recensentur eo appellati.

Ponzio[i] **Pons**[g] **Ponce**[g] **Poncio**[h]: Pontius, ii, m. Nomen, cum derivatum sit a πόντος, quo *mare* significatur, idem valet ac *maritimus*, unde et Neptuno adiciebatur. Est haud raro invenire in veteribus litterarum monumentis (apud Cic., Vellei., Val Max., Liv. e. a.) et in titulis. – (Mart. Rom. VIII Id. Mart.; et prid. Id. Mai.).

Porzia[i] **Portia**[a]: Porcia, ae, f.; v. *Porzio*.

Porzio[i]: Porcius, ii, m. Est nomen gentis plebeiae Romanae, deductum a *porco*; cf. prisc. Germ. *farh*, Germ. rec. *Ferkel*, h. e. *porculus*.

Porfirio[i]: Porphyrius, ii, m. Derivatur a πορφύρα, h. e. *purpura*, *murice*; cf. φύρω, h. e. *misceo*, *oblino*.

Portia[a]: v. *Porzia*.

Possidio[i]: Possidius, ii, m. Derivatur a fonte Etrusco: *pusnei*; cui verbo adiuncta est terminatio Latina *-idius*: cf. Schulze, pp. 213, 434. S. Possidii sollemne recensetur in Mart. Rom. XVII Cal. Iun.

Postumia[i]: Postumia, ae, f.; v. *Postumio*.

Postumio[i]: Postumius, ii, m. Ducitur a *postumo*, quo significatur *proles, quae postremo loco* vel interdum *quae patre mortuo nata est*; est enim postumus superlat. adiectivi *posterus*, ut maxumus, intumus. Veteres quidam (Sulpic. Apollin., Gellius, Servius, Varro, Paul. ex Fest.) per errorem interpretati sunt: *post humatum* patrem nata proles, quamobrem nomen cum aspiratione scripserunt (*Posthumius*). Qui error etiam in titulis quibusdam sequioris aetatis deprehenditur.

Potito[i]: Potitus, i, m. Est part. perf. pass. verbi *potiendi*, quod ducitur a *potis, e*; cf. prisc. Ind. *pátih*, h. e. *erus, maritus*; Graec. πότνια, h. e. *domina*, δεσπότης, h. e. *erus*; Goth. *bruth-faths*, h. e. *sponsus*.

Prassede[i] **Práxedes**[h] **Praxedes**[ge]: Praxedes, is, f. Hoc nomen christianum deductum est a πρᾶξις seu πράσσω, quibus in verbis inest vis *agendi*. In templo Romano, S. Praxedi virgini (cf. Mart. Rom. XII Cal. Aug.) a Paschale I Summo Pontifice consecrato, exstat vetus isncriptio: « Emicat aula pia variis decorata metallis - Praxedis Domino super aethra placentis honore », e.q.s.

Priamo[i]: Priămus, i, m. Nomen praeclari regis Troiae (Πρίαμος) secundum recentiores in enodandis originibus peritos respondet Aeolico

verbo πέρραμος vel πέραμος, quo βασιλεύς, h. e. *rex*, significatur. – (Mart. Rom. V Cal. Iun.).

Pribislaw : Pribislaus, i, m. Hoc nomen Slavicum eum significat, *qui gloria augetur.*

Primo[i] **Primo**[h]: Primus, i, m. Deducitur a verbo primigenio *pris* (*prismo*), quod in aliis vocibus invenitur ; cf. prior, priscus, pristinus ; Graec. πρίν (fortasse ex πρις). – (Mart. Rom. III Non. Ian. e. a.).

Primrose[a]: Primŭla, ae, f. Verbo primulae (veris) significatur *venustus flosculus, ineunte vere exsistens* (*primula* ; *primule* ; *primavera* ; *primrose* ; *Primel*) ; quae vox apud veteres Latinitatis scriptores non invenitur ; scriptum autem videmus apud interpretes senescentis aetatis (*glossatores* vulgo dicuntur) adi. *primulus, a. um.* Cf. C. Dieffenbach, *Glossarium Latino-Germanicum med. et inf. aet.*, et in veteribus titulis christianis ipsum nomen *Primulae* ; cf. Diehl, 1408, 2543, 4002.

Prisca[i] **Prisca**[h]: Prisca, ae, f. Deducitur a verbo primitivo *pris*, quod deprehenditur in primo, pristino, priore ; v. *Primo.* Caelitis ita nominatae sollemne recensetur in Mart. Rom. XV Cal. Febr.

Priscilla[i] **Priscila**[h] **Priscilla**[a] **Priscille**[a]: Priscilla, ae, f. Est nomen Priscae cum adiuncta syllaba blandae appellationis causa. Cf. Diehl, 69, 3265 e. a. – (Mart. Rom. XVII Cal. Aug., VIII Id. Iul.).

Procolo[i]: Procŭlus, i, m. Ducitur a *procul* ; cf. Paul. ex Fest. p. 225 : « Proculum inter cognomina eum dicunt qui natus est patre peregrinante a patria procul. Proculos sunt qui credant ideo dictos, quia patribus senibus, quasi procul progressa aetate, nati sunt ». Nomen occurrit saepius in veteribus titulis christianis, cf. Diehl, 1966 a, 1279, 3118, 3913 adn. – (Mart. Rom. Cal. Iun. e. a.).

Procopio[i] **Procopio**[h]: Procopius, ii, m. Ducitur a προκόπτω, quo significatur *promoveo, proficio* ; cf. προκοπή, cuius vis est *incrementum., profectus.* In Mart. Rom. duo Caelites, hoc nomine insignes, recensentur (III Cal. Mart. ; VIII Id. Mart.).

Prometeo[i]: Prometheus, i, vel eos, m. C. acc. exit vel in *-eum*, vel in *-a* ; c. voc. : *Prometheu.* Nomen ducitur a προμήθεια, quo *providentia* significatur (a προμανθάνω) ; sed alii aliunde derivant.

Properzio[i]: Propertius, ii, m. Ducitur a *pro - pario* (*pro - partus*), ut progenies a *pro - gigno*, unde nomen idem valet ac *mature* seu *antea natus.* Hoc nomine praesertim insignis fuit poeta Latinus, elegiarum scriptor, ortus gente Propertia in Umbria, fortasse Asisii, quandoquidem in titulis ibi inventis hoc nomen passim occurrit ; cf. Dessau, 2925 ; C.I.L. XI, 5405.

Prosdocimo[i]: Prosdocĭmus, i, m. Est verbum Graecum προσδόκιμος, in Latinam rationem translatum, quo *exspectatus* significatur. – (Mart. Rom. VII Id. Nov.).

Proserpina[i]: Proserpĭna, ae, f. Hoc nomen deae inferorum a Romanis acceptum est per Etruscos, qui Graecum verbum Περσεφόνη (a **bher - φεν, φενεύω*, h. e. *far - neco*) detor-

serunt in *Φersipnai*, C.I.E. 5091; I², 558 (*Prosepnai*); apud Paelignos audiebat *Perseponas* (Walde-Hofmann II, p. 375). Veteres, in quibus Varro *L.L.* V, 68, derivaverunt a verbo *proserpendi*, ex intellectu vulgari, non e recondita doctrina originem explicantes.

Prospero[i] **Prosper**[g] **Prosper**[a] **Prosper**[ge]: Prosper, i, m. Derivatur a verbis coniunctis *pro spere* (h. e. *pro spe*); cf. Non. p. 252 Linds.: « Sperem veteres spem dixerunt, unde et prospere dicitur, hoc est pro spe ». – (Mart. Rom. VII Cal. Iul.; IV Cal. Aug.).

Protagora[i]: Protagŏras, ae, m. Nomen effectum est verbis πρῶτος - ἀγωρά, unde eo significetur *primus in contione.*

Protasio[i]: Protasius, ii, m. Videtur esse nomen *hypochoristicum*, quod vocant (Graec. Πρωτᾶς); scilicet in quo blandae appellationis causa aliquae syllabae omissae vel contractae sunt (fortasse olim audiebat Πρώταρχος). – (Mart. Rom. XIII Cal. Iul. e. a.).

Proteo[i]: Proteus, i, m. Nomen, quo appellatus est deus marinus, filius Oceani ac Tethyos, derivatum est a πρῶτος, quo *primus*, seu *dominus fluctuum maris* significatur. C. gen. exit vel in *-ei* vel in *eos*, c. acc. vel in *-eum* vel in *-a*; c. voc.: *Proteu.*

Protogene[i]: Protogĕnes, is, m. Est nomen Graecum Πρωτογένης, quo *primogenitus* significatur. Eo appellatus est pictor nobilissimus simul et statuarius, Apellis aequalis, quo tamen diutius vixit. De eo commemorant Plin. *Nat. hist.* XXXV, 10, 36; Quintil. XII, 10, qui eius curam potissimum laudat; Petron., *Satyr.* 84: « Protogenis rudimenta cum ipsius naturae veritate certantia non sine quodam horrore tractavi ». – (Mart. Rom. prid. Non. Mai.).

Provino[i]: Probinus, i, m. Nomen, a *Probo*, ut liquet, ductum, scriptum videmus apud Claudianum, qui in *panegyrico* Probini, filii Probae et nepotis Probi Petronii, laudes texuit. Praeterea cf. Diehl, 1021, 2745 (*Provinus*).

Prudence[f]: Prudentia, ae, f. Nomen derivatum est a *pro-video*, *providentia*; cf. Cic. *Nat. deor.* II, 58.

Prudenzio[i] **Prudence**[g] **Prudencio**[h]: Prudentius, ii, m. Ducitur a *prudente*, quod verbum, si originationem spectes, idem est ac *pro - videns.* – (Mart. Rom. IV Cal. Mai.).

Psiche[i]: Psyche, es, f. Verbo ψυχή, a ψύχω (= *halo*, *spiro*) deducto, significatur *halitus*, *vita*, *anima*. Nomen invaluit propter fabulam, quam L. Apuleius de Psyche et Cupidine scripsit, et quae artibus saepe est expressa. Cuius puellae « tam praecipua, tam praeclara pulchritudo nec exprimi ac ne sufficienter quidem laudari sermonis humani penuria poterat. Multi denique civium et advenae copiosi, quos eximii spectaculi rumor studiosa celebritate congregabat, inaccessae formonsitatis stupidi et admoventes oribus suis dexteram primore digito in erectum pollicem residente eam ut ipsam prorsus Venerem religiosis venerabantur adorationibus » (id. *Met.* IV, 28). Quo in pulchritudinis inani prae-

conio consuetudinem admirantium vel religionem colentium, ad haec usque tempora a gentibus in meridianis regionibus habitantibus servatam, est videre.

Publio[i]: Publius, ii, m. Est vetus praenomen Romanum, a fonte Etrusco, ut videtur, derivatum ; cf. G. Devoto, *Studi Etruschi*, 265 ; C.I.E. 9640 sq. : *pupli*. Plures Caelites hoc nomine insignes in Mart. Rom. recensentur, ut XII Cal. Febr.

Pudenziana[i]: Pudentiana, ae, f. Nomen, perinde ac *Pudens*, *Pudentianus*, *Pudentilla* e. s., ductum est a verbo *pudendi* ; quod secundum alios est cognatione coniunctum cum *tripudio* (*repudio*), secundum alios cum *pube* ; cf. Walde-I. Hofmann II, p. 381 sq. Sollemne S. Pud., virginis, in Mart. Rom. recensetur XIII Cal. Iun.

Pulcheria[i] **Pulcherine**[ge]: Pulcheria, ae, f. Quod ad *h* litteram seu aspirationem pertinet, cf. Cic. *Or.*, 48 : « Quin ego ipse, cum scirem ita maiores locutos esse, ut nusquam nisi in vocali aspiratione uterentur, loquebar sic, ut *pulcros*, *Cetegos*, *triumpos*, *Kartaginem* dicerem ; aliquando, idque sero, convicio aurium cum extorta mihi veritas esset, usum loquendi populo concessi, scientiam mihi reservavi ». Ergo Ciceronis temporibus aspiratio (*pulchros*) in vulgi consuetudine vigebat ; quin, ut est apud Quintilianum, I, 5, 2, nimius usus *h* litterae invaluit, ut *choronae*, *chenturiones*, *praechones* scriberentur ; et iam antea Catull., 58, Arrium quendam vellicavit, quod *chommoda* diceret. Secundum quosdam huiusmodi aspiratio in verbis Latinis obtinet, cum soni liquidi proximi sunt ; cf. *lachryma*, *archa*, *trichlinium*, ut in veteribus titulis interdum scriptum videmus. De originatione autem verbi *pulcher* non constat.

Ipsum denique nomen Pulcheriae in Cod. Theod. recensetur et in veteribus titulis christianis apud Diehl, 3063, 4811. – (Cf. Mart. Rom. IV Id. Sept.).

Purificación[h]: Maria a purificatione, f. Hispani puellas saepe ab aliquo nomine, quod B. Mariae Virgini adicitur, vel ab aliquo eius « mysterio », quod vocatur, appellant. Hic agitur de purificatione Mariae, quae IV Non. Febr. quotannis festis recolitur ritibus.

Ex legis praescripto unaquaeque mulier Hebraea, quae puerum genuit, post eius circumcisionem, XXX dies, purificationis causa, nihil sancti tangebat. Quo tempore expleto, sacrarium ingrediebatur, sacrificium Domino oblatura (cf. *Levit.*, 12, 1-8). Quam legem augusta Deipara eademque purissima Virgo, qua erat virtute, non detrectavit.

Verbum purificationis non solum in sacris litteris aliisque operibus christianis (ex. gr. apud Cyprianum), sed etiam apud auctores, qui post Augusti aetatem fuerunt, scriptum videmus, veluti apud Plinium, *Nat. hist.* XV, 30, 40 (138) : « laurus purificationibus adhibetur ».

Purita[h]: Maria a purificatione, f. Ita enim ab Hispanis blande dicitur pro *Purificación* ; v. ib.

Q

Quentin[g]: v. *Quintino.*

Quintino[i] **Quentin**[g] **Quintín**[h]: Quintinus, i, m. Deducitur a *Quinto*, seu, si originem velis explicare, a verbo primitivo *quinquetos* ; cf. Graec. πέμπτος ; prisc. Germ. *fimfto* ; prisc. Gall. *pinpetos* ; prisc. Ind. *pakthatháh* ; cf. Walde-Hofmann, II, p. 408. – (Mart. Rom. prid. Cal. Nov.).

Quintilio[i]: Quintilius, ii, m. Ducitur a *Quinto* (cf. Pompeius - Pompilius), non a *Quintili*, quo nomine mensis Iulius appellatus est. Quod ad originem attinet, cf. *Quintino.*

Quinto[i] **Quinto**[h]: Quintus, i, m.; cf. *Quintino.*

Quinzio[i]: Quintius, ii, vel Quinctius, m.; videtur magis probanda prior scribendi ratio, quandoquidem etiam Graeci hoc nomen suis litteris ita exarare soliti sunt : Κοίντιος. Frequentatur apud scriptores et in titulis. Sollemne Caelitis, ita appellati, recensetur in Mart. Rom. Non. Sept.

Quirico[i]: Cyriăcus, i, m.; v. *Ciriaco.* Ab Italis enim hoc nomen in *Quirico* deflectitur. Apud Hispanos quoque hoc nomen (*Quirico*) interdum offendimus.

Quirino[i] **Quirin**[g]: Quirinus, i, m. Hoc nomine appellabatur deus Sabinus, qui postea assimilatus est Romulo. Originationem veteres scriptores explicavere ; cf. Paul. ex Fest., 304 : « Quirina tribus a Curensibus Sabinis appellativum videtur traxisse » ; Plin. XIV, 14 : « Quiriana mala ». Itaque nomina Quirinus, Quirites a Curibus appellationem acceperunt, vetusque formula « populus Romanus Quiritesque » documento est in Urbe Romanos Sabinosque (Curenses-Quirites) simul habitavisse ; cf. F. Ribezzo, *Rivista Indo-Greco-Italica*, 14, p. 62 ; F. Altheim, *Römische Religionsgeschichte*, Berlin 1931, I, p. 67. Alii nomen derivant a *co-viriom*, quo significetur *coetus virorum* (*cum* - *viri*). – (Mart. Rom. VIII Cal. Apr. e. a.).

R

Rab[a]: bl. app. pro Roberto ; v. *Roberto.*

Rachele[i] **Rachel**[g] **Raquel**[h] **Rachel**[a] **Rachel**[ge]: Rachel, elis, f., vel in casus non inclinatur. Quo nomine Hebraico (*Râhhêl*) significatur *ovis.*

Radegonda[i] **Radegonde**[g] **Radegunda**[h] **Radegunde**[ge]: Radegundis, is, f. Quod nomen compositum est e verbis Germanicis *rât* (*rad*) et *gund, consilium* et *proelium* significantibus. Est ergo eius interpretatio : *consiliatrix in proelio.* – (Mart. Rom. Id. Aug.).

Radolf[ge] **Radulf**[ge]: v. *Raul.*

Raf[a] **Raff**[a]: bl. app. pro Radulfo usurpata ; v. *Raul.*

Raffaele[i] **Raffaello**[i] **Raphael**[g] **Rafael**[h] **Raphael**[a] **Raphael**[ge]: Raphael, elis, m. Nominis huius, a fonte Hebraico ducti (*Rephâ'el*), interpretatio est : (*quem*) *sanat Deus* vel *medicina Dei.*

Raffaella[i]: Raphaela, ae, f. ; v. *Raffaele.*

Ragnar[ge]: v. *Raniero.*

Raimonda[i] **Ramona**[h] **Raimunde**[ge]: Raimunda, ae, f. ; v. *Raimondo.*

Raimondo[i] **Raymond**[g] **Reymond**[g] **Ramon**[h] **Raymond**[a] **Raimund**[ge]: Raimundus, i, m. Nonnulli in hoc nomine Germanico litteram Graecam *y* perverse ponunt. Derivatum est enim a priscis verbis *ragin* (*regin, rain*), quo *consilium* significatur, et *mund* (cf. Graec. μύνη ; Lat. *munio* ; Germ. rec. *Vormund*, h. e. *tutor*). Est ergo nominis interpretario : *defensor consultus* seu *prudens.* – (Mart. Rom. X Cal. Febr. et prid. Cal. Aug.).

Rainaldo[i]: v. *Rinaldo.*

Reinelde[g]: v. *Reinhilde.*

Raineri[i] **Rainier**[g]: v. *Raniero.*

Ralph[a] **Ralf**[a]: v. *Raul.*

Rambaldo[i] **Rambaud**[g] **Rambaldo**[h] **Rambald**[ge]: Rambaldus, i, vel Ramboldus, i, m. Nomen ductum est a verbis Germanicis *hraban* (*ram* ; nunc dicitur *Rabe*), quo *corvus*, animal apud Germanos religiosum, significatur, et *bald* (*bold*), quod idem valet ac *fortis, strenuus.*

Rambert[g] **Rambert**[ge]: Rambertus, i, m. Nomen effectum est priscis verbis Germanicis *hraban* (*ram* ; Germ. rec. *Rabe*), quo *corvus* significatur, et *bert* (*beraht*), cuius vis est *fulgens, clarus.*

Ramiro[h]: Ramirus, i, m. Nomen compositum est e priscis verbis Germanicis *ragan* (*ragin*) - *mar* (*mir*), quorum priore *consilium*, altero *in-*

clitus, *celebratus* significatur ; cf. Förstemann, 1235 (a quo alii huius nominis scribendi prisci modi afferuntur : *Ragnimir*, *Regnimir*, *Regnemir*, *Rainmir*). Invaluit apud Hispanos (cf. Ramirus rex Asturiae, S. Ramirus, Martyr Legionensis), qui nomen a Visigothis acceperant.

Ramona[h]: v. *Raimonda.*

Ramón[h]: v. *Raimondo.*

Ran[a]: bl. app. ab Anglis pro vulgari nomine *Randal* usurpata ; v. *Randolfo.*

Ranald[ge]: v. *Reginaldo.*

Randal[a]: v. *Randolfo.*

Randolfo[i] **Randolph**[a] **Randolf**[ge] **Randulf**[ge]: Randulfus, i, m. Ut fieri solet, nomen, a fonte Germanico ductum, e duobus constat verbis : *rant* (*rand*), cuius vis est *orbis*, praesertim *clipei*, vel ipse *clipeus*, et *wolf* (*wulf*), quo *lupus* significatur ; quod vocabulum, cum alteri adiungitur, primam litteram *w* amittit. Est autem nominis interpretatio : *lupus clipeatus.*

Randolt[ge]: Randoldus, i, m. Nomen effectum est verbis Germanicis *rant* (*rand*) quo *orbis* (clipei) significatur, et *walt* (*valdan*), quod idem valet ac *dominari.*

Randulf[ge]: v. *Randolf.*

Ranieri[i] **Raniero**[i] **Ranieri**[i] **Rainier**[g] **Ranier**[h] **Rainer**[ge] : Rainerius, ii, m. Nomen petitur a fonte Germanico : scilicet a verbis *ragan* (*ragin*) - *hêr* (*harja*), *hari* ; cf. Germ. rec. *Heer*, quorum priore *consilium*, altero *exercitus* significatur. – (Mart. Rom. XV Cal. Iul.).

Raonmill[a]: v. *Reginaldo.*

Raoul[g]: v. *Raul.*

Raphael[g] **Raphael**[a] **Raphael**[ge]: v. *Raffaele.*

Rastus[a]: dem. nom. Adrasti ; v. *Adrasto.*

Ratbert[ge]: Radbertus, i, m. Nomen coaluit e verbis Germanicis *rât* (apud Anglos et Saxones *raed*), quo *consilium* significatur, et *bert* (*beraht*), suod idem valet ac *splendidus*, *fulgens.* Est ergo eius interpretatio : *clarus consiliarius.*

Ratbod[ge]: Radbodus, i, m. Nomen effectum est verbis Germanicis *rât* (etiamnum audit *Rat*), cuius vis est *consilium*, et *bod* (*boto*), quo *nuntius*, *dominator* significatur (cf. Germ. rec. *Bote*, *Gebot*).

Ratbold[ge]: Radboldus, i, m. Nominis huius Germanici, a *rât* et *bald* seu *bold* ducti, interpretatio est : *vir audax* (*bald*, *bold*)consilio (*rât*).

Raul[i] **Raoul**[g] **Raúl**[h] **Ralph**[a] **Radolf**[ge]: Radulfus, i, m. Minus recte scribitur *Radulphus.* Nomen compositum est e verbis Germanicis *rât* (*rad*) et *wulf* (*wolf* ; Goth. *vulfs*), quorum priore *consilium*, altero *lupus* significatur ; cf. Dauzat, p. 509 ; Partridge, p. 233 (apud Anglos Saxonesque olim audiebat *raedwulf*, ib.).

Raymond[g] **Raymund**[ge] : v. *Raimondo.*

Rebecca[i] **Rébecca**[g] **Rebeca**[h] **Rebekah**[a] **Rebekka**[ge] : Rebecca, ae, f. Cui nomini, a fonte Hebraico deducto (*Ribqâh*), hace est vis subiecta : *saginata.*

Redenta[i]: Redempta, ae, f. Ad verbi significationem quod attinet, v. *Redento.*

Est vetus nomen muliebre christianum, quemadmodum titulis comprobatur; cf. Diehl, 1273: « locum, quem emit Redempta H. F. cum Bonifatia, hic requiescit in pace Gemmulus lictor (= lector)... si quis eum praesumpserit inde de locum istum (sic) et ossa ipsorum inde iactaverint, habeant partem cum Iuda »; 1406 C, 2553 adn. 3032, 4322, 4837 e. a.

Sollemne S. Redemptae, virginis, recensetur in Mart. Rom. X Cal. Aug. Cuius virtutes narrat S. Gregorius Magnus, *Hom. in Ev.* II, 40; P. L. 76, 1310-1311.

Redento[i]: Redemptus, i, m. Quemadmodum liquet, puer hoc nomine appellatur ob religionem Redemptoris Servatorisque Iesu Christi.

E germani semonis Latini ratione redemptor dicitur is, qui pacta mercede et lucri causa aliquid faciendum in se suscipit; cf. Paul. ex Fest., p. 370: « Redemptores proprie atque antiqua consuetudine dicebantur, qui cum quid publice faciendum, aut praebendum condixerant, effecerantque, tum demum pecunias accipiebant. Nam antiquitus emere pro accipere ponebatur. At hi nunc dicuntur redemptores, quidquid conduxerunt praebendum utendumque ». Cic., *Div.* 2, 21, 47: « redemptor, qui columnam illam de Cotta et de Torquato conduxerat faciendam »; Plin. XXXVI, 23,55: « In antiquarum aedium legibus invenitur, ne calce recentiore trima uteretur redemptor ».

Deinde, ut est in Papiniani *Dig.* 50, 5, 8: « Fisci vectigalium redemptores », redemptor appellabatur is, qui a populo vel a principe certa pecunia emebat vectigalia exigenda, ut ea exactione faceret quaestum. Praeterea litium redemptor habebatur, qui lites alienas pretio mercabatur et peragendas suo periculo, quaestus causa, suscipiebat (cf. Ulp. *Dig.* 19, 1, 16).

Denique, ut est apud Senecam, *De benef.* II, 21, 1, redemptoris nomine is etiam veniebat, qui captivum pretio soluto e vinculis liberabat (licet hoc loco de pravo agatur redemptore): « Illud magis venire in aliquam disputationem potest, quid faciendum sit captivo, cui redemptionis pretium homo prostituti corporis et infamis ore promittit. Patiar me ab impuro servari? servatus deinde quam illi gratiam referam? vivam cum obscoeno? non vivam cum redemptore »? Cf. praeterea *Cod. Theod.* VIII, 50, 5: « Cum non redemptum ab hostibus filium... «; ib 17: « Liber captus ab hostibus et commercio redemptus tunc demum cum pretium solverit vel hoc ei qualicumque remittatur iudicio, statum pristinum recipit ».

Ex his colligitur, quam apte verbum redemptoris a christianis sit usurpatum, ut Iesus Christus significaretur, qui pretio sanguinis sui hominum genus e servitute peccati et a maledicto eripuit; cf. Hieronym. *Ep.* 66, 8: « Christus redemptio, idem redemptor ac pretium »; Augustin., *Serm.* 130, 2: « Venit Redemptor et victus est deceptor ».

Est igitur verbum Latinitatis christianae proprium effectum, ac perperam a quibusdam puri sermonis exactoribus respuitur.

Frequentatur hoc nomen in veteribus quoque titulis christianis, cf. Diehl, 1644, 3521 D, 2287A, 4565, 2297 L, 4135 B, 6720, 1615, 2287 A, 2297 L, 3521 D, 3727C : « locus Redempti et Gaudentiae. Se vivi conparaverunt ». – Recensetur in Mart. Rom. VI Id. Apr. S. Redemptus, Ferentinus in Hernicis episcopus.

Redmond[a]: Redmundus, i, m. Hoc nomen Anglorum Saxonumque proprium ducitur a *rât* (*rad*), quod verbum in *raed* apud eam gentem deflexum est (cf. *Alf - red*), et *mund* ; quorum priore *consilium*, altero *munimen*, *defensio* significatur.

Regina[i] **Régine**[g] **Regina**[h] **Regina**[a] **Regina**[ge]: Regina, ae, f. Cf. prisc. Ind. *rájñi*, h. e. *princeps femina*. Non omnino improbanda videtur opinio eorum, qui a fonte Germanico nomen deducunt ; nam a prisco vocabulo *ragin*, quo *consilium* significatur, ducitur *régina* seu *rágina*, h. e. *consiliatrix*. Malumus autem originationem Latinam servare, quandoquidem nomen etiam in veteribus titulis christianis frequentatur ; cf. Diehl, 598, 2225, 3060, 3497, 3758. S. Reginae virginis sollemne recensetur VII Id. Sept.

Reginaldo[i] **Reginaldo**[h] **Reginald**[a] **Ranald**[ge]: Reginaldus, i, m. Nomen coaluit e verbis Germanicis *ragin* (*regin*, *rain*, *rein*), cuius vis est *consilium*, et *walt* (*valdan*), quod idem valet ac *dominari* et, cum alteri verbo adiungitur, saepe primam litteram *w* amittit. Id ergo imponitur ei, qui *cum consilio* (superno) *dominatur*.

Reginalda[i]: Reginalda, ae, f. Cf. *Reginaldo*.

Regner[ge]: v. *Raniero* ; est enim idem nomen.

Reimar[ge]: Raimarus, i, m. Nomen compositum est e priscis verbis Germanicis *ragin* (*regin*, *rain*, *rein*), quo *consilium* significatur, et *mar* (cf. Germ. rec. *Märe*), cuius vis est *inclitus*, *laude celebratus*.

Reimbold[ge]: Raimboldus, i, m. Nomen ductum est a fonte Germanico : *ragin - bold* (*bald*), quae verba prisca sic in Latinum convertuntur : *consilium - fortis*, *audax*.

Reimund[ge]: v. *Raimondo*.

Reinaldo[h]: v. *Reginaldo*.

Reiner[ge]: v. *Raniero*.

Reinhard[ge]: v. *Renard*.

Reinhilde[ge] **Renilde**[ge] : Rainildis, is, vel Raineldis, is, f., ut est in Mart. Rom. XVII Cal. Aug. Prior nominis pars (*rein*, *rain*) ducitur a prisco verbo Germanico *ragin* vel *regin*, quo *consilium* (deorum) significatur, altera est priscum verbum, item Germanicum, *hild*, quod idem valet ac *proelium* ; est ergo interpretatio : *bellatrix consulta* seu *prudens*. Apud Sidon. IV, *ep*. 8, 5, nomen scriptum videmus ex vocabuli *ragin* primitiva ratione : *Ragnahilda* ; quo nomine appellabatur uxor Eurici regis Gothorum.

Reinhold[ge] **Reinold**[ge] : v. *Rinaldo*.

Reinmar[ge] : v. *Reimar*.

Reintraud[ge]: Raintrudis, is, f.

Prior nominis, a fonte Germanico deducti, pars derivanda est a prisco verbo *ragan* vel *ragin*, *regin*, quo *consilium* significatur, quodque paulatim in *rain*, *rein* abiit; altera vero olim appellabatur *trude* seu *drude*, quo intellegebatur *fabularis saga Germanica*; tamen antiquis iam temporibus subaudiebatur etiam vox *trût*, cuius vis est *carus*, *comis* (cf. Germ. rec. *traut*).

Uxori Dagoberti I regis Francorum nomen erat *Ragnetrudis* (M.G.H., *Script. rer. Meroving.* II, p. 150), quo prisca scribendi ratio servatur; *Raintrudis* invenitur in aliis operibus media aetate Latine conscriptis.

Reinward[ge]: v. *Renouard.*

Rembold[ge]: v. *Reimbold.*

Rembert[g] **Rembert**[ge] **Reimbert**[ge]: Rembertus, i, m. Nomen structum est e priscis verbis Germanicis *ragin* (*regin*, *rain*, *rein*) - *bert*, quae sic in Latinum convertuntur: *consilium* - *splendidus*, *a*, *um*. – (Mart. Rom. III Id. Iun.).

Rembrand[ge] **Reimbrand**[ge]: Rembrandus, i, m. Quoad priorem nominis partem (*ragin*) v. *Rembert*; altera pars est verbum Germanicum *brand*, quo *ignis*, praesertim vero *gladius micans*, significatur. *Qui* ergo *huiusmodi gladio prudenter utitur*, Rembrandus appellatur.

Remedios[h]: Maria a Remedio vel a Remediis, f. Hispani puellis saepe nomen Beatae Mariae Virgini adiectum imponunt, quod pro ipso nomine usurpatur.

Remigio[i] **Rémy**[g] **Remigio**[h]: Remigius, ii, m. Nomen plerumque derivatur a *remigio* (*remos* - *agere*; cf. *remex*). Videtur autem potius Celtica esse origo, quandoquidem in veteribus titulis Galliae occurrit nomen *Remicius*, quod certe a Celtarum sermone petendum est.

Aliis tamen placet diversa omnino originis enodandae ratio: in veteribus enim litterarum monumentis nomen ita scriptum videmus: *Remegius* vel *Remedius*; utrumque nomen sequiore aetate eodem fere modo enuntiatum esse videtur (scil. « Remezius »; cf. *medius* - « mezius » - Ital. *mezzo*). Licet ergo opinari nomen verum fuisse Remedium (cf. *Romedio*), sed vulgari efferendi ratione, et fortasse etiam Celtico illo Remicio, corruptum esse; cf. Tagliavini, p. 333 sq. – (Mart. Rom. Id. Ian.).

Remo[i]: Remus, i, m. Nomen commenticii fratris Romuli, Urbis conditoris, pertinere videtur ad deam *Remurinam* (C.I.L. VI, 566) et ad *Remuriam*, locum in summo Aventino situm, et ad agrum *Remurinum*; cf. Paul. ex Fest. ad v. *Remurinus*; Aurel. Vict. *de orig. gent. Rom.*, 23. Occurrit quoque in vetere titulo christiano, Diehl, 266.

Rémy[g]: v. *Remigio.*

Renald[ge]: v. *Rinaldo.*

Renard[g] **Reinhard**[ge]: Renardus, vel Rainardus, i, m. Coaluit e verbis Germanicis *ragin* (*regin*, *rain*, *rein*), quo *consilium* significatur, atque *hart* (*hard*), quod idem valet ac *fortis*, *audax*.

Renata[i] **Renée**[g] **Renata**[h] **Renate**[ge]: Renata, ae, f.; cf. *Renato.* Nomen

scriptum invenimus apud Diehl, 4749.

Renato[i] **René**[g]: Renatus, i, m. Est nomen vere christianum, quo *renatus baptismate sancto significatur.*

Renaud[g] **Renault**[g]: v. *Rinaldo.*

René[g] **Renée**[g]: v. *Renato*, *Renata.*

Rene[a]: dem. nom. Irenes ; v. *Irene.*

Renouard[g] **Reinward**[ge]: Renuardus, i, m. Hoc nomen Germanicum structum est e *ragin - wart*, quarum vocum priore *consilium*, altero *custos* significatur ; cf. Förstemann, 1921 ; 1239. Ad sermonis Latini rationem conformatum (*Renuardus*), scriptum videmus in M.G.H. VIII, pp. 271 ; 571 ; 572.

Renzo[i]: bl. app. pro Laurentio ; v. *Lorenzo.*

Reuben[a]: Ruben, m. ; non inclinatur in casus. Nominis huius Hebraici (*Re'ûben*) interpretatio est *vide* vel *videte filium*, quasi sit vox hominis gaudio exsultantis.

Rex[a]: Rex, gis, m. Vulgare nomen *Rex* non certe a sermone Latino in Anglicum receptum est ; fieri enim potest ut blandae appellationis causa dicatur pro Reginaldo vel Erico, quemadmodum Partridge, p. 236, opinatur. Cum vero in promptu sit ipsum verbum Latinum atque originatio a Patrtridge proposita in dubio versetur, malumus Latinum nomen Regis inducere.

Reynold[a]: v. *Rinaldo.*

Rhoda[a]: Rhode, es, f. Nomen ductum est a ῥόδον (= *rosa*), verbo a sermone aliquo orientali in Graecum sermonem recepto (cf. Pers. *vrda*, h. e. *prunus*) ; cf. ῥόδεος, α, ον, h. e. *roseus* ; ῥόδη (ex ῥοδέη), h. e. *frutex rosas producens.* Rhode appellabatur puella a Telepho adamata ; cf. Hor. *Carm.* III, 19, 27 : « Tempestiva petit Rhode ».

Rhode[a] **Rhody**[a]: v. *Rhoda.*

Ria[a] **Ria**[ge]: dem. nom. Mariae ; v. ib.

Ribert[g]: v. *Rigobert.*

Riccarda[i]: Richarda, ae, f. v. *Riccardo.*

Riccardo[i] **Richard**[g] **Ricardo**[h] **Richard**[a] **Richard**[ge]: Richardus, i, m. Minus probabilis est, quae haud raro deprehenditur, scribendi ratio : *Ricchardus*, *Riccardus*, *Ricardus.* Hoc nomen repetitur a vocibus Germanicis *rihhi*, *rich* (ex *ricja* ; cf. It. *ricco* ; Gall. *riche*) et *hard*, quae Latine sic redduntur : *rex*, *validus*, *potens*, et *audax*, *durus* ; cf. Förstemann, 1263 sq. In Mart. Rom. tres recensentur Caelites hoc nomine insignes.

Richbert[ge]: v. *Rigobert.*

Rico[i]: bl. app. pro Henrico (*Enrico*) vel Friderico (*Federico*) usurpata : v. suis locis.

Rigobert[g] **Richbert**[ge] **Rigobert**[ge]: Rigobertus, i, m. Nominis origo petenda est a verbis Germanicis *rîhhi* (*rich* ; Goth. *reiks*), quo *dominus*, *rex* significatur (cf. Lat. *rex* ; prisc. Ind. *rájan* ; prisc. Gall. *Catu - rix*, *Rigo - magus*), et a vocabulo *bert* (*beraht*), quod idem valet ac *fulgens*, *splendidus*, *clarus.* Itaque interpreteris *regem clarum.* In Mart. Rom. S. Rigoberti sollemne prid. Non. Ian. recensetur.

Rina[i]: dem. nom. Catharinae ; v. *Caterina.*

Rinaldo[i] **Renaud**[g] **Reinaldo**[h] **Reynold**[a] **Reinhold**[ge]: Rinaldus, i, vel Rainaldus, i, m. Est idem nomen ac *Reginaldi* (v. ib.), tamen , hoc breviore modo exaratum, saepius usurpatur. Nomen Rinaldi, ut exemplum afferam, legitur in M.G.H. IX, p. 793, Rainaldi vero ib., pp. 307, 369, 403, 404.

Rita[i] **Rita**[a] **Rita**[ge]: Rita, ae, f. Est quidem deminutum nomen Margaritae (v. ib.), tamen ex usu communi ut proprium nomen usurpatur. Mulier, eo insignis et Sanctorum Caelitum honoribus decorata, in Mart. Rom. a. d. XI Cal. Ian. recensetur.

Rizieri[i]: Riserius, ii, m. Nomen videtur derivatum esse a *reisiger*, quo e sermonis Germanici ratione significatur *vir paratus ad congressionem pugnae causa* ; vel a *ridger* (in quo est vis *equitandi*).

Rob[a]: bl. app. pro Roberto ; v. ib.

Roberto[i] **Robert**[g] **Roberto**[h] **Robert**[a] **Robert**[ge]: Robertus, i, m. Nomen compositum est e priscis verbis Germanicis *hrôth* (*rod*, *rut*), quo *gloria* significatur, et *bert* (*beraht*), cuius vis est *fulgidus*, *splendens*. Est idem nomen atque Ruperti (v. ib.), eoque vir *gloria florens* vel *fulgens* appellatur. – (Mart. Rom. III Cal. Mai. ; III Id. Mai. e. a.).

Roberta[i]: Roberta, ae, f. ; v. *Roberto.*

Robin[a]: bl. app. pro Roberto ; v. ib.

Rocco[i] **Roch**[g] **Roque**[h] **Rochus**[ge]: Rochus, i, m. De origine Germanica huiusce nominis convenit inter viros etymologiae peritos, non autem de ratione ab eo fonte derivandi. Sunt qui petant a *rôke*, qua in voce inest vis *diligentiae*, *curae* ; alii nomen petunt a prisco vocabulo Scandiae gentium proprio *hrôkr*, quo significatur *vir validus*, *strenuus* ; vel a verbo Burgundiorum *hroks* (Goth. *hruk*), quod idem valet ac *corvus*, avis apud priscos Germanos religiosa (Tagliavini, p. 276). Denique ex aliorum sententia subauditur verbum *rôhon*, cui haec est vis subiecta : *conclamare ad proelium* (Wasserzieher, p. 55). In veteribus litterarum monumentis commemoratur de Croco, rege Alemannorum (saec. IV) ; quod nomen, si idem esse putatur ac Rochus, pertinere videtur potius ad *hroks*, quo *corvum* significari dictum est. – (Mart. Rom. XVI Cal. Sept.).

Rod[a]: bl. app. prò Roderico ; v. *Rodrigo.*

Rodehilde[ge] **Ruthilde**[ge]: Rothildis, is, f. Derivatur a verbis Germanicis *hrôth* (*rod*) et *hild*, quorum priore *gloria*, *victoria*, altero *proelium* significatur ; scriptum videmus in vetere titulo, Diehl, 3597 (*Roteldis*).

Rodolfo[i] **Rodolphe**[g] **Rodolfo**[h] **Rodolph**[a] **Rudolf**[ge]: Rodulfus, i, vel Rudolfus, i, m. ; sed prior scribendi ratio magis probatur. A nonnullis per errorem scribitur *Rodulphus*, nam in sermone Germanico, unde deducitur nomen, litterae *ph* Graecanicorum verborum, perinde atque in lingua Latina, propriae esse solent. Nomen pervetus est, nam in titulis iam occurrit (Diehl, 3220 : *Rodulfus*),

et saeculo V commemoratur de Hrodulfo, duce Herulorum, qui fuerunt Scandiae gens « quantum velox, eo amplius superbissima » (Iordanes, *Get.*, 23). Frequentatur in litterarum monumentis media aetate conditis ; ex. gr. M.G.H., XXX, pp. 3, 8, 57, 512, 513, 514, 515, 518, 520, 572, 572 ; item III, p. 28 (*Rodulfus*). Coaluit autem e verbis primitivis *hrôth* (Goth. *hrôths*) et *wulf* vel *wolf* ; priori subiecta est haec vis : *gloria*, *victoria* ; alteri : *lupus*. Quod vocabulum (*wulf*), si verbo praecedenti adiungitur, primam litteram *w* amittit ; cf. *Adolfo*. Est autem nominis interpretatio : *lupus victor* vel *gloria ornatus*.

Rodomonte[i]: Rodomontes, is, m. Est nomen commenticium ab Ariosto fortissimo bellatori in carmine epico inditum, quod *Rolandus Furiosus* inscribitur. Item usurpavit Boiardus.

Rodrigo[i] **Rodrigue**[g] **Rodrigo**[h] **Roderic**[a] **Roderick**[a] **Roderich**[ge] : Rodericus, i, m. Coaluit e verbis Germanicis *hrôth* (*rod*) et *rîhhi* (*riks*), quorum priori haec est vis subiecta : *gloria*, alteri : *potens*, *validus*. Est ergo nominis interpretatio : *gloriâ potens*. In Mart. Rom. III Id. Mart. recensetur solemne *S. Ruderici* (= Roderici).

Roger[g] **Roger**[h] vel **Rogelio**[h] vel **Rogel**[h] **Roger**[a]: v. *Ruggero*.

Rolande[ge]: v. *Rolende*.

Rolando[i] **Roland**[g] **Rolando**[h] **Roland**[a] **Roland**[ge]: v. *Orlando*.

Roldano[i] **Roldán**[h]: v. *Orlando*.

Rolende[g] **Rolande**[ge] : Rolanda, ae, f. ; v. *Orlando*.

Rolf[a] **Rolph**[a] **Rolf**[ge]: bl. app. pro Rodulfo ; v. *Rodolfo*.

Rolly[a]: bl. app. pro Rolando ; v. *Orlando*.

Romana[i] **Romana**[h] : Romana, ae, f. Cf. *Romano*. Hoc nomen usurpatur etiam in veteribus titulis christianis, cf. Diehl, 284, 413, 2806, 3101, 1311, 2630, 3986. – (Mart. Rom. VII Cal. Mart.).

Romanina[i]: Romanilla, ae, f. Est blanda appellatio pro Romana usurpata. Ad etymologiam quod attinet, cf. *Romano*. Nomen Romanillae scriptum videmus in veteribus titulis christianis, Diehl 332 : « hic requiescit Romanilla honesta femina » ; 2542 : « Romanillae nepti dulcissimae » ; item 4157.

Romano[i] **Romain**[g] **Román**[h] **Romano**[h] **Roman**[ge] : Romanus, i, m. Nomen Romae, missis aliis originationibus, ducendum videtur a nomine gentilicio Etrusco *ruma* (cf. *Rumon*, vetus appellatio Tiberis, Serv. *ad Aen.* VIII, 63, 90 ; *ficus Ruminalis*, h. e. arbor sub qua Romulus et Remus a lupa alebantur). Recensetur saepius in Mart. Rom.

Romedio[i] **Romedius**[ge] : Romedius, ii. m. Videtur esse corruptum nomen Remedii, quod pertinet ad remedium animi a Servatore impertitum. Plura de hoc nomine videsis in commentario de *Remigio*.

Romeo[i] **Romeo**[h]: Romaeus, i, m. Vulgari vocabulo Italico *romeo* significatur *is, qui media aetate religionis causa Romam iter faciebat*. Nomen petendum est a Ῥωμαῖος, qua voce Graeci *Romanum* appellant ; qui quidem temporis successu, neglecto proprio nomine (Ἕλληνες),

se ipsos Ῥωμαίους dicere consueverant (cf. ῥωμαΐκὴ γλῶσσα = *lingua Graeca*). Nomen scriptum videmus, ut viris inditum, in titulis apud Diehl, 510, 819.

Romilda[i] **Romilda**[h] **Romilde**[ge]: Romildis, is, f. Nomen effectum est priscis vocabulis Germanicis *hrôm* (*hruom* ; cf. Germ. rec. *Ruhm*), quo *gloria* significatur, et *hild*, cuius vis est *proelium*. Est ergo eius interpretatio : *bellatrix gloriosa*. Apud Paul. Diac. IV, 38, scriptum est nomen hoc modo : *Romilda*.

Romola[i] **Romola**[a]: Romŭla, ae, f. Cf. *Romolo*, *Romano*.

Romolo[i] **Rómulo**[h]: Romŭlus, i, m. Cf. Romano.

Romualdo[i] **Romuald**[g] **Romualdo**[h] **Romuald**[ge]: Romualdus, i, m. Nomen coaluit e verbis Germanicis *hrôm* (*hruom* ; cf. Germ. rec. *Ruhm*), quo *gloria* significatur, et *walt* (*valdan*), cuius vis est *dominari*, *valere*. Eo igitur appellatur, *qui gloria plurimum valet*, vel *gloriose dominatur*. – (Mart. Rom. XIII Cal. Iul.).

Ron[a] **Ronnie**[a]: bl. app. pro *Ronald* (= *Reginaldo*) ; v. ib.

Rona[a]: Ronalda, ae, f. ; cf. *Ronald*.

Ronald[a]: Ronaldus, i, m. Est quidem, si originem spectes, idem nomen ac Reginaldus, Rinaldus (v. *Reginaldo* ; *Rinaldo*), tamen iam vim nominis proprii obtinet ; quam ob rem vulgare nomen quasi Latinitate donari posse putavi.

Roosevelt[a]: Rosveldus, i, m. Est quidem cognomen, quod nos dicimus, et quo Americani praesertim interdum pro nomine utuntur. Derivatur a fonte Batavo : *roos - veld*, quorum verborum priore *rosa*, altero *campus* significatur, quaeque sic in Latinum convertuntur : *rosetum*. Cf. Partridge, p. 241 sq. Hoc nomen propterea invaluisse videtur quod duo Praesides Foederatarum Civitatum Americae Sept. appellabantur *Roosevelt*.

Rosendo[h]: Rosindus, i, vel Rosendus, i, m. Hoc nomen conflatum est e duobus priscis verbis Germanicis, e *hrôthi*, Goth. *hrôths*, prisc. Saxonic. *hrôdr* = *gloria*, et e *sinthu* Goth. *sinths*, prisc. Scandin. *sinni*, quo *via* ac praesertim *comes*, *comitatus* significantur (cf. Germ. rec. *Gesinde* = *servitium*). Plures inveniuntur huius nominis scribendi modi, quibus origo Germanica dilucide declaratur: *Chrodosindus*, *Rudesindus*, *Rosintus* ; cf. Förstemann, 914. S. Rosindus (Rosendus), episcopus in Lusitania, recolitur Cal. Mart., ut est apud I. Stadler, *Vollständiges Heiligen-Lexikon*, V, p. 145.

Roque[h]: v. *Rocco*.

Rosa[i] **Rose**[g] **Rosa**[h] **Rosa**[a] **Rosa**[ge]: Rosa, ae, f. Fieri potest, quemadmodum nonnulli in nominis interpretandis periti opinantur, ut nominis origo sit Germanica, h. e. sit deminutum nomen *Rosamundae* (v. ib.), cuius prior pars ducitur a prisco verbo *hrôth*(*s*), quo *gloria* significatur; tamen, neglecta hac origine, a verbo Latino *rosa* petenda est ; cf. Graec. ῥόδον, Aeol. ῥοδέα (* ῥοδιά = * *roza*) ; quod verbum fortasse ab aliquo sermone gentis, quae ad Mare Internum olim incolebat, derivatum est. No-

men Rosae, mulieri inditum, scriptum videmus in vetere titulo Iudaico Latino, Diehl 4906 : « hic requiescit Andronicus men. XI et Rosa... » ; in fine litteris Hebraicis est appositum verbum *shalôm* (= *pax*). – (Mart. Rom. prid. Id. Mart., III Cal. Sept.).

Rosabel[a] **Rosabella**[a]: Rosabella, ae, f. Hoc nomen eodem fere modo fictum est quo Christabella ; eoque, e vulgari interpretatione, significatur *rosa bella* seu *venusta*.

Rosalba[i] **Rosalba**[h]: Rosalba, ae, f. Quemadmodum liquet, nomen compositum est e *rosa* et *alba*. Cf. *Rosa* ; Walde-Hofmann, 26 sq.

Rosalia[i] **Rosalie**[g] **Rosalía**[h] **Rosalia**[a] **Rosalie**[ge]: Rosalia, ae, f. Nomen plerumque derivatur e verbis coniunctis *rosa* - *Lia*, vel *rosa* - *lilio* ; quae originatio vulgarem interpretandi rationem redolet.

Videtur autem idem esse, ad ipsam originem quod attinet, ac nomen *Roscelinae*, a fonte Germanico derivatum ; cuius prior pars efficitur verbo *hrôth*, cuius vis est *gloria*, altera autem, ut C. Tagliavini opinatur (p. 299), est blanda terminatio *-lîn* (cf. Germ. rec. *-lein*). Sancta virgo, cui nomen Rosaliae (Mart. Rom. prid. Non. Sept), e Sicilia oriunda est atque adeo nomen a Normannis permanasse non perperam conici licet.

Rosalinda[i] **Rosalinda**[h] **Rosaline**[a] **Rosalind**[a]: Rosalinda, ae, f. Quoad priorem nominis partem cf. *Rosa* ; altera effecta esse videtur verbo Germanico *lind* (*linta*), quo *scutum tiliaceum* significatur.

Rosanna[i]: Rosa Anna, f. V. haec nomina suis locis.

Rosaria[i] **Rosaria**[h]: Rosaria, ae, f. Cf. *Rosario*.

Rosario[i] • **Rosario**[h]: Rosarius, ii, m. Est nomen christianum vetus, siquidem apud Diehl recensetur, 736: « hic requiescit Rosarius v.h. scoclatarius » ; 3234 A : « Rosarius dormit in pace ». Ut liquet, est adi. *rosarius*, ad rosam pertinens, quod nominis vim obtinet.

Nunc vero pueri hoc nomine appellari solent propter religionem Beatae Mariae Virginis *a Rosario*.

Roseline[a]: v. *Rosalinda*.

Rosemary[a] **Rosemarie**[ge] : Rosa Maria ; v. haec nomina suis locis.

Rosemonde[g]: v. *Rosmunda*.

Rosetta[i] **Rosina**[i] **Rosine**[g] **Rosita**[h] **Rosie**[a]: Rosŭla, ae, f. Cf. Diehl, 3058, 3156. Martyr in Africa, hoc nomine appellata, recensetur in Mart. Rom. a. d. XVIII Cal. Oct.

Rosmunda[i] **Rosemonde**[g] **Rosmunda**[h] **Rosamonda**[h] **Rosamund**[a] **Rosamunde**[ge] : Rosamunda, ae, f. Ipsa nominis origo est Germanica : prior enim pars (*rosa*) deducta est a *hrôth* (Goth. *hrôths*), quo *gloria* significatur, vel a *hros*, cuius vis est *equus* (cf. Germ. rec. *Ross* ; Angl. *horse*, h.e. *equus* ; Förstemann, p. 1282) ; altera vero (*mund*) idem valet ac *defensio*, *munimen*. Media autem aetate nomen coniunctum est cum verbo Latino *rosae* et altero verbo Germanico *mund*, quod idem valet atque *os* (Germani etiam nunc *os Mund*

appellant ; itaque Rosamunda idem fere valet atque *os rosans* seu *rubrum* vel *venustum uti rosa*). Haec immutata nominis interpretatio tribuenda est poetis Germanis, qui media aetate carmina amatoria condidere (*Minnesänger*) ; cf. Wasserzieher, p. 81.

Rosina[i]: v. *Rosetta*.

Rosolino[i]: Roscelinus, i, m. Hoc nomen, ut videtur, est priscum verbum Germanicum *hrôth*, Goth. *hrôths*, prisc. Saxonic. *hrôdr*, quod idem valet ac *gloria*, cum adiuncta syllaba *-lin*, quae blandae appellationis causa a Germanis solet poni (Germ. rec. *-lein*).

In litterarum monumentis, ut est apud Förstemann, 890, plures inveniuntur modi huius nominis scribendi : *Ruozelin*, *Ruocelin*, *Ruotcilin*, *Ruzelin*, *Roscelinus*, quae est ratio exarandi ad sermonem Latinum accommodata ; cf. M.G.H., *De lit. imperat.*, III, pp. 580, 603, 604 (*Roscelinus*, *magister compendiosus*).

Rossana[i] **Rosana**[h]: Roxane, es, f. Hoc nomine (Ῥωξάνη) appellata est uxor Alexandri Magni, quae ei filium peperit postumum (Alexandrum Aegum). Cf. *Iust.* XII, 12, 9 ; XIV, 6, 13 ; XV, 2, 5.

Rossello[i]: v. *Russell*.

Rosvilde[i]: Rosvildis, is, vel Rosvilda, ae, f. Est potius nomen commenticium, exemplo nominis Romildis, vel alius huic similis, confictum. Prior pars dici potest Germanica : *hrôth* (Goth. *hrôths*), cuius vis est gloria (cf. *Rosmunda*).

Roswitha[ge]: Rosvitha, ae, f. Nomen coaluit e priscis verbis Germanicis *hrôth* (*hrod*, *rod*), quo *gloria* significatur, et *swind* (Goth. *svinths*), cuius vis est *validus*. Cf. Förstemann, 1380. Rosvitha Gandesemensis, sacrarum virginum antistita et poetria Latina, nomen suum ita est interpretata (lib. II *praef.*) ; « Unde ego, *Clamor Validus* Gandeshemensis, non recusavi illum (sc. Terentium) imitari dictando ».

Rotraut[ge]: Rotrudis, is, f. Nomen coaluit e verbis Germanicis *hrôth*, quo *gloria* significatur, ac *trûde* (*drude*), quo appellabatur fabularis saga Teutonum.

Rowland[a]: v. *Orlando*.

Roy[a]: Rufus, i, m. Non videtur esse nomen vulgare *roy*, quo *rex* significatur, sed originis Celticae (*ruadh*, *rhud*) ; cuius e sermonis ratione idem valet ac *rufus* ; cf. Partridge, p. 244 ; Walde-Hofmann II, p. 445.

Rube[a]: v. *Reuben*.

Rubina[i] **Ruby**[a] : Rubina, ae, f. Nomine vulgari *rubino* (*Rubin*) appellatur gemma rubri coloris, unde vox deducta est. Eam Romani dixerunt carbunculum. Iuvat etiam memorare apud Dessau, 7524, nomen *Rubellae* recenseri ; rem tamen in controversia positam esse.

Rudiger[ge]: v. *Rodrigo*.

Rudolph[a] **Rudolf**[ge]: v. *Rodolfo*.

Ruffina[i] **Rufina**[i] **Rufina**[h]: Rufina, ae, f. Hoc nomen, perinde ac Rufus, pertinet ad adiect. *ruber*, *ra*, *um* (ex verbo primigenio Indico-Europaeo *reudh*), atque dialectum Italicam redolet ; cf. Umbr. *rufru*, h. e. *rubros* ; F. Sommer, *Handbuch d. lat. Laut* -

u. Formenlehre, Heidelberg 1948, pp. 165, 172, 179. – (Mart. Rom. VI Id. Iul. e. a.).

Ruffino[i] **Rufino**[i]: Rufinus, i, m.; v. *Ruffina*. – (Mart. Rom. III Cal. Aug. e. a.).

Ruggero[i] **Roger**[g] **Rogel**[h] **Roger**[a] **Rudiger**[ge]: Rogerus, i, m. Nomen coaluit e verbis Germanicis *hrôth* (*hrod, rod*) - *gêr* (Goth. *gairu*), quorum priore *gloria*, altero *hasta* significatur; eo igitur appellatur *vir qui iaculo gloriam sibi comparavit*. Graeci scripserunt: Ῥογέρης (apud Annam Comnen.).

Rui[h]: v. *Ruy*.

Ruland[ge]: v. *Orlando*; *Ruland* enim, si originationem spectes, est idem nomen ac Rolandi.

Rumoldo[i] **Rumold**[ge]: Rumoldus, i, m. Est, si originationem spectes, idem nomen ac Romualdi (v. ib.). Caelitis sic appellati sollemne recensetur in Mart. Rom. VIII Cal. Iul.

Ruperta[a]: Ruperta, ae, f.; v. *Ruperto*.

Ruperto[i] **Rupert**[g] **Ruperto**[h] **Rupert**[a] **Ruperto**[h] **Rupert**[ge] **Rupprecht**[ge]: Rupertus, i, m. Hoc nomen, perinde ac Roberti (v. ib.), derivatur a priscis verbis Germanicis *hrôth* (Goth. *hrôths*) et *bert* (*beraht*), quae sic in Latinum convertuntur: *gloria, victoria* et *fulgens, clarus*. Itaque id interpreteris: *virum gloria clarum*. Scribendi appellandique mos *Rupert* apud Germanos, regiones ad meridiem versus incolentes, invaluit, Germani autem in septemtrionali parte degentes appellavere *Robert*, a quibus Galli et Angli hoc nomen acceperunt (Wasserzieher, pp. 56-57). Eiusdem igitur nominis utraque scribendi ratio obtinet. – (Mart. Rom. VI Cal. Apr.).

Rupprecht[ge]: v. *Ruperto*.

Rurik[ge]: v. *Rodrigo*.

Russell[a]: Russellus, i, m. Nomine *Russell* alicuius familia apud Anglos solet appellari; est ergo, quod nos dicimus, cognomen idque et media aetate et hac nostra satis commune (cf. *Latinitas*, II, 1955, p. 65). Angli idem nomen acceperunt a Gallis et per hos a Latinis; cf. *russus, russeus, russulus, russellus*, quibus in verbis inest vis coloris rubri; cf. etiam Graec. ἐρυθρός; Germ. *rost*, h. e. *robigo*. In Romanum vero sermonem id deflexum videmus in Annalibus rerum Anglicarum et Hibernicarum Villelmi Camdeni, Lugd. Batav. 1625, p. 635: «Mense Augusto sufficitur Guilielmus Russellus prorex».

Ruth[i] **Ruth**[a] **Ruth**[ge]: Ruth, f.; non inclinatur in casus. Quod nomen, a fonte Hebraico ductum (*Ruth*), videtur *saturatam* significare.

Ruthilde[ge]: v. *Rodehilde*.

Rutilio[i]: Rutilius, ii, m. Nomen derivatum est ab adi. *rutilus, a, um*, quod, perinde ac *ruber*, petitur a verbo primigenio (*e*)*reu-*.

Ruy[h]: est deminutum nomen Roderici; v. *Rodrigo*.

S

Saba[i]: Saba, ae, vel Sabbas, ae, m.; ab aliis non inclinatur in casus. Derivatur ab Hebraico verbo *sabâ'*, quo *conversio* vel *captivitas* significatur. De Saba Iuliano, viro religione praeclaro, commentatus est Cassiod., *Hist. trip.*, VII, 45. – (Mart. Rom. Non. Dec.).

Sabbatino[i]: Sabbatius, ii, m. Nomen videtur deducendum esse ab Hebraico vocabulo *sâbath*, cuius vis est *requievit*, quoque dies festus Iudaeorum significatur (*Sabbatum*). Viri autem, Sabbatii nomine appellati, sollemne recensetur in Mart. Rom. a. d. XIII Cal. Oct.; quo ex nomine nuncupari solet puer, die Sabbato seu Saturni in lucem editus. Ex alio omnino fonte derivatur verbum adi. *Sabatius, a, um*; cf. *Sabatia Vada*, oppidum Liguriae, de quo Plin. III, 5, 7 commemorat; et *Sabatinus*, cf. *Sabatinus lacus*, qui nunc vulgo *lago di Bracciano* appellatur.

Sabello[i]: Sabellus, i, m. Hoc nomen *virum e stirpe Sabellica* significat, ad Sabinos pertinente; cf. Osc. *Safinim*, h. e. *Samnium*.

Sabina[i] **Sabine**[g] **Sabina**[h] **Sabina**[ge]: Sabina, ae, f.; cf. *Sabino*. In Mart. Rom. III recensentur mulieres ita appellatae.

Sabiniano[i]: Sabinianus, i, m. Derivatur a nomine *Sabini*; v. ib. In Mart. Rom. quinquies recensetur.

Sabino[i] **Savin**[g] **Sabino**[h]: Sabinus, i, m. Hoc nomine significatur quidem aliquem pertinere ad gentem Sabinorum, sed iam aetate praestantium scriptorum id viris adiciebatur; cf. Ov. *Am.* II 18, 27. Videtur autem ducendum esse a prisco verbo Indico-Europaeo *s(u)e - bho - s*, cui haec est vis subiecta: *ad proprium genus pertinens* (Johannsson, *Indogerm. Forschungen* II, 1893, p. 5 sqq. e. a.); cf. Goth. *sibja*; Germ. rec. *Sippe*, h. e. *stirps*, *tribus*. Non est autem dubium quin nomen sit cum *Samnio*, *Sabellis* cognatione coniunctum. In Mart. Rom. plures Caelites ita appellati recensentur.

Sabrina[a]: Sabrina, ae, f. Est nomen Latinum fluminis *Severn*, quod vulgo dicitur, in Britannia occidentali; Tac. *Ann.* XII, 31: « detrahere arma suspectis cunctaque castris Avonam inter et Sabrinam fluvios cohibere parat »; Ptol. II, 3, 3.

Ioannes Milton, poeta Britannus, hoc usus est nomine, ut nympham

eiusdem fluminis significaret (in opere cui index *Comus*, a. 1634). Exinde a scriptoribus usurpatum mulieribus coeptum est imponi.

Sacha[g]: bl. app. pro Alexandro e sermonis Russici ratione ; v. *Alessandro.*

Sadie[a]: bl. app. pro Sara ; v. ib.

Saens[g]: v. *Sidonio.*

Saffo[i]: Sappho, f. Declinatur in casus hoc modo : gen. *Sapphus* ; acc. *Sappho* vel *Sapphon* ; abl. *Sappho.* Origo repetitur a σάφω seu σαφηνίζω, vel a σοφός, quod poetria lyrica, hoc nomine insignis, ingenio et copia praestiterit.

Saintin[g]: v. *Santino.*

Sal[a] **Sally**[a]: videtur esse bl. app. ab Anglis et Americanis pro *Sara* (v. ib.) usurpata. Cf. Partridge, p. 247.

Sallustio[i]: Sallustius, ii, m. Quemadmodum e veteribus litterarum monumentis ac titulis eruitur, rectius scribitur cum geminata littera *l*, Graeci tamen semper Σαλούστιος posuerunt. Ducitur autem nomen a *salute* ; ubi, cum prior syllaba produceretur, geminae consonantes liquidae *l* positae sunt ; cf. Walde-Hofmann, II, p. 472.

Salomè[i] **Salomé**[g] **Salome**[a]: Salome, es. f. Est nomen Σαλόμη, in sermonem Latinum receptum ; fontem autem ipsum, unde deductum sit, Hebraicum esse inter omnes constat. E vulgari quidem interpretandi ratione repetitur a voce *shalôm*, qua *pax* significatur ; rectius autem dixeris nomen derivatum esse a verbo *shalam*, cuius vis est : (in locum alicuius) *substituere.* Haec ergo ei videtur esse sententia subiecta : (*Deus*) *substituit,* h. e. alium filium (filiam) in locum demortui (demortuae).

Salomone[i] **Salomon**[g] **Salomón**[h]: Salomon, onis, m. ; alias scriptum videmus : Solomon (Lact. *Inst.*, IV, 8, 13 et 15 ; IV, 13., 24). Ex communi autem usu ponitur Salomon atque in casus inclinatur. Hoc nomine (Σολομών; Hebr. *Shelômôh*) plerumque asseritur *pacem* significari (quam Hebraei *shalôm* appellant) ; atque adeo idem valere ac *pacificum, felicem.* – (Mart. Rom. III Id. Mart. ; IV Cal. Oct.).

Salvatore[i] **Salvador**[h]: Salvator, oris, m. Est nomen proprium Latinitatis christianae, ut ex hoc loco S. Augustini eruitur : « Christus Iesus, id est Salvator. Hoc est Latine Iesus. Nec quaerant grammatici quam sit Latinum, sed Christiani quam verum. Salus enim Latinum nomen est. Salvare et salvator non fuerunt haec Latina antequam veniret Salvator : quando ad Latinos venit, et haec Latina fecit » (*Sermo* 199 ; *P. L.* XXXVIII, 1371). Animadvertendum tamen est in Paelignorum sermone inveniri eandem hanc vocem : *Salavatur*, Walde-Hofmann, II, p. 472. Graeci quidem nomen Iesu (*Ye*ʿ*oshu'a*, h. e. *Deus est salus*) verbo σωτήρ reddiderunt, quod Romanis non erat incognitum ; cf. Cic. II *Verr.*, II, 63 : « Eum (Verrem) non solum patronum istius insulae, sed etiam sotera inscriptum vidi Syracusis. Hoc quantum est ? ita magnum, ut Latino uno verbo exprimi non possit. Is est nimirum soter,

qui salutem dedit ». Nomen Salvatoris occurrit in vetere titulo christiano apud Diehl, 3492.

Salviano[i]: Salvianus, i, m. Deducitur ab adiect. *salvus, a, um.*

Salvio[i]: Salvius, ii, m. Pertinet ad verbum *salvus, a, um.* In Mart. Rom. nomen quater recensetur.

Sam[a] **Sammie**[a] **Sammy**[a]: bl. app. pro Samuele ; v. ib.

Samuele[i] **Samuel**[g] **Samuel**[h] **Samuel**[a] **Samuel**[ge]: Samuel, elis, m. ; ab aliis non inclinatur in casus. Nominis origo in ipsis divinis litteris explicatur (I *Reg.* 1, 20) : « Et factum est, post circulum dierum, concepit Anna et peperit filium vocavitque nomen eius Samuel, eo quod a Domino postulasset eum ». Quam *petentem* (*shâ'al*) audivit *Deus* (*El*). Rectius autem deducendum videtur nomen a verbo *shem*, quo *nomen* significatur ; itaque interpreteris : *nomen* (eius) *est Deus* ; cf. Graec. Ἀπολλονυμος, h. e. *cui nomen est Apollo.* – (Mart. Rom. XIV Cal. Mart. ; XIII Cal. Sept. ; VI Id. Oct.).

Sancio[i] **Sancho**[h]: Sancius, ii, vel Sanctius, ii, m. Nomen derivatur a *sanctius*, scil. comparat. gradu adiect. *sanctus, a, um* – (Mart. Rom. Non. Iun.).

Sandor : Alexander, dri, m. ; Hungari enim Alexandrum vulgo *Sandor* appellant.

Sandra[i]: v. *Alessandra.*

Sandro[i]: v. *Alessandro.*

Sandy[a]: bl. app. pro Alexandro usurpata ; v. *Alessandro.*

Sansone[i] **Samson**[g] **Samson**[a]: Samson, onis, m. ; a nonnullis non declinatur in casus. Originem huius nominis Hebraici alii aliter enodare conantur.

Sante[i] **Santi**[i] **Santos**[h]: Sanctes, is, m. Nominibus vulgaribus *Sante, Santi, Santos* pueri appellari solent propter religionem Omnium Sanctorum, quorum sollemne Cal. Nov. (cf. Mart. Rom.) celebratur. Nomen *Sanctes, is*, apud nullum veterem Latinitatis auctorem scriptum videmus, legimus autem in *Lexico Morcelliano* (IV, p. 218).

Santiago[h]: Iacobus, i, m. ; v. *Giacomo.*

Santina[i] **Santino**[i] **Saintin**[g]: Sanctina, ae, f. ; Sanctinus, i, m. Haec quoque blanda nomina ducta sunt a verbo adiect. *sanctus, a, um* ; quae in usum adhiberi possunt, quandoquidem solum nomen *Sanctus* (vel *Sancta*) ex translaticio instituto eorum sunt propria, quibus caelestes honores decreti sunt. Nomen Sanctini in titulis christianis scriptum videmus ; cf. Diehl, I, 139 ; 1509 (Mart. Rom. X Cal. Oct.). Ibidem praeterea occurrit : *Sanctulus* (1243 ; 1422) et *Sanctula* (2280).

Santuzza[i]: v. *Santina.*

Sapphira[a]: Sapphira, ae, f. Origo huius nominis, quo venusta gemma caerulei coloris significatur, est verbum prisc. Ind. *çani-priyam* (= *qui a stella Saturno amatur*) ; cf. Semit. *sappir* ; Graec. (Graeci a Semitis verbum acceperunt) σάπφειρος ; cf. Boisacq, p. 853.

Ita appellabatur (Graec. Σαπφείρη) uxor Ananiae, qui cum agrum vendidisset, partem tantum pretii Apo-

stolis attulit, affirmans totum venditionis pretium esse; quod ipsa mulier post eum veniens mendacio asseruit. Quam ob rem uterque repentina morte interiit; cf. *Act. Ap.* V, 1 sqq.

Sara[i] **Sarah**[a]: Sara, ae, f. Derivatur ab Hebraico fonte: *sârâh*, cuius vis est *princeps*. Praeterquam in sacris litteris hoc nomen muliebre scriptum videmus in vetere titulo Iudaico apud Diehl, 4998 (*Sarra*).

Sarre[i]: bl. app. pro Balthasare; v. *Baldassarre*.

Saturnino[i] **Saturnin**[g] **Sernin**[g] **Saturnino**[h]: Saturninus, i, m. Derivatur a *Saturno*, vetere numine Italico, cuius nomen ab Etruscis in sermonem Romanum videtur influxisse. Antiquior enim appellatio fuit *Saeturnus*, cf. C.I.L., I, 449. Quem deum Etrusci dixerunt *Satre*, hoc verbum, ut nonnullis videtur, a Persis mutuati (cf. Pers. *xshâtrapâvan*, h. e. Graec. σατράπης; Lat. *satraps* vel *satrapa*). Secundum vulgarem autem interpretandi rationem (Paul. ex Fest., p. 432, quam alii secuti sunt), ducitur a verbo *serendi*. In Mart. Rom. nomen pluries recensetur.

Saul[i] **Saul**[g] **Saul**[h] **Saúl**[a]: Saul, lis, m., vel sine postrema syllaba Latina. Ducitur a verbo Hebraico *shâ'al*, h. e. *postulavit*.

Saunders[a]: v. *Alessandro*; a Scotis enim interdum *Saunders* appellatur.

Sauvaire[g]: v. *Salvatore*.

Saverio[i] **Xavier**[g] **Javier**[h] **Xaver**[ge]: Xaverius, ii, m. Est cognomentum S. Francisci, sacerdotis e Societate Iesu, studiosissimi Evangelii praeconis apud Asiae gentes, ita appellati a loco, qui Vasconico sermone *Etchabarri*, h. e. *domus nova*, audit. Quod verbum deflexum est in *Jaberri*, *Javerri*, *Xaver*; animadvertas *j* et *x* in sermone Hispanorum eodem modo efferri. Cf. Dauzat, p. 602; Tagliavini, p. 416. Sollemne huius incliti viri recensetur in Mart. Rom. V Non. Dec.

Savina[i] **Savina**[h]: Savina, ae, f. Est idem nomen atque Sabinae (v. ib.). – (Mart. Rom. III Cal. Febr.).

Savino[i] **Savino**[h]: Savinus, i, m. Est idem nomen atque Sabini (v. *Sabino*).

Savy[a]: hac blanda appellatione Hiberni pro Xaverio utuntur; v. *Saverio*.

Sawny[a]: bl. app. pro Alexandro; v. *Alessandro*.

Scevola[i]: Scaevŏla, ae, m. Qui hoc nomen interpretantur, plerumque ducunt a *scaeva*, h. e. *manu sinistra*. Quo verbo significatur praeterea *augurium*, maxime infaustum (Fest.). Varro autem, *L.L.* VII, 97, asseverat res turpiculas puerulis in collo suspendi scaevolas, ne quid obsit, bonae scaevae causa. « Ea dicta ab scaeva, id est sinistra, quod, quae sinistra sunt, bona auspicia existimantur ».

Cognomen vero *Scaevolae*, gentis Muciae proprium, a fonte Etrusco repetitur (Schulze, p. 369 sq.); cf. C.I.E. 917: *lth. sceva pocnal*; 2721: *sceva satnal*. Nomen invaluit propter C. Mucium Scaevolam, militem Romanum, qui Porsenam gladio adortus, unum ex eius satellitibus per

errorem transfodit: quare, ut in se animadverteret manumque quasi puniret, in ardentem foculum iniecit ac tandiu tenuit, donec amburereret.

Scipione[i] **Cipión**[h]: Scipio, onis, m. Ducitur a σκίπων, quo *baculus* significatur (cf. σκήπτω, h. e. *sustineo*; σκῆπτρον, *sceptrum*). Cf. etiam verbum *cippus*, *i*.

Scolastica[i] **Scholastique**[g] **Escolástica**[h] **Scholastika**[ge]: Scholastĭca, ae, f. Ducitur a *schola*, Graec. σχολή. – (Mart. Rom. IV Id. Febr.).

Sean:[a] Hoc nomine Hiberni interdum pro Ioanne utuntur; v. *Giovanni*.

Seba[a]: bl. app. pro Sebastiano; v. ib.

Sebaldo[i] **Sebald**[ge]: Sebaldus, i. m. Cf. *Siegbald*.

Sebastiano[i] **Sébastien**[g] **Sebastián**[h] **Sebastian**[a] **Sebastian**[ge]: Sebastianus, i. m. Est verbum Graecum σεβαστός, in sermonem Latinum translatum, quod ductum est a σέβομαι, quo *veneror*, *colo* (deos praesertim) significatur. Hoc nomen etiam imperatoribus adiciebatur, atque adeo idem valet ac Lat. *augustus*. – (Mart. Rom. XIII Cal. Febr. e. a.).

Seconda[i]: Secunda, ae, f.; v. *Secondo*. In Mart. Rom. nomen ter recensetur.

Secondina[i]: Secundina, ae, f. Est bl. app. pro Secunda (v. *Seconda*) usurpata, quae in veteribus titulis frequentatur; cf. Diehl 1713, 737, 1602 A, 4672, 737, 1602 A, 2808, 2898A, 3236 C, 4034, 4052, 4121 A, 4265.

Secondo[i] **Segundo**[h]: Secundus, i, m. Hoc nomen seu adiect. ductum est a verbo *sequendi*, ut *oriundus* a verbo *oriendi*. In Mart. Rom. plures Caelites ita appellati recensentur.

Segismundo[h]: v. *Sigismondo*.

Segundo[h]: v. *Secondo*.

Selene[i]: Selene, es., f. Hoc. nomen Graecum, quo *luna* significatur, in veteribus litterarum monumentis (cf. Suet. *Cal.* 26; Iust. XXXIX, 3, 2) et in titulis, ut mulieribus inditum, frequentatur; cf. Diehl, 3982 B (*Elia Selenis*).

Selma[ge]: bl. app. pro Anselma; v. ib.

Selvaggia[i]: Silvana, ae, f. Vulgare nomen Italicum *Selvaggia*, quod mulieri interdum, ex veterum scriptorum exemplo, inditur, ductum est ab adi. Latino *silvacea*, quod senescente Romanorum imperio invaluit.

Selve[g]: v. *Silvio*.

Sem[i]: Sem, m.; non inclinatur in casus. Ducitur a vocabulo Hebraico *shêm*, quo *nomen* significatur.

Semiramide[i]: Semirămis, ĭdis, vel ĭdos, f. Est nomen reginae Assyriorum fabulosae (*Shammuramat*); nomen invaluisse videtur propter Rossini drama musicum, ita inscriptum.

Sempronio[i] **Sempronio**[h]: Sempronius, ii, m. Sunt qui putent nomen *Sempronios* esse Aeolicum scribendi modum Σέμφρονας, pro Σύμφρονας, i. e. *mentis compotes*, *prudentes*; cf. On. Perin.

Sep[a] **Septimus**[a]: v. *Settimo*.

Senofonte[i]: Xenŏphon, ontis, m. Nomen conflatum est e ξένος, quo *hospes*, *peregrinus* significatur, et e φονεύω, cuius vis est *occido*.

Sepp[ge]: bl. app. pro Iosepho; v. *Giuseppino.*

Serafina[i] **Serafina**[h] : Seraphina, ae f. ; v. *Serafino.* Sanctae Caelitis ita appellatae sollemne IV Cal. Aug. in Mart. Rom. recensetur.

Serafino[i] **Serafino**[h]: Seraphinus, i, m. Nomen, plurali numero exscriptum (*serâphîm*), deductum est a voce Hebraica *sâraph*, quo *ussit*, *incendit* significatur. Ita enim appellantur Angeli e prioribus quasi a claritate atque splendore aspectus. Alii autem, minus recte, hanc vim subiciunt : *serpentem*, quae quidem sententia in verbo *sârâph* inest, sed non cadit in rem. Hebraei ergo dicunt *serâphîm*, Latini vero, e codicum fide ad criticam rationem exactorum, semper *seraphin* ; cf. *Is.* VI, 2, 6 ; Isid. *Or.* VII, 5, 24 ; Venant. Fort. *Carm.* VII, 4, 131 ; Prud. *Cath.*, IV, 4-6 : « Patri qui Cherubin sedile sacrum — nec non et Seraphin supremo — subnixus solio tenet regitque ». S. Seraphini sollemne in Mart. Rom. IV Id. Oct. recensetur.

Serena[i]: Serena, ae, f. Adi. *serenus*, *a*, *um*, coniungitur cum Graec. ξηρός, h. e. *aridus* ; prisc. Ind. *ksarah*, h. e. *urens* ; prisc. Germ. *serawen* (*serben*), h. e. *serescere* ; cf. Walde-Hofmann, I, p. 520. In Mart. Rom. S. Serenae sollemne XVI Cal. Sept. recensetur.

Sereno[i]: Serenus, i, m. Cf. *Serena*, et Mart. Rom. IV Cal. Iul.

Sergio[i] **Sergio**[h]: Sergius, ii, m. Videtur quidem nonnullis pertinere ad vocem primitivam *ser - guh*, quae coniungitur cum verbo *servandi* ; cf. Goth. *saúrga* ; Germ. *sorge*, h. e. *cura*; Lithuan. *sérgiu*, h. e. *custodio*. Secundum Schulze, p. 230, ducitur, ac quidem rectius, a verbo Etruscorum *serce*, quo gens quaedam apud eos appellabatur. In Mart. Rom. IV Caelites hoc nomine insignes recensentur.

Sernin[g]: v. *Saturnino.*

Servazio[i] **Servais**[g] **Servaz**[ge] : Servatius, ii, m. Ducitur a verbo *servandi* seu potius a participio *servatus*, *a*, *um*. – (Mart. Rom. III Id. Mai).

Servilio[i]: Servilius, ii, m. Derivatur, ut nonnulli opinantur, ab adiectivo *servilis*, *e* ; sed rectius ab ipso verbo *servi*, cui adiuncta est terminatio-*ilius*. Nomen vero servi (*servus*, *i*) Romani ab Etruscis mutuati esse videntur ; cf. Servius Tullius, vir Etruscus (Schulze, p. 247 sqq.). Praeterea etiam *verna* Etruscae est originis, ac nomen δοῦλος a Lydiorum sermone in Graecam linguam receptum ; populi enim Indici-Europaei non nisi externos habebant servos, cf. Walde-Hofmann, p. 527. – (Mart. Rom. VIII Cal. Iun.).

Servio[i]: Servius, ii, m. ; v. *Servilio.*

Sesto[i] **Sexto**[h] **Sextus**[a]: Sextus, i, m. Cf. Graec. ἕκτος ; prisc. Ind. *sasthâh* ; Goth. *saihsta* ; prisc. Germ. *sehsto.* In Mart. Rom. Caelitis sic appellati sollemne prid. Cal. Ian. recensetur.

Settimo[i] **Septimus**[a]: Septimus, i, m. V. *Settimio.*

Settimio[i] **Septimio**[h]: Septĭmius, ii, m. Derivatur, ut patet, a numero *septem* (*septimus*) ; cf. prisc. Ind. *saptá* ; prisc. Pers. *hapta* ; Graec.

ἑπτά ; Goth. et prisc. Germ. *sibun* (Germ. rec. *sieben*).

Severino[i] **Séverin**[g] **Severino**[h] **Severin**[ge]: Severinus, i, m. ; cf. *Severo.* In Mart. Rom. XI recensentur Caelites hoc nomine insignes.

Severo[i]: Severus, i, m. Hoc nomen (fuit olim cognomen) et ipsum adiect. *severus, a, um,* derivata sunt a *se - vero,* h. e. *sine comitate,* seu *qui non est fide dignus* (cf. *se - dolo, sedulus,* h. e. *sine dolo* ; *socors* ex *se - cor,* h. e. *sine corde,* seu *ingenio, diligentia*). In Mart. Rom. nomen pluries occurrit.

Shan[a] **Shane**[a]: ponitur, perinde ac *Sean,* ab Hibernis pro *John* ; v. *Giovanni.*

Shirley[a]: Sirleia, ae, f. Ita ad aures Latinas accommodavi nomen, quod revera est cognomen, ut nos appellamus. Cum in lingua Latina desit sonus, qui litteris *sh* efficitur, scripsi *s,* quemadmodum veteres christiani, qui verba Hebraica, quorum idem sonus erat proprius, consueverant ponere (cf. *Salem* = *Shalôm*).

Nomen *Shirley* invaluit postquam Carolae Bronte fabula, quae *Shirley* inscribebatur, edita est (a. 1849), maxime vero ob puellam artificem cinematographicam, quae *Shirley Temple* dicitur.

Sibilla[i] **Sibylle**[g] **Sibyl**[a]: Sibylla, ae, f. Scribitur etiam Sibulla ; est nomen Graecum Σίβυλλα, cuius origo ab orientalium gentium sermonibus est petenda.

Sicinio[i]: Sicinius, ii, m. Sicinnium, unde hoc nomen deductum est, *saltationem* significat ; cf. Gell. XX, 3, 2, et Graec. σύκιννις, h. e. *saltatio Satyrum.* Nomen mutatum est ut audiret *sincinium,* quod Paul. ex Fest. p. 455 ut *cantionem solitariam* interpretatur ; cf. et Isid. *Or.* VI, 19, 6 (*sicinium*).

Sider[ge]: bl. app. pro Desiderio.

Sidney[a] **Sydney**[a]: Sydneius, i, m. *Sidney* vel *Sydney* es nomen, quo apud Anglos familiae quaedam et urbs Australiae appellantur ; interdum vero pro nomine usurpatur. Videtur esse corrupta vox vulgaris *St. Denis* (h. e. S. Dionysius) ; cf. Partridge, p. 252.

Sidonia[i] **Sidonia**[h] **Sidonie**[ge]: Sidonia, ae, f. Cf. *Sidonio.*

Sidonio[i] **Saëns**[g] **Sidonio**[h]: Sidonius, ii, m. Derivatur a nomine urbis *Sidonis,* quod nonnulli repetunt a voce Syria *zidon* vel *zud,* cuius vis est *piscis.* Erat enim urbs celeberrima ob piscationem purpurae seu muricis. – (Mart. Rom. XI Cal. Sept.).

Siegbald[ge]: Sigbaldus, i, m. Nomen coaluit e verbis Germanicis *sigu* (Goth. *sigis* ; Germ. rec. *Sieg*), quo *victoria* significatur, et *bald,* cuius vis est *audax, fortis.*

Siegbert[ge]: Sigbertus, i, m. Nomen effectum est verbis Germanicis *sigu* (Goth. *sigis* ; Germ. rec. *Sieg*) - *bert* (*berath*), quae sic in Latinum convertuntur : *victoria - fulgens.* Nomen occurrit in antiquis litterarum monumentis ; cf. Ven. Fort. V, 3, 15 ; VII, 1, 35, 7, 28, 16, 39 ; X, 16, 2 ; M.G.H. *Chron. Min.* II, pp. 217, 490.

Siegfried[ge]: v. *Sigfrido.*

Sieghart[ge] **Siegert**[ge] : Sigehardus, i, vel Sicardus, i, m. Prior scribendi ratio occurrit saepe in M.G.H. ; cf. *Leg.* I, p. 469 ; II, p. 143 ; *Script.* XII, pp. 432, 433. Altera, quam Graeci quoque secuti sunt (cf. Σίκαρδος, Constantin. Porphyrogen. III, p. 121, ed. Bonnen.), in iisdem M.G.H. ; cf. *Leg.* I, p. 217 (*Sicardi pactio*). Nomen coaluit e verbis Germanicis *sigu* (Goth. *sigis* ; Germ. rec. *Sieg*) et *hart* (Goth. *hardus*), quibus haec est sententia subiecta : *victoria - audax, fortis.*

Sieghilde[ge]: Sigildis, is, f. Nomen coaluit e verbis Germanicis *sigu* (Germ. rec. *Sieg*), quod idem valet ac *victoria*, et *hild*, quo *proelium* significatur. Est ergo eius interpretatio : *bellatrix victor.*

Sieglinde[ge] **Sigelind**[ge] : Sigelinda, ae, f. Nomen structum est e verbis Germanicis *sigu* (cf. *Sieg*), quo *victoria* significatur, et *linda* (*linta*), cuius vis est *tilia*, vel potius *scutum tiliaceum* ; eo ergo appellatur quasi *bellatrix victor scuto tiliaceo munita.*

Siegmar[ge]: Sigismer, eris, vel Sigmarus, i, m. Priorem scribendi modum scriptum videmus apud Sidon. IV, *Ep.* 20. Est autem nomen compositum e verbis Germanicis *sigu* (apud Gothos audiebat *sigis* ; cf. Germ. rec. *Sieg*), quo *victoria* significatur, et *mar* (cf. Germ. rec. *Märe*), cuius vis est *inclitus, clarus.* Interpreteris igitur : *victorem clarum.*

Siegmund[ge]: v. *Sigismondo.*

Siegrun[ge]: Sigruna, ae, f. Nomen *sigu* (Goth. *sigis*), quo *victoria* significatur, et *rûna*, cuius vis est *arcanum, decretum occultum* (cf. *rûnen* = *fabulari*).

Siegwald[ge]: Sigoaldus, i, m. Nomen structum est e verbis Germanicis *sigu* (Goth. *sigis* ; Germ. rec. *Sieg*), quo *victoria* significatur, et *wald, walt* (*valdan*), in quo inest vis *dominandi.* Est ergo nominis interpretatio : *qui victoria*, seu *ut victor dominatur.* Ad Latini sermonis rationem scriptum videmus in M.G.H., *Script.* X, pp. 16, 17, e. a. (*Sigoaldus*).

Sigfrido[i] **Sigfredo**[h] **Sigfrido**[h] **Siegfried**[ge]: Sigefridus, i, m. Nomen ita exaratum invenimus in pluribus litterarum monumentis media aetate conditis ; cf. *Annales Corbeienses*, III, 10 ; M.G.H., *Script.*, XII, pp. 30, 310. (ib. p. 213 : *Sifridus* ; item M.G.H. *Script.* II, pp. 222, 490-495, 498, 270-274) ; in eodem opere (II) pp. 44, 212, 917 : *Sigifridus.*

Nomen effectum est verbis Germancicis *sigu* (Goth. *sigis* ; Germ. rec. *Sieg*), quo *victoria* significatur, et *frid*, cuius vis est *munitio, praesidium* (cf. Germ. rec. *um - frieden*, h. e. *circumsaepire*). Est ergo eius interpretatio eadem ac Sigismundi : *qui victoria tuetur, defendit.* Eo appellatus est heros, de quo in carmine epico Germanico, quod de *Nibelungis* inscribitur, saepe commemoratur.

Sigismondo[i] **Sigismond**[g] **Segismundo**[h] **Siegmund**[ge] : Sigismundus, i, m. Nomen effectum est prisco verbo Germanico seu Gothico *sigis* (*sigu*), quo *victoria* significatur (nunc audit *Sieg*), et *mund*, cuius vis est *praesidium, tutamen* (cf. Graec. μύνη ; Lat. *munio*). Quo nomine imprimis

appellatus est rex Burgundiorum, Theodorici gener; de eo commemorat Iord. *Get.*, 58. – (Mart. Rom. Cal. Mai.).

Sigrid[ge]: Sigridis, is, f. Hoc nomine, gentium Scandinaviae proprio, videtur significari femina, *quae equo vehitur ad victoriam.* Ducitur enim a *sigu* (cf. Germ. rec. *Sieg*), cuius vis est *victoria*, et a *rîd*, quod idem valet atque *equitare*; cf. *Astrid*, *Ingrid.*

Silla[i]: Sulla, ae, vel Sylla, ae, m. Nomen, cuius origo non uno modo enodatur, deductum esse videtur a corporis nota (in vultu); cf. Quint. I, 245: « Origines nominum quae ex habitu corporis Rufos Longosque fecerunt; ubi erit aliud secretius, Sullae, Burrhi, Galbae, Plauti, Pansae, Scauri taliaque »; cf. et Plut., *Coriol* 11, 5. Alii a sura derivant, affirmantes a sura esse surulam, quae vox contracta *Sullam* effecerit. Macrobius vero, *Sat.* I, 17, ita nomen explanat: « Bello enim Punico hi ludi (Apollinares) ex libris Sibyllinis primum sunt instituti, suadente Cornelio Rufo decemviro, qui propterea Sibylla cognominatus est et postea corrupto nomine primus Sylla coepit vocitari ». Quod commenticium esse nemo non videt. Cf. etiam Schulze, p. 372.

Silvana[i] **Silvana**[h]: Silvana, ae, f.; quoad originem cf. *Silvio*, *Selvaggia.*

Silvano[i] **Silvain**[g] **Silvano**[h] **Silvan**[a]: Silvanus, i, m. Derivatur a verbo *silvae*; cf. Graec. ξύλον; Germ. *Holz*, h. e. *lignum.*

Silverio[i] **Silverius**[a] **Silverius**[ge]: Silverius, ii, m. Derivatur a *silva*; cf. *Silvana*, *Silvio*; est autem animadvertendum terminationem *-erius* non inveniri in praestanti Latinitate ut *suffixum*; nomen ergo sequiore aetate factum esse videtur. – (Mart. Rom. XII Cal. Iul.).

Silvestro[i] **Silvestre**[g] **Silvestre**[h] **Silvester**[a] **Silvester**[ge]: Silvester, ri, m.; cf. *Silvano*, *Silvio.* Secundum Latinitatem integram et incorruptam dicitur *silvester*, *tris*, *tre*, seu *silvestris*, *e* (ita saepius). Declinandi ergo ratio *Silvester - tri*, *-o*, *-um*, *-o*, ad sequiorem pertinet aetatem. *Silvestro* (cas. dat.) legitur in C.I.L. III, 3499, 3504. – (Mart. Rom. prid. Cal. Ian. e. a.).

Silvia[i] **Sylvie**[g] **Silvia**[h] **Silvia**[a]: Silvia, ae, f. Derivatur, ut liquet, a *silva*; cf. *Silvio.*

Nomen occurrit in veteribus titulis christianis, cf. Diehl, 181: « Consulibus atavis pollens hic Silvia corpus — terrenum liquit caelica regna petens, — insignis gemino vitae quae sidere fulsit, — culminibus saeclo, religione deo »; 3176 adn.; 3584C, 4833,2. Praeterea iisdem in titulis etiam blandum nomen Silviolae scriptum videmus, iv. 3727 B: « dulcissimae matri Silviolae... ».

Silvio[i] **Sylve**[g] **Silvio**[h]: Silvius, ii, m. Minus recte scribitur Sylvius. Deducitur enim nomen a verbo *silvae*, quod non derivatur a Graecis vocavulis ξύλον vel ὕλη, sed una cum his a fonte Indico-Europaeo petendum est. Nomen Silvii frequentatur in veteribus titulis christianis, cf. Diehl, 1804: « ... tumulo requiescit in isto — Silvius hic pleno cunctis

dilectus amore — presbyter... »; praeterea 3445, 1 ; 207. – (Mart. Rom. X Cal. Mai.).

Simeone[i] **Simeon**[h]: Simeon, onis, m. Ab aliis interdum non inclinatur in casus. Est nomen Hebraicum *shime' ôn*, quod idem valet atque *audire* vel *exauditio*. Ita appellatus est secundus filius Iacob ex Lia, quae eum edens in lucem exclamavit : « Quoniam *audivit* me Dominus haberi contemptui, dedit etiam istum mihi vocavitque nomen eius Simeon » (*Gen.* 29,33). Missis aliis commemorandum est de piissimo vate Simeone, qui Divinum Infantem ulnis suis recepit (*Luc.* 2, 24-35). Est etiam vetus nomen christianum, cf. Diehl, 4461 E adn. In Mart. Rom. IX Sancti Caelites recensentur hoc nomine insignes ; sollemne Simeonis senis et prophetae, de quo supra dixi, recolitur VIII Id. Oct.

Simona[i] **Simonetta**[i] **Simone**[g] **Simonne**[g] **Simona**[h]: Simonis, ĭdis, f. Apud nullum, quod sciam, Latinitatis scriptorem hoc nomen invenitur, est tamen ad Romani sermonis rationem conformatum ; cf. *Lauris, idis* ; *Myrtis, idis, Nicolais, idis*, e. s.

Simone[i] **Simon**[g] **Simón**[h] **Simon**[a] **Simon**[ge]: Simon, onis, m. Est altera scribendi ratio nominis Hebraici Simeonis (*Shime'ôn*), a voce *shama* ducti, qua *audire, preces exaudire* significatur ; itaque nomen interpreteris : (Deus) *exaudivit*. Fortasse autem in *Simone* (Σιμών), de quo in sacris litteris commemoratur, subaudiebatur nomen Graecum Σίμων, a σιμός derivatum, cuius vis est *simus* (cf. *Simonides*). – (Mart. Rom. V Cal. Nov.).

Simmaco[i]: Symmăchus, i, m. Derivatur a verbis Graecis συν - μάχη, quae *socium in bello* significant. – (Mart. Ron. XIV Cal. Aug.).

Simpliciano[i]: Simplicianus, i, m. Derivatur ab adi. *simplex, icis*, cuius origo sic enodatur : *sem - plac*, quorum priore significatur *unum*, altero (cf. *plaga*) *latus*. – (Mart. Rom. XVII Cal. Sept. et prid. Cal. Ian.).

Sindbald[ge]: v. *Sinibaldo*.

Sinderich[ge]: Sindericus, i, m. Apud Iord. *Get.*, 60, scriptum videmus Germanico more *Sinderich*. Hoc nomine appellatus est Gothorum dux, qui Belisario ultro se dediderunt. Ducitur autem a verbis Germanicis *sind* (*sint*), quo *iter, expeditio militaris* significatur (cf. Germ. rec. *Gesinde*), et a *rîhhi* (*ricja*), quod idem valet ac *rex, dominus*.

Sinforiano[i] **Symphorien**[g]: Symphorianus, i, m. Ducitur a verbo Graeco σύμφορος, cuius vis est *utilis, conveniens*. – (Mart. XII Cal. Sept. e. a.).

Sinforosa[e] **Sinforosa**[h]: Symphorosa, ae, f. *Sinforiano*. – (Mart. Rom. postr. Cal. Iul. et XV Cal. Aug.).

Sinibaldo[i] **Sindbald**[ge]: Sinibaldus, i, m. Nomen effectum est verbis Germanicis *sind* (*sint* ; cf. Germ. rec. *Gesinde*) et *bald*, quae sic in Latinum convertuntur : *expeditio militaris*, et *audax, fortis*. Eo ergo significatur *vir in huiusmodi itinere fortis*.

Siro[i] **Siro**[h]: Syrus, i, m. Quemadmodum liquet, hoc nomine significatur *vir e Syria oriundus* ; quod frequentabatur a Romanis ut nomen

servile, quia multi ex ea regione venales in Urbem deducebantur a mangonibus. Cf. Cic. *Prov. cons.* 5 : « Iudaei et Syri, nationes natae servituti » ; id., *de or.* II, 66 : « Nostros homines similes esse Syrorum venalium » ; Iuven. VI, 350 ; Mart. IX, 3, 23 ; Patron. *Sat.* 3.

Sisto[i] **Sixte**[g] **Sixto**[h] **Sixtus**[a] **Sixtus**[ge]: Xystus, i, m. A nonnullis scribitur *Sixtus*, quasi idem sit ac Sextus ; nomen vero deductum est a fonte Graeco, a ξυστός, quo significatur *rasus*, *politus* (a ξύω) ; cf. Boisacq, p. 680 sq. Cui suffragantur veteres tituli ; cf. Diehl, 975 : « Xystus episcopus (= Pont. Max.) plebi Dei » (olim in Liberiano templo Romae pos.) ; 976 : « Cede, prius nomen, novitati cede vetustas, — Regia laetanter vota dicare libet. — Haec Petri Paulique simul nunc nomine signo - Xystus apostolicae sedis honore fruens... » (titulus olim positus, posto Ephesinam Synodum, in Basilica Eudoxiana Romae) ; e. a. Graeca nominis origo comprobatur etiam corrupta ac potius vulgari loquendi ratione, quam in veteribus titulis christianis interdum est deprehendere ; cf. ib. 2959 : « Benemerenti nipo(ti) *Susto...* » ; 290 ; 3785 : « fossore *Susto* ». *U* littera enim haud raro pro *y* ponitur. – (Mart. Rom. III Non. Apr. e. a.).

Smeralda[i] **Esmeralda**[h]: Smaragdis, ĭdis, f. Hoc nomen femininum eodem modo derivatum est a *smaragdo*, pretiosa gemma coloris viridis et pellucida, quo Myrtis a myrto (cf. *Myrtle*), Nicolais a Nicolao e. s.

Socrate[i] **Socrate**[g] **Sócrates**[h]: Socrătes, is, m. Casus accusativus apud Cic., Sen., Apul. e. a. exit, more Graeco, in *-en*. Ductum est nomen a σώζω (vel σῶς) et κρατέω, quorum priore *servo* (*salvus*) significatur, altero vero *potens sum*, *valeo*. Est ergo nominis interpretatio *servator fortis*. – (Mart. Rom. XII Cal. Mai. et XV Cal. Oct.).

Sofia[i] **Sophie**[g] **Sofía**[h] **Sophia**[a] **Sophie**[ge]: Sophĭa, ae, f. Est nomen Graecum σοφία, quo *sapientia* significatur. Prudentius, *Symm.* 34, producit paenultimam : « aetheriae coluerunt dogma Sophīae » ; haec vero ex recto linguae Latinae usu corripitur. Apud Christianos verbum σοφία minus late patebat, cum ei haec sententia subiecta esset : *sapientia divina* ; cf. templum Constantinopol. Ἁγία Σοφία. In Mart. Rom. plures recensentur Sanctae mulieres hoc nomine insignes.

Sofonisba[i]: Sophoniba, ae, f. Etiam Graece audit Σεφονίβα ; fuit filia Hasdrubalis, de qua Liv. XXX, 12, 22, 30 sqq. commemorat. Quam, Romanis infestam, Scipio a Massinissa, cui nupserat, poposcit ; qui ei veneni poculum porrexit. Unde argumentum sumpserunt plures tragoediarum scriptores.

Sofronia[i]: Sophronia, ae, f. ; v. *Sofronio*.

Sofronio[i]: Sophronius, ii, m. Nomen coaluit e verbis Graecis σῶς et φρήν, quorum priore significatur *sanus*, *salvus*, altero *mens*. – (Mart. Rom. V Id. Mart. et VI Id. Dec.).

Solange[g]: Sollemnia, ae, f. ; secun-

dum Dauzat, p. 5554, est genus femininum nominis *Sollemnius, ii*, quod in Mart. Rom. VII Cal. Oct. recensetur. Nomen autem Sollemniae in vetere titulo christiano scriptum videmus, Diehl, 3048. Verbum adi*sollemnis, e*, unde nomen derivatur, coaluit ex *sollus - annus*; *sollum* autem, ut est apud Festum , p. 372, idem valet ac « totum et solidum ». Minus recte igitur cum una *l* littera (*solemnis*) scribitur.

Soledad[h]: Maria Desolata, f. Ut moris est Hispanis, verbum Beatae Mariae Virgini adiectum pro nomine ponitur ; scilicet ob religionem Deiparae Desolatae, quae Hispanico sermone *Maria de la Soledad* dicitur, puellae vulgare nomen *Soledad* solet imponi. Est autem eiusdem huius verbi vis : *solitudo, locus desertus.*

Anno 1950 Beatorum Caelitum honoribus ornata est Maria Desolata (*Soledad*) Torres Acosta, Servarum Maria Infirmis ministrantium auctor et magistra, quae anno 1887 de vita decesserat. Caritatem, qua flagravit cuiusque aestum nulla potuit restinguere calamitas, nullum fastidium comprimere, nulla extenuare iniuria, non est quin demiretur.

Solita:[h] bl. app. pro *Soledad* ; v. ib.

Sonia-Sonja : Sonia, ae, f. Sophiae nomen a Russis ita deflexum est, ut *Sonja* audiret.

Sophie[g] **Sophia**[a] **Sophy**[a] **Sophie**[ge]: v. *Sofia.*

Sören : Severinus, i, m. ; v. *Severino. Sören* enim est Danica huius nominis scribendi ratio (a *Söwren*).

Sostene[i]: Sosthĕnes, is, m. Est nomen Graecum Σοσθένης vel Σωσθένης, quod ductum est a σῶς et σθένω, quorum priore *salvus*, altero *valeo* significatur. – (Mart. Rom. IV Id. Sept. et IV Cal. Dec.).

Sotero[i] **Soter**[g] **Sotero**[h] **Soter**[ge]: Soter, eris, m. ; quod nomen Graecum (σωτήρ) Latine redditur verbo *servatoris* ; cf. *Salvatore.* – (Mart. Rom. VII Cal. Mart.).

Souleine[g]: v. *Solange.*

Spartaco[i]: Spartăcus, i, m. Nomen deductum esse videtur a σπάρτον, quo *funis* significatur, adeo ut idem fere valeat atque *is qui vinciat* seu *liget.* Quo insignis fuit gladiator, e Thracia oriundus, qui manu servorum coacta, quasi iusto exercitu comparato, bellum ingens Romanorum rei publicae excitavit.

Sperandio[i]: Sperandeus, i, m.

Est nomen sermonis Latini vulgaris, quod in vetere titulo christiano invenitur, Diehl, 3649 : « clauditur oc (sic) gremium Sperandeus rite sepultus — qui studuit vitam semper abere (sic) piam ». Praeterea scriptum videmus etiam nomen *Spesindeu(s)*, Diehl 2950 B.

Est autem nominis significatio aperta : *qui in Deum sperat* seu *Deo confidit.*

Speranza[i] **Esperanza**[h]: Spes, ei, f. Hoc nomen veteres etiam mulieribus interdum imponebant (cf. Niedermann, *Melanges Ernout*, 275) vel naves eo appellabant. Sollemne S. Spei virginis Cal. Aug. in Mart. Rom. recensetur.

In veteribus autem titulis christia-

nis scriptum legimus etiam nomen satis vulgare Sperantiae (*Sperantia, ae*) : Diehl 3324 ; 4121 D : « Aurelius Castus m. VIII fecit filio suo Antonia Sperantia » ; 4039 A : Ισπηραντια βενεμερεντι φηκειτ (= *Sperantia benemerenti fecit*).

Stanislao[i] **Stanislas**[g] **Estanislao**[h] **Stanislas**[a] **Stanislaus**[ge]: Stanislaus, i, m. Hoc nomine Polonico signatur *is qui constantia gloriam adeptus est.* – (Mart. Rom. Non. Mai. et Id. Aug.).

Stazio[i]: Statius, ii, m. Ducitur a verbo primitivo *sta*, unde derivatum est partic. *status*.

Stella[i] **Stella**[a] **Estela**[h]: Stella, ae, f. Est vetus nomen Indicum-Europaeum ; ducitur enim a *ster - la* ; cf. Graec. ἀστήρ ; prisc. Ind. et Pers. *star* ; Goth. *stairno* ; prisc. Germ. *sterno* (nunc *Stern*) ; Brit. (Celt.) *sterenn*.

Stefania[i] **Stéphanie**[g] **Estefania**[h] **Stephana**[a] **Stephanie**[ge] : Stephania, ae, f. V. *Stefano.*

Stefano[i] **Etienne**[g] **Esteban**[h] **Stephen**[a] **Stefan**[ge] **Stephan**[ge] : Est nomen Στέφανος, Graecis etiam ante Christum natum cognitum (cf. filius Thucididis), in Latinum sermonem receptum. Verbo autem στέφανος significatur *corona* (στέφω = *redimio*). – (Mart. Rom. VII Cal. Ian. e. a.).

Steno[i]: bl. app. pro Stephano ; v. *Stefano.*

Stephan[ge]-**Stephen**[a]: v. *Stefano.*

Stéphanie[g] **Stephana**[a] **Stephanie**[ge] : v. *Stefania.*

Sturm[ge] **Storm**[ge] : Sturmius, ii, m. Nomine Germanico *Sturm* significatur *impetus, tempestas* ; hoc viro, qui cum impetu fertur in proelium, imponitur. Eo appellatus est Sanctus Caeles, qui praefuerat coenobio Fuldensi, cuiusque sollemne in Mart. Rom. a. d. XVI Cal. Ian. recensetur.

Sue[a]: bl. appl. pro Susanna ; v. ib.

Suelo[h]: bl. app. pro *Consuelo* ; v. *Consolata.*

Suitbert[ge] **Swindbert**[ge] : Suitbertus, i, m. Coaluit e priscis verbis Germanicis *swind* (Goth. *svinths*), quo *validus* significatur, et *bert* (*beraht*), cuius vis est *clarus, fulgidus*. S. Suitberti sollemne Cal. Mart. in Mart. Rom. recensetur.

Sukey[a]: v. *Susanna.*

Sulpizio[i] **Sulpice**[g] **Sulpicio**[h] **Sulpiz**[ge]: Sulpicius, ii, m. Perverse scribitur a nonnullis Sulpitius. Videtur esse nomen origine Etruscum, cum terminatione Latina *-icius* ; cf. *sulpni*, C.I.E. 2811 ; *suplu*, C. Pauli, *Etrusk. Stud.* 2, 104 ; 3, 57. In Mart. Rom. III recensentur Caelites hoc nomine insignes.

Susanna[i] **Suzanne**[g] **Susana**[h] **Suzanne**[a] **Susanna**[ge]: Susanna, ae, f. Ducitur a vocabulo Hebraico *shushân*, cuius vis est *lilium.* Nomen Hebraei ad Aegyptiis mutuati sunt, quorum sermone *shoshen florem loti* significat. In Mart. Rom. nomen ter occurrit.

Susie[a] : bl. app. pro Susanna ; v. ib.

Suso[ge]: Suso, onis, m. Est alterum nomen Latinis auribus accommodum, B. Henrici Seuse (1295-1366), sodalis Ordinis Dominiciani, e Germania oriundi, qui de re mystica

egregie scripta reliquit. Cuius dies festus VI Non. Mart. recoli solet.

Interdum nomen *Susonis* (= *Seuse*) pueris vel religiosis sodalibus imponitur ; quod derivatum est, quemadmodum videtur, a verbo primigenio *sûs* ; cf. *suson*, *susjan* (Germ. rec. *sausen*), cuius vis est *stridere*, *fremere*, *strepere*, *sonare*. Certa tamen nominis interpretandi ratio adhuc desideratur ; cf. Förstemann, 1373.

Suzette[g] **Suzon**[g]: bl. app. pro Susanna ; v. ib.

Sveno[i] **Swain**[a] **Sven**[ge] **Svend** : Svendus, i, m. Est nomen proprium gentium in septemtrionali Europae parte incolentium (olim audiebat *sweinn*, Sueti appellant *sven*, Dani *svend*), quo *vir bellator*, *administer ab armis* significatur.

Svetonio[i]: Suetonius, ii, m. Derivatur a verbo *suescendi*, unde ductum partic. seu adi. *suetus* ; cf. Graec. ἔθος ; Goth. *sidus* ; Germ. *Sitte*, h. e. *consuetudo*.

Swindbert[ge]: v. *Suitbert*.

Sylvain[g] **Sylvan**[a]: v. *Silvano*.

Sylvestre[g] **Sylvester**[a]: v. *Silvestro*.

Sylvie[g] **Sylvia**[a]: v. *Silvia*.

Symphorien[g]: v. *Sinforiano*.

T

Tabitha[a]: Tabitha, ae, f. Est nomen Aramaicum *tebithah*, quod Hebraice *tzebiyah* audit, quoque *caprea Afra* — *gazzella* vel *gazelle* vulgo appellant — significatur. Orientales gentes hoc nomen indere soliti sunt filiabus ob speciem oculorum et venustatem, quibus haec fera praestat; de ea saepe in sacris litteris commemoratur, atque mulierem christianam, ita appellatam, Divus Petrus in vitam revocavit; cf. *Act.* IX, 36-43.

Tacito[i]: Tacĭtus, i, m. Nomen ductum est a verbo *tacendi* (*tacitus, a, um*); cf. Ang. Sax. *thagian*; prisc. Germ. *dagen*, h. e. *silere*.

Tad[a]: bl. app. ab Americanis pro Thaddaeo usurpata; v. *Taddeo*.

Taddeo[i] **Thaddée**[g] **Tadeo**[h] **Thaddeus**[a] **Thaddäus**[ge]: Thaddaeus, i, m. Hoc nomen petendum videtur ab Hebraico verbo *thad*, cuius vis est *mamilla, pectus*; sed inter peritos de originatione non convenit. Sollemne Thaddaei, qui et Iudas dicitur, Apostoli, recensetur in Mart. Rom. V Cal. Nov.

Taffy[a]: bl. app. pro Davide usurpata.

Taide[i]: Thais, ĭdos, vel -ĭdis, f.; c. acc. exit in *-idem* vel *ida*. Fuit hetaera Atheniensis, de qua commemorant Ovid., *Ars. am.* III 604, *Rem. am.* 383 sq.; Propert. II, 6, 3. Aliae quoque mulieres famosae ita appellatae sunt.

Talia[i]: Thalīa, ae, f. Sic appellatur una ex novem Musis (Θάλεια, Θαλία), a verbo θάλλειν, cuius vis est *florere, virere*; huic Musae tribuitur comoedia. Monet quidem Servius *ad Verg. Ecl.* VI, 2, Thaleam scribi debere, ut Cythereum, Medeam; tamen Vergilium propter soni dulcedinem maluisse scribere Thaliam.

Tam[a] **Tammie**[a]: bl. app. pro Thoma; v. *Tommaso*.

Tamara[i]: Tamara, ae, f. Est nomen, quo Russi plerumque utuntur, deductum fortasse a Tammaro, episcopo Afro, tempore Vandalicae insectationis; cf. F. G. Holweck, *A Biographical Dictionary of the Saints*, St. Louis-London 1924, p. 944.

Tancia[i]: bl. app. pro Costantia; v. *Costanza*.

Tancredi[i] **Tancrède**[g] **Tancred**[a] **Tankred**[ge]: Tancredus, i, m. Prisca nominis huius Germanici ratio est *dank* (vel *tank*) - *rât* (*rad*); quibus verbis *cogitatio, ingenium* (cf. *den-*

ken) et *consilium* (cf. *Rat*) significantur. Vocabulum autem *rât* (*rad*) apud Anglos Saxonesque in *raed* deflexum est (cf. *Alf-red*). Nomin' ergo haec vis subiecta est : *consiliarius prudens*, seu *qui meditatur.* In Germanorum carmine epico, quod de *Nibelungis* inscribitur, aliisque in fabulis viri hoc nomine insignes laudibus celebrantur.

Tanja[i]: Tatiana, ae, f. Est enim *Tanja* bl. app. pro Tatiana, a gentibus Slavicis usurpata (v. ib.).

Tarcisia[i]: Tharsicia, ae, vel Tarsicia, ae, f. ; v. *Tarcisio.*

Tarcisio[i] **Tarcisius**[ge]: Tharsicius, ii, vel Tarsicius, ii, m. (cf. A. Ferrua, *Epigrammata Damasiana*, Città Vaticana 1942, p. 117). Perverse scribitur : *Tarcisius.* Hoc nomen ducitur a Graeca voce θάρσος, qua *vigor* significatur, vel potius ab adi. θαρσικός, cuius vis est *intrepidus*, *animosus.* Recensetur in C.I.L. VIII, 13328. Fieri etiam potest, ut repetendum sit a fonte Etrusco ; cf. *Tharsidius*, C.I.L. XI, 691 ; Schulze, p. 241. De praeclaro adulescente, cui nomen Tharsicio, quique, ne Augustum Sacramentum traderet ethnicorum impietati, vitam profudit, S. Damasus Pont. Max. carmen condidit egregium : « Ipse (Tharsicius) animam potius voluit demittere caesus – Tradere quam canibus rabidis caelestia membra ». (A. Ferrua, l. m.). Eius sollemne a. d. XVIII Cal. Sept. celebratur (Mart. Rom.).

Tarsilla[i]: Tharsilla, ae, f. Nomen deductum, est ut nonnulli affirmant, a voce Graeca θάρσος, qua *vigor*, *animus alacer* significantur, vel a Ταρσικός (= *e Tarso oriundus*) ; veri autem similius id ab origine Etrusca repetitur (cf. *Tarsicius*, *Tarsinnius*). – (Mart. Rom. IX Cal. Ian.).

Tassilo[ge]: Tassĭlo, onis, m. Hoc nomen deducendum est a fonte Germanico : a *tât* (Goth. *dêds*), uti videtur, quod idem valet ac *facinus*, *virtus.* Est autem terminatio *-ilo* blandae appellationis causa adiuncta ; cf. *Monumenta Boica*, VII, p. 337 (a. 760) : « Tazzilo Rex Baiuvariorum » ; M.G.H. XXX, pp. 114,118, 133, 202, 223.

Tatiana[i]: Tatiana, ae, f. Nomen, quod praesertim gentibus Slavicis usitatum est (*Tatjana*), derivatur a *Tatiano*, quo praeter alios appellatus est orator, seu philosophus, Iustini discipulus (Τατιανός). Hoc vero nomen repetitur a Tatio, cuius origo videtur esse Sabina ; de quo commemorat Enn. apud *Auct. ad Herenn.* 4, 12 ; Liv. I, 10, e. a.

Tatiana virgo, a. 225, Alexandro Severo imperatore, martyrio affecta est ; cuius caput Constantinopoli asservatur (Mart. Rom. prid. Id. Ian.) ; cf. A. V. Maltzew, *Menologicon der orthodox - katholischen Kirche des Morgenlandes*, I, Berlin 1900, p. 760 sq. ; F. G. Holweck, *A Biographical Dictionary of the Saints*, St. Louis-London 1924, p. 946.

Taziana[i]: v. *Tatiana.*

Tea[i]: Thea, ae, f. Saepe vim nominis proprii obtinet, quamvis sit pars nominis Dorotheae (v. *Dorotea*), ut veri simile esse videtur ; nec improbatur opinio eorum qui id ver-

bum Graecum θεά esse contendant, quo *dea* Latine significatur.

Tebaldo[i] **Thibaud**[g] **Thibault**[g] **Teobaldo**[h] **Theobald**[a] **Theobald**[ge]: Theobaldus, i, m. Nomen structum est e priscis verbis Germanicis *theuda* et *bald*, quorum priore *gens*, altero *fortis*, *audax* significatur. Negari autem nequit verbum *theuda* (Goth. *thiuda*) interdum coniunctum esse, quamvis perperam, cum nomine Graeco θεός. – (Mart. Rom. prid. Cal. Iul.).

Tecla[i] **Tecla**[h] **Thekla**[ge]: Thecla, ae f. Nomen, quod propter virginem a S. Paulo Apostolo ad christiana sacra traductam invaluit (cuius sollemne recensetur in Mart. Rom. IX Cal. Oct.), derivatum est, ut probe conici licet, a genere feminino verbi adiectivi Graeci θεοκλῆς, scil. θεόκλεια. Quod effectum est verbis quorum priore *Deus*, altero *fama*, *gloria* significatur. Est ergo Thecla secundum nominis interpretationem *femina virtute Dei* vel *fama divina nobilis*.

Ted[a] **Teddy**[a]: bl. app. ab Anglis pro *Eduardo* plerumque usurpata, ab Americanis vero pro Theodoro; v. *Eduardo, Teodoro.*

Teenie[a] **Teeny**[a]: bl. app. pro Christina; v. *Cristina.*

Telamone[i]: Telămo, onis vel Telămon, onis, m.; c. acc. exit in *-em* apud Cic. *Tusc.* III, 39; Iuvenal., XIV, 214 e. a.; in *-a*, apud Stat. *Silv.* V, 2, 50, et *Theb.* II, 473; V, 379, IX, 68. Ducitur autem a verbo τλῆναι, cuius vis est *sustentare, sufferre*; hinc simulacra hominum, sub pondere nitenium, quae in aedificiis coronas vel mutulos sustinent, Latine telamones appellantur; cf. Vitruv. VI, 10.

Telemaco[i]: Telemăchus, i, m. Nomen coaluit e vocabulis Graecis τῆλε, quod idem valet ac *procul*, et μάχομαι, cuius vis est *pugno*; cf. A. Fick-B. Bechtel, *Griechische Personennamen*, pp. 411; 465.

Telesforo[i] **Télesphore**[g] **Telesforo**[h]: Telesphŏrus, i, m. Nomen, quod a Romanis imponi solebat tantum hominibus, qui ex orientis solis partibus advenerant, a sermone Graeco in Latinum permanavit. Apud Graecos enim Τελεσφόρος appellabatur numen, socium Aesculapii et Hygiae. Cuius significatio in aperto est: nam verbum adiect. τελεσφόρος idem valet atque *ad finem perducens*, *perficiens* (τελέω; τελεσ-φέρω). Nomen interdum adiciebatur etiam Iovi et Iustitiae, hac subiecta sententia: *ineluctabilis*, *decretorius*. – (Mart. Rom. Non. Ian.).

Telga[i]: Telga, ae, f. Ducitur a verbo Arabico *telg*, quo significatur *nix*. Cf. Sertoli Salis p. 228.

Temistocle[i]: Themistŏcles, is, m.; c. gen. interdum, more Latino, exit in *-i*; Cic. *Orat.* II, 300, *Fam.* V, 12; Nep. *Them.* 4; c. acc. in *-en*; Nep. l. m. 8, (Val. Max. V, 3: – *ea*). Origo nominis, quo appellatus est praeclarus vir Atheniensis, petitur a θέμις, quo *lex* significatur (hinc θεμιστός h. e. *iustus*, *secundum legem*), et κλέος, cuius vis est *laus*, *gloria*.

Teobaldo[i] **Teobaldo**[h] v. *Tebaldo.*

Teodeberto[i] **Thibert**[g] **Theodebert**[ge] : Theodebertus, i, m. Quod ad originationem attinet, v. *Dietberta*.

Teocrito[i]: Theocrĭtus, i, m. Nomen structum est e verbis Graecis θεός, cuius vis est *Deus*, et κριτός, quod idem valet ac *iudicio delectus*, vel secundum alios *iudex* (*deorum*). Eo, praeter alios, appellatus est bucolicorum poetarum princeps.

Teodemiro[i]: v. *Theodemar*. – (Mart. Rom. VIII Cal. Aug.).

Teodolinda[i] **Theodelinde**[ge] **Dietlinde**[ge] : Theodelinda, ae, f. Hoc nomen coaluit e verbis Germanicis *theuda* (Goth. *thiuda*), quo *gens* significatur, et e *lind*, quod idem valet ac *tilia* seu *scutum tiliaceum* (minus recte e *lint*, cuius vis est *serpens*). Prisca vox *theuda* plurimorum nominum pars effecta est idque, ut e veteribus litterarum monumentis eruitur, iam inde a saeculo I p. Chr. n. (Förstemann, 1409). Inter feminas, nomine Theodelindae appellatas, digna est quae memoretur filia Garibaldi, ducis Bavariae, nupta Authari, regi Langobardorum ; cf. Paul. Diac., *Hist. Langobard.*, M.G.H. *Script. rer. Langob.*, pp. 5, 10, 109, 110, 117-119, 123-125.

Teodolo[i]: v. *Teodulo*.

Teodorico[i] **Thierry**[g] **Teodorico**[h] **Thodoric**[a] **Theodric**[a] **Theoderich**[ge]: Theodericus, vel Theodoricus, i, m. Nomen derivatum est a prisco vocabulo Germanico *theuda*, quo *gens* significatur, et a verbo *rîhhi* (*ricja*), cuius vis est *potens*, *dominator* (cf. *rex*). *Qui* ergo *genti dominatur*, hoc nomine est insignis, quod pluribus ductoribus Germanorum inditum fuit. Vulgo saepe audit etiam *Dietrich* vel *Dieter*. – (Mart. Rom. Cal. Iul.).

Teodora[i] **Teodora**[h] **Theodora**[a]: Theodora, ae, f. ; v. *Teodoro*. In Mart. Rom. nomen sexies occurrit.

Teodoro[i] **Théodore**[g] **Teodoro**[h] **Theodore**[e] **Theodor**[ge] : Theodorus, i, m. Hoc nomen, quod coaluit e verbis Graecis θεός, h. e. *Deus*, et δῶρον, h. e. *donum*, *Dei donum* vel *a Deo donatum* significat. In Mart. Rom. plures recensentur Caelites hoc nomine insignes.

Teodosia[i] **Theodosia**[a]: Theodosia, ae, f. ; v. *Teodosio*.

Teodosio[i]: Theodosius, ii, m. Derivatur a fonte Graeco : θεός et verbo primitivo δο - (cf. δίδωμι), ita ut eius interpretatio sit : *a Deo datus*. – (Mart. Rom. III Id. Ian. ; VII Cal. Mai. e. a.).

Teodoto[i] **Theodotus**[ge]: Theodŏtus, i, m. Coaluit e verbis Graecis θεός - δοτός, quae sic in Latinum convertuntur : *a Deo datus*. In Mart. Rom. plures recensentur Caelites ita appellati.

Teodulo[i] **Teodulo**[h]: Theodulus, i, m. Hoc nomen, verbis Graecis θεός et δοῦλος effectum, *Dei servum* significat ; frequentatur in Mart. Rom.

Teofano[i]: Theophănes, is, m. Est nomen Graecum θεοφάνης, ductum a θεός, quae vox idem valet ac *deus*, et φαν - φαίνομαι, cuis vis est *appareo*, *in lucem venio*. Nominis igitur interpretatio est : *divinitus illustratus* vel *a deo ostensus*. Eo appellabatur historicus Lesbius vel Mitylenaeus,

amicus Pompeii, quem secutus est in expeditione contra Mithridatem, cuius et res gestas conscripsit tam egregie, ut non parvam laudem sibi collegerit. – (Mart. Rom. IV Id. Mart. ; prid. Nob. Dec. ; VI Cal. Ian.).

Teofila[i]: Theophĭla, ae, f. ; v. *Teofilo*. – (Mart. Rom. V Cal. Ian.).

Teofilo[i] **Théophile**[g] **Teófilo**[h] **Theophilus**[a]: Theophĭlus, i, m. Hoc nomen, a verbis Graecis θεός et φίλος (φιλέω) derivatum, ita in Latinum convertitur : *Dei amicus* vel *amator*. – (Mart. Rom. V Cal. Mai. e. a.).

Teofrasto[i] **Théophraste**[g]: Theophrastus, i, m. Ducitur a verbis coniunctis θεός (= *Deus*) et φράζω (= *loquor, percipio*) ; qui ergo *divina loquitur*, hoc nomine appellatur ; eo insignis erat philosophus, discipulus Platonis et Aristotelis.

Teopista[i]: Theopista, ae, f. ; v. *Teopisto*.

Teopisto[i]: Theopistus, i, m. Nomen effectum est verbis Graecis θεός - πιστός ; quorum priore *Deus*, altero *fidus, fidelis* (a πείθω) significatur. In lingua autem, quae κοινή appellatur et qua divini libri N. T. conscripti sunt, πιστός idem valet ac *credens* seu *qui fidem christianum profitetur*. – (Mart. Rom. XI Cal. Oct.).

Teopompo[i]: Theopompus, i, m. Nomen effectum est verbis Graecis θεός, quo *Deus* significatur, et πέμπω, in quo est vis *mittendi* ; est igitur interpretatio : *a Deo missus*. Martyr hoc nomine insignis recensetur in Mart. Rom. XII Cal. Iun.

Teotimo[i]: Theotĭmus, i, m. Derivatur a fonte Graeco, θεός - τιμάω ; est ergo nominis interpretatio ; *Deum honorans*, seu *Dei cultor*. – (Mart. Rom. VII Cal. Mai. e. a.).

Terenzino[i]: Terentiŏlus, i, vel Terentillus, i, m. ; v. *Terenzio*.

Terenzio[i] **Terence**[a]: Terentius, ii, m. Ductum est nomen aut a verbo *terendi* aut, si placet W. Prellwitz, *Glotta* 17, p. 147, assentiri, a verbo primitivo, in quo inest vis *victoris* (cf. prisc. Ind. *tarad* - (*dvesas*), h. e. *vincens* inimicos). Secundum aliam opinionem Terentius ab urbe *Tarento* ductus est (*Tarentinus, Terentinus* ; Tagliavini, pl 112). – (Mart. Rom. V Cal. Oct. e. a.).

Teresa[i] **Thérèse**[g] **Teresa**[h] **Teresa**[a] **Theresia**[ge]: Teresia, ae, f. ; neque improbari potest scribendi modus : *Theresia*. Vitiose autem interdum sic exaratur : Teresa, ae. De origine huius nominis non satis constat. Saepe derivatur a verbo θηράω, quo Latine significatur *venor* (cf. θήρευσις = *venatio*) ; aut ab insula Θήρα, in Mari Aegaeo posita (quapropter cum *h littera* post *t* scribitur). Videtur autem potius derivandum esse a Ταρχσία, ut genus femininum appellatur nominis Ταράσιος, quod aetate Byzantina, quam vacant, frequentabatur ; cf. S. Tarasius, patriarcha Constantinopol., mort. a. 806. Praeterea uxorem S. Paulini Nolani, ex Hispanis oriundi, novimus appellatam esse Tarasiam. Ad cuius nominis originem quod attinet. sunt qui opinentur id coniunctum esse cognatione cum nomine (fortasse Messapico) Τάρας, quod Latine redditur :

Tarentum. – (Mart. Ron. Id. Oct., III Non. Nov.).

Teresina[i] **Teresita**[h]: Teresilla vel Theresilla, ae, f. Cf. *Teresa.*

Teresio[i]: Teresius, ii, m. Fieri potest, ut nomen derivatum sit a Tarasio; v. *Teresa.* Reapse autem imponitur genere masculino adhibito, ob cultum S. Teresiae a Iesu vel S. Teresiae ab Infante Iesu, ex Ordine Carmelitarum Discalceatarum.

Terry[a]: bl. app. pro Terentio aut pro Teresia; v. suis locis.

Tersicore[i]: Terpsichŏre, es.,, f. Hoc nomine appellata est una ex novem Musis (Τερψιχόρη); quod coaluit e verbis τέρπω et χόρος, quorum prius *delecto,* alterum *chorum, tripudium* significat. Huic Musae praecipue inventio lyrae tribuitur.

Terzo[i]: Tertius, ii, m. Hoc nomen, a *tritos* ductum, iam Romanorum aetate viris imponebatur. – (Mart. Rom. VIII Id. Dec.).

Teseo[i]: Theseus, ei, m.; veteres quidam scriptores in cas. gen. more Graecorum ponunt: *Theseos*; cas. acc. exit vel in *-um* vel in *-a.* Origo petenda videtur a τιθέναι, cuius vis est *condere, ponere,* ita ut eo nomine significetur *conditor.*

Tess[a] **Tessa**[a] **Tessie**[a]: bl. app. pro Teresia; v. *Teresa.*

Thadée[g] **Thaddeus**[a] **Thaddäus**[ge]: v. *Taddeo.*

Thady[a]: bl. app. pro Thaddaeo usurpata; v. *Taddeo.*

Thea[ge]: bl. app. plerumque pro Dorothea usurpata; v. *Tea.*

Theobald[a] **Theobald**[ge]: v. *Tebaldo.*

Theodebert[ge]: v. *Teodeberto.*

Theodegar[ge]: Theodegarius, ii, m. Nomen effectum est verbis Germanicis *theuda,* quo *gens* significatur, et *gari* (*gêr*), cuius vis est *hasta, iaculum.*

Theodelinde[ge]: v. *Teodolinda.*

Theodemar[ge] **Thetmar**[ge] **Detmar**[ge] **Dietmar**[ge]: Theodemarus, i, m. Nomen e duobus constat priscis verbis Germanicis: *theuda* et *mar*; quorum priore *gens,* altero *clarus, fama nobilis* significatur. Est ergo interpretatio: *apud gentem clarus.* In Mart. Rom. recensetur sollemne S. Theodemiri (VIII Cal. Aug.); quod est idem nomen ac Theodemari.

Theoderich[ge]: v. *Teodorico.*

Theodolf[ge] **Theodulf**[ge]: Theodulfus, i, m. Nomen effectum est verbis Germanicis *theuda* et *wulf*(*wolf*), quae ita in Latinum convertuntur; *gens* et *lupus.* Vox *wulf,* cum alteri verbo adiungitur, ex more primam litteram *w* amittit; cf. *Adolfo.*

Théodore[g] **Theodore**[a] **Theodor**[ge]: v. *Teodoro.*

Theodoric[a]: v. *Teodorico.*

Theodotus[ge]: v. *Teodoto.*

Theodric[a]: v. *Teodorico.*

Thérèse[g] **Theresia**[ge]: v. *Teresa.*

Thetmar[ge]: v. *Theodemar.*

Thibaud[g] **Thibault**[g]: v. *Tebaldo.*

Thierry[g]: v. *Teodorico.*

Thilde[ge]: bl. app. pro *Mathilde*; v. *Matilde.*

Thirzah[a] **Tirzah**[a]: Thirza, ae, f. Hoc nomine originis Hebraicae significatur *venustas.*

Thomas[ge]: v. *Tommaso.*

Thomasina[a] **Thomassine**[a]: v. *Tommasina.*

Thommy[a]: bl. app. pro Thoma ; v. *Tommaso.*

Thorald[a] **Thorold**[a] **Thorwald**[ge]: Thoraldus, i, m. Nomen effectum est verbis coniunctis Germanicis *Thor*, quo appellatum est *numen princeps*, et *wald* (*walt*), in quo inest vis *dominandi*, *valendi*. Egregio artifici e Dania oriundo hoc nomen fuit : *Thorwaldsen*, h. e. *filius* (*son-sen*) *potentis dei Thor.*

Tibal[a] **Tibble**[a]: dem. nom. Theobaldi. V. *Tebaldo.*

Tiberio[i]: Tiberius, ii, m. Nomen, ut liquet a *Tiberi* deductum est, qui in sermone Etrusco *Θefri*, *Θepri* audiebat. Ait Varro *L.L.* V, 301, a rege Veientum *Thebrim* flumen nomen accepisse ; cf. *Tuscus amnis*, *Aen.* VIII, 473 ; X, 199 ; XI, 316. Scribendi modus *Thybris* (apud Graecos semper obtinet exarandi ratio Θύβρις) originem Etruscam confirmare videtur. Constituta origine, addere libet Tiberium pertinere ad numen Tiberim, esse ergo nomen *theophoricum*, quod vocant. – (Mart. Rom. IV Id. Nov.).

Tiburzio[i]: Tiburtius, ii, m. Pertinet ad nomen urbis *Tiburis*, quod alii a *teba* (cf. Varr. *R.R.* III, 16) ducunt, alii, fortasse rectius, a sermone Phrygio (cf. Τέμβριος, *Thymbres*). – (Mart. Rom. V Id. Aug. e. a.).

Tiernan[a]: Tigernachus, i, m. Hoc nomine Celtico significatur *regius* (cf. *tighearn* = *rex*), quod inditum est episcopo Hiberno aliisque ex ea gente viris principibus.

Tieste[i]: Thyestes, ae, et is, m. C. acc. exit vel in *-en* vel in *-em*. Alii ducunt a θύω, quod idem valet ac *sacrifico*, alii vero aliunde derivant.

Tilde[i] **Tilda**[a] **Tilly**[a]: bl. app. pro Mathilde ; v. *Matilde.*

Tilla[ge] **Tille**[ge] **Tilli**[ge]: bl. app. a Germanis pro *Mathilde* usurpata ; v. *Matilde.*

Timoteo[i] **Timothée**[g] **Timoteo**[h] **Timothy**[a]: Timothĕus, i, m. Est idem nomen ac Theotimi (v.. ib.) ; derivatur enim a τιμάω-θεός (= *honoro - Deus*). – (Mart. Rom. IX Cal. Febr. e. a.).

Tina[i] **Tina**[a]: bl. app. pro Alberta (*Albertina*) ; Christina, Clementia (*Clementina*) ; Caelestina, Huberta (*Hubertina*) ; Iustina, Martina e. a.

Tirzah[a]: v. *Thirzah.*

Tito[i]: Titus, i, m. De origine veteris huius praenominis Romani non satis constat. Est quidem verbum Latinum *titus*, quo significatur *columba agrestis* ; videtur autem hoc et ipsum praenomen e puerili loquendi modo fluxisse (cf. vulg. *Tití*, *Titti*). In sermone quoque Etrusco nomina sunt huius fortasse similia : *Tetus*, *Tetina*. Cf. Schulze, p. 244 sq. ; Walde-Hofmann, II, p. 286 sq. ; Tagliavini, p. 6. – (Mart. Rom. prid. Non. Ian.).

Tiziana[i]: Titiana, ae, f. ; v. *Tiziano.*

Tiziano[i]: Titianus, i, m. Nomen, terminatione *-anus* adiuncta, derivatum est a Tito (*Titus*, *i*) ; v. ib. Scriptum invenimus in titulis ; cf. Diehl. 247, 3179. — (Mart. Rom. IV Non. Mart.).

Tobia[i] **Tobie**[g] **Tobías**[h] **Tobias**[a] **Tobias**[ge]: Tobīas, ae, m. Nominis huius

Hebraici (*Tobîyâh*) interpretatio est : *bonum meum Yâh* (Deus). Recensetur S. Tobias, Martyr sub Licinio, in Mart. Rom. IV Non. Nov.

Tobit[a]: v. *Tobia.*

Todaro[i]: est alia appellandi ratio nominis Theodori, ab Italis usurpata ; v. *Teodoro.*

Tofano[i]: bl. app. pro Christophoro (*Cristofano*) ; v. *Cristoforo.*

Tom[a]: bl. app. pro Thoma ; v. *Tommaso.*

Tomaso[i] **Tommaso**[i] **Thomas**[g] **Tomás**[h] **Thomas**[a] **Thomas**[ge]: Thomas, ae, m. Aramaicum nomen *t'ômâ'* Latine idem valet ac *geminus* ; Graeci scripserunt Θωμᾶς (ὁ Δίδυμος), unde in Romanorum sermonem eumque christianum receptum est. – (Mart. Rom. IV et XII Cal. Ian.).

Tommasina[i]: Thomasia, ae, f. Quoad originationem v. *Tommaso.* Nomen Thomae medio, quod vocant, aevo interdum scribebatur cum terminatione Latina *-ius* vel *-us* (*Thomasius*, *Thomasus*) ; a qua exarandi ratione genus femininum (*Thomasia*) non perperam peti potest.

Tonio[i] **Tony**[a] **Toni**[ge]: v. *Antonello.*

Topazia[i]: Topazia, ae, vel Topaza, ae, f. Nomen deductum est a topazo vel topazio (apud Ambrosium topazion), gemma pretiosa viridis vel flavi coloris. Romani verbum a Graecis (τόπαζος) receperunt. Id ipsum in sacris bibliis frequentatur. Adiectivum *topazus*, *a*, *um*, id est *ad topazum pertinens* seu *topazis ornatus*, *a*, *um*, scriptum legimus apud Venant. Fort., *Vita S. Mart.* II, 454.

Haec Plinius de eo lapide exponit, *Nat. hist.* XXXVII, 8 (32) : « Egregia etiam nunc sua topazo gloria est, e virenti genere et, cum primum reperta est, praelatae omnibus. Accidit in Arabiae insula, quae Cytis vocabatur, in quam devenerant Troglodytae praedones fame et tempestate fessi, ut, cum herbas radicesque foderent, eruerent topazon. Haec Archelai sententia est. Iuba Topazum insulam in Rubro mari a continenti stadiis CCC abesse dicit ; nebulosam et ideo quaesitam (τοπάζω = *quaero*, *conicio*, forte a τόπος = *locus*) saepius navigantibus nomen ex ea causa accepisse, topaziu enim Troglodytarum lingua significationem habere quaerendi. Ex hac primum importatam Berenicae reginae, quae fuit mater sequentis Ptolomaei, ab Philone praefecto ; regi mire placuisse et inde factam statuam Arsinoei Ptolomaei uxori... ».

Toraldo[i]: v. *Thorald.*

Torello[i]: est deminutum nomen vulgare Italicum *Vittorello*, quod Latine redditur Victorinus.

Torquato[i]: Torquatus, i, m. Hoc nomine significatur *vir torque ornatus*, quod verbum (*torques*, *is*) ductum est, ut liquet, a *torquendo* (cf. prisc. Ind. *tarkúh*, h. e. *fuscum* ; Germ. med. aet. *twerge* ; Germ. rec. *zwerch*, h. e. *obliquus*). – (Mart. Rom. Id. Mai.).

Tosca[i] **Toska**[ge]: Tusca, ae, f. Nomen feminae Tusciam seu Etruriam incolentis propter Iacobi Puccini drama musicum, quod *Tosca* inscri-

bitur, maxime invaluisse videtur. Tusca, quo mulier *Etrusca* significatur, pariter ac Tuscus, petitur a voce primitiva *turs-*, quam deprehendere est in nomine Τυρσηνοί, Τυῤῥηνοί, quo Graeci Etruscos appellavere (cf. etiam Umbr. *turskum*).

Toussaint[g]: v. *Ognissanti.*

Tracy[a]: bl. app. ab Anglis pro Teresia usurpata.

Traudel[ge]: bl. app. pro Valtrude vel Gertrude; v. *Waltraut* vel *Geltrude.*

Trautwein[ge]: Truduinus, i, m.

Trieste[i] **Triestina**[i]: Tergestina, ae, f. Appellatur hoc modo femina ab urbe Tergeste, in intimo recessu sinus maris Hadriatici posita; adi. *Tergestinus, a, um*, scriptum videmus apud Plin. III, 18, 22.

Triffie[a] **Triffy**[a]: bl. app. pro Tryphaena.

Tristano[i] **Tristan**[g] **Tristram**[a] **Tristan**[ge]: Tristanus, i, m. Nomen depromptum de veteribus fabulis amatoriis gentis Britanniae Minoris, repetendum videtur a sermone Celtico (*Dristan, Drustan*, h. e. nomen druidarum proprium); cf. Dauzat, p. 578. Non est autem infitiandum id etiam cum adi. Latino *tristis, e*, vulgo coniunctum esse.

Trix[a] **Trixy**[a]: bl. app. pro Beatrice.

Trofimo[i] **Trophime**[g]: Trophĭmus, i, m. Nomen ductum est a verbo Graeco τρέφω, quo *nutrio* significatur. – (Mart. Rom. IV Cal. Dec.).

Troth[a] **Truth**[a]: Fides, ei, f. Etenim vulgari Anglorum verbo *truth* Latine *fides* significatur.

Trude[ge]: bl. app. pro Gertrude; v. *Geltrude.*

Trudon[g]: Trudo, onis, m. Si fidem habemus Alberto Dauzat, p. 570, *Trudon* scribitur per compendium pro *Thouroude*, idque blandae appellationis causa (etiam *Trudeau*). *Thouroude* vero est nomen Thoraldi (v. ib.) in Gallici sermonis rationem translatum. – (Mart. Rom. IX Cal. Dec.).

Truth[a]: v. *Troth.*

Tryphaena[a] **Tryphena**[a]: Tryphena, ae, f. Nomen, quo Angli interdum utuntur, derivatum est a fonte Graeco: a τρύφη, quo verbo *mollities, luxuria* significatur, seu a τρυφάω cuius vis est: *in deliciis vivo.* Eo appellatur apud veteres femina non ita pudica in Petronii fabula, quae *Satyricon* inscribitur. – (Mart. Rom. prid Cal. Febr.).

Tudor[a]: Theodorus, i, m. Si verbum Tudor pro nomine (dixerim praenomen) usurpatur — saepe enim familiae alicui inditum videmus — Latine redditur: Theodorus, cum hoc nomen a Celtis ita immutatum sit (*Tewdwr - Tudor*); cf. Partridge, p. 268.

Tullia[i]: Tullia, ae, f.; v. *Tullio.*

Tullio[i] **Tulio**[h]: Tullius, ii, m. Nomen fortasse ductum est a *tulliis*, quos, ut ait Paul. ex Fest., p. 482, « alii dixerunt esse silanos, alii rivos, alii vehementes proiectiones sanguinis arcuatim fluentis, quales sunt Tiburi in Aniene ». Cf. Graec. τύλη, h. e. *tumor*; itaque, si fides habeatur huic originationi, Tullius, Tullus, Tulliola homines erant adiposi. M. Lambertz autem, *Glotta* 6,

p. 12, sq., haec nomina a fonte Etrusco derivat.

Turibio[i]: Turibius, ii, m. – (Mart. Rom. IX Cal. Apr. e. a.).

Turiddu[i]: Salvator, is, m. (v. ib.) ; in vulgari enim sermone Siculorum *Turiddu* est blanda appellatio, qua *Salvatorem* significant.

Turno[i]: Turnus, i, m. De nominis origine haec apud Fulg. *Verg. cont.*, p. 105 H. legimus : « Turnus enim Graece quasi turosnus dicitur, id est furibundus sensus ». Quo nomine apud Vergilium appellatur rex Rutulorum ; deinde poeta satyricus aetate Domitiani, amicus Sidonii e. a.

Tuta[i]: bl. app. pro Gertrude ; v. *Geltrude*.

U

Ubaldo[i] **Ulbad**[g] **Hubaldo**[h] **Ubaldo**[h] **Ubald**[ge]: Ubaldus, i, m. Re quidem vera scribendum est hoc nomen ita: *Hubaldus*, cum derivatum sit ab *hug - bald* (cf. *Hugo*, *Hubertus*). Quibus priscis verbis Germanicis (*hugu*) significatur *mens*, *cogitatio* et (*bald*) *fortis*, *audax*. *Qui* ergo *mentis vi plurimum valet*, hoc nomine appellatur. Ex communi autem usu iam scribitur more Italorum *Ubaldus*. – (Mart. Rom. XVII Cal. Iun.).

Uberto[i] **Hubert**[g] **Huberto**[h] **Hubert**[a] **Hubert**[ge]: Hubertus, i, m. Nomen effectum est priscis verbis Germanicis *hugu*, cuius vis est *mens*, *ingenium*, et *bert* (*beraht*), quod idem valet atque *fulgens*, *clarus*. Qui ergo *ingenio claret*, hoc nomine appellatur; quod praeterea ab *Humberti* nomine plane differt (v.). – (Mart. Rom. III Non. Nov.).

Udalbert[ge] **Olbert**[ge]: Udalbertus, i, m. Nomen compositum est e priscis verbis Germanicis *uodal* et *bert* (*beraht*), quibus haec est vis subiecta: *possessio hereditate accepta* et *fulgens*, *splendidus*. Videtur ergo haec esse interpretatio: *vir in sede hereditaria clarus*.

Udalfried[ge]: Udalfridus, i, m. Prior nominis huiusce Germanici pars petitur a prisco verbo *uodal* (apud Anglos et Saxones audiebat *odhil*), quo *patria, possessio hereditate accepta* significatur (Förstemann, 1188), altera a verbo *frid*, quo *munitio*, *praesidium* significatur. Est ergo nominis interpretatio: *tutor possessionis*.

Udalrico[h] **Udalrich**[ge]: v. *Ulderico*.

Ughetta[i] **Huguette**[g]: Hugia, ae, f. Femininus hic modus nominis Hugonis novatus est, nititur autem ratione eiusdem nominis masculino genere interdum exarandi, quae est *Hugius*, *ii*, ac saepius in litterarum monumentis (M.G.H., *Script.* II, et VII) invenitur; cf. Förstemann, 922. Ceterum v. *Ugo*.

Ugo[i] **Hugues**[g] **Hugh**[a] **Hugo**[ge]: Hugo, onis, m. Est priscum nomen Germanicum *hugu* vel *huge*, cum postrema syllaba Latina; eo autem significatur *mens*, *animus*, *ingenium*, *cogitatio*. Videtur autem esse prior pars nominis compositi, veluti *Hugibald*, *Hugubert*, cuius altera usu adempta est. Est ergo Hugo secundum nominis interpretationem *vir cordatus*, *prudens*, *ingenio praeditus*. In Mart. Rom. IV Sancti Caelites recensentur, hoc nomine in signes.

Ugoberto[i]: Hugobertus, i, m. Est ad significationem quod attinet, idem prorsus nomen atque *Hubertus, i,* ac quidem antiquior eiusdem exarandi ratio, quippe quae propius ad originem Germanicam accedat. Cf. *Uberto*. In litterarum monumentis, media aetate conscriptis, hoc nomen multum frequentatur: *Hugubert, Hugiperht, Hugiberaht, Hugibrcht, Hugibert, Hugobert* e. s. (Förstemann, 924).

Ugolino[i]: Hugolinus, i, m. Ducitur a nomine *Hugonis* (v. *Ugo*). – (Mart. Rom. VI Id. Oct.).

Ulisse[i] **Ulysse**[g] **Ulysses**[a]: Ulixes, m. Cas. gen. exit vel in *-is* vel in *-ei,* cf. Hor. *Carm.* I, 6, 7; Ovid. *Met.* XIV, 159, 671; Auson. *Ep.* XVI, 13, XXIV, 107, e. a., vel in *-i* (*Ulixi*), cf. Cic. *Brut.* 40; *Tusc.* V, 46; Verg. *Aen.* II, 273, e. a. Cas. acc. exit vel in *-em* vel in *-en,* more Graecorum. Minus emendata est scribendi ratio *Ulyxes* vel *Ulysses.* Romani nomen herois 'Οδυσσέως in suum sermonem receperunt per Etruscos (*Ulixe*) vel Siculos (Οὐλίξης); quod quidem repetendum esse videtur ab origine Asiana (in Asia prisca nomina Λύξος vel Λίξος occurrunt); cf. P. Kretschmer, *Einleitung in die Gesch. der griech. Sprache,* Göttingen 1896, p.281; id., *Glotta* 28, 1935, p. 253 et sq.

Ulla[ge]: bl. app. a Germanis plerumque pro Udalrica (v. *Ulrica*), interdum etiam pro Ursula (v. ib.) usurpata.

Ulrica[i] **Ulrike**[ge]: Udalrica, ae, f. Minus recte scribitur, ut quibusdam placet, Uldarica; v. *Ulderico.*

Ulrico[i] **Ulric**[g] **Ulrico**[h]: v. *Ulderico.*

Ulderico[i] **Ulric**[g] **Ulderico**[h] **Ulrick**[a] **Ulrich**[ge]: Udalricus, i, m. Minus recta videtur scribendi ratio: *Uldaricus.* Coaluit autem nomen e priscis verbis Germanicis *uodal* (vel *odhil,* ut Angli et Saxones appellabant), quo *patria, possessio hereditate accepta* significatur (Förstemann, 1182), et e *rîhhi* (*ricja*), cuius vis est *dominus, potens.* – (Mart. Rom. IV Non. Iul.).

Umberto[i] **Humbert**[g] **Humberto**[h] **Humbert**[a] **Humbert**[ge]: Humbertus, i, m. Hoc nomen deducitur plerumque a verbo *hûn* (cf. *Hüne*), cuius vis est: *vir eximia corporis magnitudine,* et *bert* (*beraht*), quod idem valet atque *fulgens, clarus.* Nomen *hûn* (*Hunni*) Germani indiderunt barbaris, qui ex orientis solis partibus in Europam olim irruperunt. Alii vero priorem nominis partem repetunt a prisco vocabulo *hunn,* Scandiae gentium proprio, quo *ursus catulus* significatur; quae originatio veri similior esse videtur. Humbertus denique appellatus est comes Sabaudiae, anno 1198 mortuus, et Beatorum Caelitum honoribus decoratus.

Urania[i]: Urania, ae, f. Est nomen Musae, cui astrologia tribuitur; petitur autem a voce οὐρανός, cuius origo est ὁ-Fορανος seu ὁFορFανος seu FορFανος; cf. prisc. Ind. *Váruna-h,* h. e. *deus caeli nocturni.*

Urbano[i] **Urbain**[g] **Urban**[a] **Urban**[ge]: Urbanus, i, m. Derivatur ab *urbe,* quae vox secundum I. Devoto, *Studi Etruschi* 12, p. 147, a priscis populis

Mare Internum accolentibus est petenda ; cf. verbum Vasconicum *uri*, h. e. *urbs*. Nomen Urbani pluries occurrit in Mart. Rom.

Uria[i] **Uriah**[a]: Urīas, ae, m. Huius nominis Hebraici (*ûr - Yâh*) interpretatio est : *lux Iahve* seu *Domini*.

Uriele[i] **Uriel**[ge]: Uriel, elis, m. Hoc nomine Hebraico (*Urîel*) significatur *ignis meus* vel *lumen meum Deus*.

Urse[a] **Ursley**[a]: v. *Orsola*.

Ursula[a] **Ursula**[ge]: v. *Orsola*.

Urso[h]: v. *Orso*.

Ursule[g] **Ursula**[h] **Ursula**[ge] : v. *Orsola*.

Ursy[a] **Ursie**[a]: bl. app. pro Ursula ; v. *Orsola*.

Ury[g]: v. *Ulderico*.

Ute[ge]: Uta, ae, f. Est quidem quoad originem idem nomen atque Udae ; v. *Oda*.

V

Vaast[g]: Vedastus, i, m. Est nomen Germanicum, conflatum ex *witu*, quo *silva* significatur (cf. Angl. *wood*), et *gast*, cuius vis est *hospes*. In litterarum monumentis scriptum videmus *Widogast*, *Widigast* ; cf. Förstemann, 1568.

Valberto[i] **Valbert**[g]: v. *Gualberto*.

Valdemaro[i] **Valdemar**[h] **Waldemar**[ge]: Valdemarus, i, m. Nomen effectum est verbis Germanicis *walt* (*valdan*), in quo inest vis *dominandi*, et *mar*, quo *clarus*, *fama nobilis* significatur.

Valente[i] **Valens**[g] **Valente**[h]: Valens, tis, m. Quoad originationem v. *Valentino*. – (Mart. Rom. XI Cal. Iun.; Cal. Iun., VII Cal. Aug.).

Valentina[i] **Valentine**[g] **Valentina**[h] **Valentine**[ge]: Valentina, ae, f. ; v. *Valentino*. Recensetur in Mart. Rom. sollemne virginis ita appellatae VIII Cal. Aug.

Valentino[i] **Valentin**[g] **Valentín**[h] **Valentine**[a] **Valentin**[ge]: Valentinus, i, m. Est nomen Valens, tis, cum adiuncta syllaba *-inus*, blandae appellationis causa. Uti liquet, ducitur a verbo *valendi* ; cf. prisc. Gall. *vlatos*, h. e. *dominator* ; prisc. Germ. *waltan*, h. e. *dominari*. Non autem improbanda est opinio eorum, qui a fonte Etrusco nomen Valentini (et Valerii) deducant, scilicet a *Vala*, et hoc vocabulum e vulgari existimandi ratione cum verbo *valendi* coniunctum esse arbitrentur. In Mart. Rom. plures Caelites recensentur, hoc nomine appellati.

Valeria[i] **Valérie**[g] **Valeria**[h]: Valeria, ae, f. ; cf. *Valerio*, *Valentino*. Nomen ter in Mart. Rom. recensetur.

Valeriano[i] **Valerien**[g] **Valeriano**[h] **Valerian**[a]: Valerianus, i, m. Cf. *Valerio* ; ab hoc enim nomine ductum est. In Mart. Rom. VIII Caelites ita appellati recensentur.

Valerio[i] **Valère**[g] **Valerio**[h] **Valerius**[a]: Valerius, ii, m. Gentem Valeriam, atque adeo nomen Valerii, plures scriptores veteres tradunt appellatam esse a *Valesio*, cf. Quintil. I, 4, 13 : « nam et Valesii et Fusii in Valerios Furiosque venerunt » ; aut a *Voleso*, cf. Ovid. *Ep. ex Ponto* III, 2, 105 : « Quos Volesus patrii cognoscat nominis auctor » ; aut a *Voluso*, cf. Verg. *Aen.* XI, 463, seu *Valero*, cf. id. *Aen.* X, 752 : « quem tamen haud expers Valerus (Etruscus) virtutis avitae - deicit ». Quae nomina a fonte Etrusco, non a verbo

valendi, derivata esse videntur, ut est apud Schulze, p. 107 ; cf. nomina Etrusce *velusna*, *vlesi* (ib.). Infitiandum tamen non est Valesium (in Valerium mutatum eo quod *s* littera inter duas vocales posita fit *r*) a verbo valendi fortasse fluxisse, utpote distinctum a nome Etrusco Volusii, Volesi. – (Mart. Rom. IV Cal. Febr. e. a.).

Valfredo[i] **Valfredo**[h] **Walfried**[ge] Valfridus, i, m. Nomen ductum est a verbis Germanicis *Wal - frid*, quibus haec est vis subiecta : *strages* seu *locus pugnae* (cf. *Walstatt*), et *saepire*, *tueri* ; itaque eo significatur quasi *tutor loci pugnae*. – (Mart. Rom. IV Id. Oct.)

Vania[i]: bl. app. a Russis (*Vanja*) pro *Ivan* seu Ioanne usurpata ; v. *Giovanni*. Interdum per errorem puellis apud Italos imponitur.

Vanni[i]: bl. app. pro Ioanne ; v. *Giovanni*.

Vanora[a]: Vanora, ae, f. Est nomen Celticum, quo significatur *unda alba* ; cf. Partridge, p. 274.

Vasco[i]: Velascus, i, vel Valascus, i, m. Hoc nomen, quod in Hispania hoc modo Latine exaratum, iam saeculo X occurrit, a Lusitanis deflexum est in *Vasco*. Cf. cognomen, quod dicimus, *Velasquez*.

Vasili[i]: Basilīus, ii, m. V. *Basilio* ; ex Russicae enim linguae ratione hoc nomen *Vasili* (seu *Wasili*) audit.

Vaubert[g]: v. *Gualberto* (*Waldbert*).

Vegezio[i]: Vegetius, ii, m. Hoc nomen derivatum est a *vegeto* (*vegetus*, *a*, *um*), quod pertinet ad verbum *vegendi* ; cf. etiam *vigere*, *vigor*, *vigil* ; prisc. Ind. *vajah*, h. e. *vis* , *certamen*, *contentio* ; prisc. Germ. *wahhar* (nunc *wacker*), h. e. *alacer*. Flavius Vegetius est scriptor sequioris aetatis ; nomen praeterea occurrit in titulo, Dessau, 4685.

Veit[ge]: v. *Vito*.

Velia[i]: Velia, ae, f. Hoc nomine significatur urbs Lucaniae (Elea) ; cf. Serv. *ad Verg. Aen.* VI, 359 : « Velia dicta est a paludibus, quibus cingitur, quas Graeci ἕλη vocant. Fuit ergo *Helia*, sed accepit digammon et facta Velia, ut Enetus Venetus » ; praeterea collis Palatini in Urbe pars. Cuius nominis originem Varro *L.L.* V, 8, 54, e vulgi ratione hoc modo enodat : « Veliae unde essent, plures accepi causas, in quis quod ibi pastores Palatini ex ovibus ante tonsuram inventam *vellere* lanam sint soliti, a quo *vellera* dicuntur ». Non est autem nomen Latinum, perinde ac *Velitrae* (Etr. *Velaθri*) ; cf. Walde-Hofmann II, p. 744.

Venanzio[i] **Venancio**[h]: Venantius, ii, m. Nomen deductum est a verbo *venandi* ; cf. prisc. Ind. *véti*, h. e. *persequitur* ; prisc. Germ. *weida* (nunc dicitur *Weide*, *Waidmann*), h. e. *venatio* ; aut, secundum Ernout-Meillet pertinet ad verbum primitivum unde derivatur prisc. Ind. *vánati*, h. e. *cupit*, Lat. *venus*, Germ. *ge-winnen*, h. e. *lucrari*. Nomine Venantii (Fortunati) appellabatur poeta christianus, « ingenio clarus, sensu celer, ore suavis. Cuius dulce melos pagina multa canit » (Paul. Diac. *Hist. Langob.* II, 13). Praeterea in Mart. Rom. duo recensentur Caelites, ita

appellati. (Cal. Apr. et XV Cal. Iun.).

Venceslao[i] **Venceslas**[g] **Venceslao**[h] **Wenzeslaus**[ge]: Venceslaus, i, m. Hoc nomen Slavicum, verbis *wieniec - slawa* effectum, *coronae gloriam*, seu virum quasi gloriae corona redimitum significat. Quo praesertim insignis est dux Bohemorum, anno DCCCCXXXV ob christianam virtutem necatus, cuius sollemne in Mart. Rom. IV Cal. Oct. recensetur.

Ventura[i] **Ventura**[h]: dem nom. Bonaventurae ; v. *Bonaventura*.

Venturino[i]: bl. app. pro Bonaventura ; v. ib.

Venusta : Venusta, ae, f. ; v. *Venusto*.

Venusto[i]: Venustus, i, m. Ducitur ab eodem fonte, unde derivantur venus, venerius, veneror ; prisc. Ind. *vanas*, h. e. *desiderium* ; prisc. Germ. *wini*, h. e. *amicus*, *wunnia*, h. e. *voluptas* (nunc audit *Wonne*). Recensentur in Mart. Rom. SS. Caelites, hoc nomine appellati, prid. Non. Mai. et XI Cal. Iun.

Vera[i] **Vera**[g] **Vera**[h] **Vere**[a] **Vera**[ge]: Vera, ae, f. Non videtur esse, ut plerique contendunt, verbum adiect. Latin. *vera* (*verus*, *a*, *um*), sed ad Slavorum sermones pertinere, in quibus *wera* vel *wjera fidem* significat. A Slavicis enim gentibus hoc nomen maxime frequentatur. Quae vox (Polon. *wiara* ; Russ. *vèra* ; Croat. *vjera*) a fonte Indico-Europaeo derivata est, unde Lat. *verus*, prisc. Germ. *war*, Germ. rec. *wahr* itidem fluxerunt. Cf. Partridege, p. 274 ; Wasserzieher, p. 129 ; Tagliavini, p. 361. Est tamen animadvertendum nomen *Verae* iam in veteribus titulis Latinis occurrere ; cf. Dessau, 3483, 3893.

Verena[a] **Verena**[ge]: Verena. ae, f. Nomen non videtur esse ducendum a verbo *verendi* (*vereor*), sed pertinere ad nomen *Veronicae*. Cf. Wasserzieher, p. 129. Sancta Virgo, eo appellata, recensetur in Mart. Rom. Cal. Sept.

Vernier[g]: v. *Werner*.

Veronica[i] **Véronique**[g] **Verónica**[h] **Veronica**[a] **Veronika**[ge]: Veronĭca, ae, f. Est, si originationem spectes, idem nomen quod Berenices (v. ib.) ; cf. C.I.L. 2420, 3132 (*Beronice*) ; 7445 (*Veronice*) ; litterarum enim *b* et *v* senescente Romanorum imperio fere promiscuus erat usus (cf. *Bibiana*).

In Evangeliis apocryphis, quae *Acta Pilati* dicuntur, haemoroissa, quam Christus ad sanitatem revocavit, appellatur Bernice, Beronice vel Veronica ; hanc vultus eiusdem Servatoris imaginem, in linteo impressam habuisse. Media vero aetate ipsi *Vultui Sancto* nomen indiderunt *Veronicae* eiusque originem per errorem duxerunt a *vera icone*. Quae imago, maximis fidelium exculta obsequiis, asservabatur Romae in Templo Petriano. Praeter alios plurimos, Nicolaus IV, Pont. Max., memorat hanc « pretiosissimi vultus Domini imaginem, quam Veronicam fidelium vox communis appellat » (Potthast, 22890) ; cf. et Dantem Aligh., *Parad.* XXXI, 103 : « Qual è colui che forse di Croazia viene a veder la Veronica nostra... ». In Mart. Rom. no-

men recensetur Id. Ian. et VII Id. Iul.

Vesta[i] **Vesta**[a]: Vesta, ae, f. Nomen terrae matris et eius quae aris focisque praeerat, ducitur a verbo primitivo *ues*, in quo inest vis *manendi*, *commorandi* ; cf. prisc. Ind. *vásati*, h. e. *habitat* ; Goth. *wisan*, h. e. *esse*, *commorari* ; prisc. Germ. *wesan*, h. e. *esse* (cf. Germ. rec. *ge-wesen*). Graece audit Ἑστία.

Veturia[i]: Veturia, ae, f. ; (v. *Veturio*) ; quo nomine appellabatur Coriolani mater.

Veturio[i]: Veturius, ii, m. Est nomen gentis Latinae perantiquae, ductum, quemadmodum videtur, ab adi. *vetus, ris* (cf. ἔτος, h. e. *annus* (interdum Ϝέτος) ; prisc. Ind. *-vatsá*, h. e. *annus* ; Lat. *vitulus*, h. e. fetus in bubulo genere, qui primum aetatis annum non explevit ; Germ. *Widder*, h. e. *hircus*. – (Mart. Rom. XVI Cal. Aug.).

Vezio[i]: Vettius, ii, m. Hoc nomen gentis Romanae derivatum est a fonte Etrusco ; hoc enim in sermone saepe occurrunt nomina huiusmodi : *vetie, vete, veti* ; cf. C.I.E. 178 sqq., 2167, 3570, 3846, 4338 ; praeterea C.I.L. IX, 5527 (*C. Vettius L. f. Vel. Tuscus*) ; XI 1839 (*C. Vettius Florentinus*) e. a. De hoc nomine v. Schulze, p. 101.

Vial[g]: v. *Vitale.*

Vic[a] **Vicky**[a]: bl. app. pro Victore vel Victoria ; v. *Vittore, Vittoria.*

Vicente[h] **Vicenta**[h] v. *Vincenzo, Vincenza.*

Vico[i]: bl. app. pro Ludovico ; v. ib.

Victor[g] **Victor**[a] **Viktor**[ge]: v. *Vittore.*

Victoire[g] **Victoria**[h] **Viktoria**[ge]: v. *Vittoria.*

Victorine[g] **Victorine**[ge]: v. *Vittorina.*

Videmaro[i]: Vidomarus, i, vel, ut est apud Ammian. XXXI, 3, 3, Vithimiris, is, m. Nomen, quo appellatus est rex quidam Gothorum, deductum est a priscis verbis Germanicis *witu* (Goth. *vidus* ; prisc. Angl. *vudu*, nunc *wood*), quo *lignum, silva* significatur, et a *mar*, cuius vis est *inclitus, celebratus.*

Vieri[i]: est deminutum nomen vulgare *Olivieri*, quod interdum pro *Oliviero* ponitur, v. ib.

Vigilio[i] **Vigile**[g] **Vigilio**[h] **Vigil**[ge]: Vigilius, ii, m. Derivatur ab adi. *vigil*, quod est cognatione coniunctum cum verbo *vegendi* seu *vigendi*, atque adeo idem valet ac Gregorius ; fieri autem potest, ut nomen primitus revocandum sit ad fontem Etruscum ; cf. *Vicillius, Vicilius*, quorum origo exinde certe repetitur. – (Mart. Rom. VI Cal. Iul. et VI Cal.

Vike[ge]: bl. app. pro Victoria ; v. *Vittoria.*

Viktor[ge]: v. *Vittore.*

Vilbrod[g]: v. *Willibrord.*

Vilma[i]: v. *Wilma.*

Vin[a] **Vince**[a]: bl. app. pro Vincentio ; v. *Vincenzo.*

Vincenza[i] **Vicenta**[h] **Vincentia**[ge]: Vincentia, ae, f. Cf. *Vincenzo* ; nomen scriptum videmus in titulis, Dessau, II, 2, n. 8558.

Vincenzo[i] **Vincent**[g] **Vicente**[h] **Vincent**[a] **Vinzenz**[ge]: Vincentius, ii, m. Ducitur, ut patet, a verbo *vincendi* ; cf. Goth. *weihan* ; prisc. Germ. *wigan*,

h. e. *proeliari* (Germ. rec. *weigern*, h. e. *obniti*) ; Gall. (Celt.) - *vix*. De hoc nomine commemorat e scriptoribus ethnicis Ammian. XXII, 11, 2 ; XXIX, 5, 6 ; idemque frequentatur in christianis litterarum monumentis et in titulis ; in Mart. Rom. XVI recensentur Caelites, eo insignes.

Vinicio[i]: Vinicius, ii, m. Est, ut videtur, nomen originis Etruscae ; cf. Schulze, pp. 110 ; 380. Recensetur in C.I.L. VI, 28962, 28973 ; in sermone Osco audit *Viinikiis*. Alii autem id cum verbo Latino *vinum*, *i*, coniungunt.

Vinny[a]: bl. app. pro Vincentio ; v. *Vincenzo*.

Vinzenz[ge]: v. *Vincenzo*.

Viola[i] **Viole**[g] **Violle**[g] **Viola**[h] **Viola**[a] : Viŏla, ae, f. Nomen, quo venustus flos significatur, repetendum videtur a sermone populi antiqui ad Mare Internum incolentis, non autem pertinentis ad eas gentes, quas Indicas-Europaeas appellant.

Violetta[i] **Violette**[g]: bl. app. pro Viola ; v. ib.

Violante[i]: Violantilla, ae, f. Alii scribunt : *Violentilla*. Hoc nomine celebrata est puella a Stella, poeta Patavino, quam Ianthidem vocat (cf. *Ianthe* ; est enim idem nomen), ac praesertim mors columbae eidem carissimae. Cf. Martial. VII, 14 ; Stat. *Silv*. I, 2, « epithalamion in Stellam et Violentillam ».

Violetta[i] **Viollet**[g] **Violeta**[h] **Violet**[a] : Viola, ae, vel Violantilla, ae, f.

Virgilia[i]: Vergilia, ae, f. ; v. *Virgilio*.

Virgilio[i] **Virgile**[g] **Virgilio**[h] **Virgil**[a] : Vergilius, ii, m. Secundum Villelmum Schulze, pp. 100-101, cui ego quidem assentior, nomen Vergilii, summi Romanorum poetae, cognatione coniunctum est cum nomine Etrusco *verginna* (ex *vercna* ; cf. C.I.E. 3399, 3946, 3878), unde et *Verginius* originem traxit. Quamobrem plures philologi defendunt *Vergilium*, non *Virgilium*, scribi oportere. Cui exarandi rationi suffragantur omnes codices antiquissimi, imprimis Mediceus, in Laurentiana Bibliotheca Florentiae asservatus (ubi « P. Vergili Maronis » Bucolicon libro subscripsit Turcius Rufius Apronianus, qui consul ordinarius fuit anno p. Ch. n. 494) ; suffragantur etiam veteres tituli, a saeculo II usque ad IV p. Ch. n. conscripti. Altera vero scribendi ratio (*Virgilius*) saeculo V coepisse videtur ex *Latina* nominis interpretatione (scil. a *virga*). Cf. F. W. Ritschl, *Opusc.* II, p. 779 sqq. ; F. W. Kelsey, *The New York Nation* 1907 Sept. ; R. Sabbadini, *Studi Ital. di filologia class.* 7, 1899 p. 41 ; id. *Bollett. di filologia classica*, 14, 1907-8, p. 93 ; *Giornale storico di lett. ital.* 35, 1900, p. 456 ; *Rivista di filologia e istruz. classica*, 27, 1899, p. 93 ; E. Stampini, *Studi di lett. e filol. lat.* 1917, pp. 45-49 ; P. Sakellaropulos, Ἐπιστημονικὴ Ἐπετηρίς, 1912, p. 113.

Ex veteribus Donatus putat scribendum esse Virgilium quod a virga esset poeta appellatus. Matrem enim eius, antequam pareret, virgam caelum contingentem per quiet[illegible] -disse. Fatendum etiam plerosque

Latinitatis cultores, ab humanitate appellatos, scribere solitos esse *Virgilium* (Angelus autem Politianus defendit scribendi modum: *Vergilius*). Sancti Caelitis, hoc nomine insignis , sollemne recensetur in Mart. Rom. V Cal. Dec.

Virginia[i] **Virginie**[g] **Virginia**[h] **Virginia**[a]: Verginia, ae, f. Nomen repetitur a fonte Etrusco; cf. *Virginio.* In titulis quidem, ut C.I.L. V, 1112; VI, 25395, scriptum videmus nomen virginiae, h. e. *adulescentis coniugis* (a virgine), sed nomen non hinc est derivatum.

Virginio[i] **Virginio**[h]: Verginius, ii, m. Minus recte scribitur *Virginius* (*Virginia*), nomen enim non deductum est a *virgine* seu ab adi. *virgineus, a, um* (vel *virginius*, uti interdum exaratur), quod ipsa syllabae *-gin* - metiendae ratione comprobatur; *virgineus* enim seu *virginius* in altera syllaba corripitur, *Verginius* autem producitur; cf. Iuven. VIII, 221: «... Quid enim Verginius armis- Debuit ulcisci magis, aut cum vindice Galba?».

Verginius enim, perinde ac Vergilius (v. *Virgilio*), a fonte Etrusco derivatur, scilicet a nomine *vercna*; cf. C.I.E., 3392, 3946 sqq.; Schulze, pp. 100-101; F. W. Ritschl, *Opusc.* II, p. 780 sq.

Virgy[a]: bl. app. apro Vergilio; v. *Virgilio.*

Vitale[i] **Vial**[g] **Vital**[h]: Vitalis, is, m. Ducitur, ut patet, a verbo *vivendi*; cf. prisc. Ind. *jivati*, h. e. *vivit*; Graec. βίομαι, h. e. *vivo*; Goth. *qius*, h. e. *vivus*; Germ. med. aet. *quicken* (nunc *erquicken*), h. e. *oblectare*; prisc. Gall. *bitu* (cf. *Bituriges*). In Mart. Rom. XI recensentur Caelites, hoc nomine insignes.

Vitaliana[i]: Vitaliana, ae, f.; v. *Vitaliano.* In vetere quidem titulo christiano, Diehl 3519, occurrit scribendi ratio, quae Graecum morem imitatur: *Vitaliane, es.* Non est autem cur in Latinum sermonem eadem inducatur.

Vitaliano[i]: Vitalianus, i, m. Derivatur a nomine *Vitalis* (v. ib.), eodem modo quo Aemilianus ab Aemilio. – (Mart. Rom. VI Cal. Febr., XVII Cal. Aug.

Vitangelo[i]: Vitus Angelus; v. suis locis.

Vitellio[i]: Vitellius, ii, m. Nomen deductum est a *vitulo*; cf. *Italia.*

Vitichindo[i] **Widukind**[ge]: Vidochindus, i, m. Nomen, quo Saxonum dux, Caroli Magni adversarius, est appellatus, coaluit e verbis Germanicis *witu* (Goth. *vidus*; prisc. Angl. Sax. *vudu*, nunc *wood*), quo *lignum, silva* significantur, et a *chind* (Germ. rec. *Kind*), quod idem valet ac *suboles, puer.* Id ergo hoc fere modo interpreteris: *puer in silvis natus* vel *incolens.*

In litterarum monumentis nomen non uno modo ad linguam Latinam accommodatum videmus: *Withuchindus* (M. G. H. *Script.* I, p. 118); *Widuchindus* (ib. p. 32); *Widochindis* (ib. p. 156); *Widukindus* (ib. p. 349); *Widochindus* (ib. p. 162 e. a.), quam rationem auribus Latinis iucundiorem esse arbitratus sum.

Vitige[i] **Witigis**[ge]: Vitĭgis, m. Nomen apud neminem, quod sciam, e veteribus scriptoribus Latinis in casus declinatur; declinatur autem a Procopio, *Bell. Goth.* II, 10: Οὐίτιγις, Οὐιτίγιδος. Quam rationem Latine scribentes sequi possumus, ita ut ponamus: *Vitigis, Vitigidis.* Nomen, quo appellabatur dux Ostrogothorum, effectum est priscis verbis Germanicis *witu* (Goth. *vidus*), de quo v. supra *Vitichindo*, et *gis*, quod est compendiaria scribendi ratio verbi *gísil* (*gisel*), quo *sagitta* significatur (Förstemann, 647). Est ergo nominis interpretatio: *sagittarius e silva*, vel *in silva.* De eo praeterea commemorant Cassiod. *Var.* XI, 31-35, saepe Iordanes, *Get.*; Paul. Diac. *Hist. Rom.* e. a.

Vito[i] **Vito**[h] **Veit**[ge]: Vitus, i, m. Nomen a *vita* derivatum esse videtur (cf. *Vitale*), ; scriptum videmus in vetere titulo christiano apud Diehl, 2015 (*Sanctus Bitus*). – (Mart. Rom. XVII Cal. Iul.).

Vittore[i] **Victor**[g] **Victor**[h] **Victor**[a] **Viktor**[ge]: Victor, oris, m. De originatione v. *Vincenzo.* Hoc nomen, viris impositum, frequentatur apud scriptores, in titulis (cf. Dessau III, 1, 2067, 2178, 2209, 3262, 5413 e. a.), atque etiam in Mart. Rom., XII et V Cal. Aug. ac saepe alias.

Vittoria[i] **Victoire**[g] **Victoria**[h] **Victoria**[h] **Viktoria**[ge]: Victoria, ae, f. Quod ad originem vocis attinet, v. *Vincenzo.* Misso nomine Victoriae, deae ethnicorum, idem ut commune nomen muliebre scriptum videmus in titulis; cf. Dessau I, 1585, 1652 e. a. Recensetur denique in Mart. Rom. XV Cal. Dec. et X Cal. Ian.

Vittoriano[i] **Victorien**[g]: Victorianus, i, m. Ad originationem quod attinet, v. *Vittoria, Vincenzo.* Nomen occurrit in veteribus titulis christianis, cf. Diehl, 930, 2092, 1646, 1529 A, 4736 4838 a, 2679, 2927, 2938 adn. 4838 a, 3. – (Mart. Rom. IX Cal. Apr.; XVII Cal. Iun.; VII Cal. Sept.).

Vittorina[i] **Victorine**[g] **Victorina**[h]: Victorina, ae, f. (cf. *Vittore, Vittorino*); nomen scriptum videmus in titulis, cf. Dessau III, I, n. 1854 e. a.

Vittorino[i] **Victorin**[g] **Victorino**[h]: Victorinus, i, m. (Cf. *Vittore*). Nomen saepe occurrit apud scriptores et in titulis. Eo praesertim appellatus est Victorinus C. Marius, grammaticus et poeta (cf. Hieron. *Vir. ill.*, 101; August. *Conf.* VIII, 2), et Victorinus C. Aufidius, orator, discipulus Frontonis. In Mart. Rom. XIV Caelites ita nominati recensentur.

Vittorio[i]: Victorius, ii, m. Nomen a *victore* detortum esse videtur; tamen V. Schulze, p. 260, contendit ad originem Etruscam id revocandum esse; inde enim derivantur *Vultricius, Vitricius, Vitorius, Victorius*; cf. C.I.L. XI, 4372: « C. Vitorio Theotimo... Vitoria Restituta ». – (Mart. Rom. XII Cal. Iun., Cal. Sept., III Cal. Nov.).

Vivien[g]: Vivianus, i, m. Ad originationem quod attinet, v. *Bibbiana.* – (Mart. Rom. V Cal. Sept.).

Vladimiro[i] **Vladimir**[g] **Vladimiro**[h] **Wladimir**[ge]: Vladimirus, i, m. Hoc

nomine Slavico significatur *dominator gloriosus* ; fieri autem potest ut sit nomen Valdemari, a fonte Germanico derivatum, quod Slavicae gentes ad sermonis sui rationem accommodaverint. S. Vladimirus magnopere annisus est ut Ucrainae gens ad christiana sacra traduceretur.

Vladislao[i] **Vladislao**[h] v. *Ladislao.*

Volbert[g] **Volkbert**[ge] : v. *Fulberto.*

Volfango[i] **Volfango**[h] **Wolfgang**[ge]: Volfgangus, i, m. Nomen coaluit e verbis Germanicis *wolf* (*wulf*), quo *lupus*, animal olim religiosum, significatur, et *gang*, cuius vis est *gressus*, praesertim ad pugnam. – (Mart. Rom. prid. Cal. Oct.).

Volkbert[ge]: v. *Fulberto.*

Volker[ge] **Volkher**[ge] : Fulcherus, i, m.

Volkmar[ge]: v. *Wulmar.*

Volko[ge] : v. *Fulco.*

Vulfran[g]: v. *Wolfram.*

Vulmar[g]: v. *Wulmar.*

W

Ut omnes litteris Latinis vel leviter tincti norunt, Romanis incognita erat *w* littera, quae ut *v* efferri solet. Nomina ergo vulgaria, a *w* incipientia, cum in Latinam rationem transferuntur, scribenda sunt *v* littera, quemadmodum Romani ipsi fecerunt, cum verbis Germanicis sic incipientibus formam induebant Latinam. Cf. Vandali, Vangiones, Vannius, Varini, Voleda, Victohali, Visurgis e. s. Qui ergo hanc litteram *w* in Romano sermone usurpant, barbarum quiddam nulla necessitate eo inducere videntur.

Wal[a]: bl. app. pro Valthero ; v. *Gualtiero.*

Walburge[g] **Walburga**[a] **Walburga**[ge] : Valburga, ae, f. Prior nominis huius Germanicis pars ducitur aut a *wala* (= *strages*, *locus pugnae*) aut a *wald* seu *walten* (= *dominari*) ; altera a *burg* (= *praesidium*) ; cf. *bergan* = *condere.* – (Mart. Rom. V Cal. Febr.).

Waldebert[ge] **Walbert**[ge]: v. *Gualberto.*

Waldemar[ge] **Woldemar**[ge] : v. *Valdemaro.*

Waldo[a] **Waldo**[ge] : Valdo, onis, m. Nomen *Waldo* plerumque putatur esse altera pars nominis Osvaldi, Evaldi, Valdemari ; quod non improbaverim. Est tamen animadvertendum in veteribus litterarum monumentis frequentari nomen *Waldo*, quod in sermonem Latinum receptum est (*Waldo*, *onis*) ; cf. M.G.H. II, pp. 35, 38, 64 (*Waltonem*), 78 ; VII, p. 392, e. a.

Walfried[ge] : Valfridus, i, m. Nomen coaluisse videtur e verbis Germanicis *wala* - *frid*, quorum priore *strages*, *locus pugnae* (cf. *Walstatt*), altero *munitio*, *praesidium* significantur. – (Mart. Rom. IV Id. Iul.).

Wally[a] : bl. app. pro Valthero ; v. *Gualtiero.*

Walram[ge]: Valramus, i, m. Nomen effectum est verbis Germanicis *wala* (cf. *Walstatt*) - *hraban* (*ram*), quibus haec est vis subiecta : *locus pugnae* -*corvus*, avis apud Teutones olim religiosa.

Walter[a] **Walter**[ge] **Walther**[ge] : v. *Gualtiero.*

Waltraud[ge]: Valtrudis, is, vel Valdetrudis, is, f. (cf. Mart. Rom. V Id. Apr. : *Waldetrudis*). Nomen effectum est verbis Germanicis *wald* (*walten* ; Goth. *valdan*), in quo est vis *dominandi*, *regendi*, ac *trûde* (*drude*), quo *fabularis saga Germanica* significa-

tur; antiquis vero iam temporibus subaudiebatur etiam vox *trût*, cuius vis est *carus*, *comis* (cf. Germ. rec. *traut*).

Wanda[a] **Wanda**[ge]: Vanda, ae, f. Videtur quidem esse deminutum nomen Vendelburgae vel Vendelgardis (v. *Wendelburg*; *Wendelgard*), sed hoc breviore modo scriptum a multo iam tempore invaluit. Ducitur autem, si originationem spectes, aut a nomine Vendorum (vel Vandalorum), Slavicae gentis, cf. Wasserzieher, p. 84, aut a prisco verbo Germanico *wentan* (Goth. *vandjan*; Germ. rec. *wenden*), in quo est vis *mutandi*, *vertendi*, cf. Förstemann 1525.

Warin[ge] **Werin**[ge]: v. *Guarino*.

Warmut[ge]: Varmodus, i, m. Nomen effectum est verbis Germanicis *wari* (Goth. *varjan*; Germ. rec. *wehren*), in quo est vis *defendendi*, *prohibendi*, et *muot* (Goth. *mods*; Germ. rec. *Mut*), quo *animus alacer*, *ira* significantur.

Warner[ge]: v. *Werner*.

Warren[a]: v. *Werner*.

Washington[a]: Vasintonius, ii, m. Fuit cognomen, quod nos dicimus, primi Praesidis Foederatarum Americae Sept. Civitatum (1732-1799), quod ut nomen haud raro usurpatur. Si originationem spectes, eo locus significatur, cui rei documento est extrema syllaba *ton* (cf. *town*, h. e. *oppidum*).

Wasil: Basilīus, ii, m.; apud Slavicas enim gentes *Wasil* audit; cf. *Basilio*.

Wat[a] **Wattie**[a] **Watty**[a]: bl. app. pro Valthero; v. *Gualtiero*.

Weichert[ge]: v. *Wichard*.

Wenceslao[h] **Wenzeslaus**[ge]: v. *Venceslao*.

Wenda[a] **Wendy**[a]: v. *Wanda*.

Wendelburg[ge]: Vendelburga, ae, f. Prior nominis huius Germanicis pars ducitur aut a verbo *wentan* (Goth. *vandjan*; Germ. rec. *wenden*), in quo est vis *mutandi*, *vertendi*, aut a nomine Vendorum, gentis Slavicae (vel Vandalorum), quemadmodum Wasserzieher, p. 84, defendit; quod minus probatur a Förstemann, 1525. Altera vero pars est verbum *burg* (seu *bergan*, *bergen* = *condere*), quo *praesidium* significatur.

Wendelgard[ge]: Vendelgardis, is, f. Quoad priorem nominis partem v. *Wendelburg*; altera efficitur verbo *gard* (*gardan*; cf. Germ. rec. *Garten*, h. e. *hortus*), in quo est vis *circumsaepiendi*, *muniendi*.

Wendelin[ge]: Vendelinus, i, m. Nomen, cui adiuncta blanda terminatio *-lin*, ducitur a verbo Germanico *wentan* (= *mutare*, *vertere*); vox primitiva est *vand*; secundum alios a nomine Vendorum, gentis Slavicae, cf. Förstemann, 1525; Monumenta Boica, XXII, 7 (a. 1031).

Werner[ge] **Warner**[ge]: Varnerius, ii, m. Nomen conflatum est e verbis Germanicis *warin* (v. *Guarino*) - *hari* (*hêr*), quorum priore *defendere*, *prohibere*, altero *exercitus* significatur. Cf. M.G.H. *Script.* XIII, p. 436.

Werther[ge]: Vertherus, i, m. In M.G.H. saepius nomen scriptum videmus: *Wertharius*; in libro autem,

cui index « Verbrüderungsbuch von von St. Peter zu Salzburg », ed. a Karajan, Wien 1852 : *Wertheri* ; in « Codice Laureshamensi diplomatico », Mannheim 1768, pluries: *Werther*. Nomen ergo derivatum est a prisca voce Germanica *werd* (Goth. *vairths*), quo *dignus* significatur, vel a *wart* (= *custodire*) et ab *hari* (*hêr*), cuius vis est *exercitus*, *vulgus* (Germ. rec. *Heer*). Volfgangus Goethe, Germanorum poeta summus, fabulam de *Vertheri doloribus* inscripsit ; propter quam nomen invaluisse videtur.

Wessel[ge]: v. *Werner*.

Wichard[ge] **Wichert**[ge]: Vichardus, i, m. Nomen compositum est e verbis Germanicis *wig* (cf. Germ. rec. *weigern*), in quo inest vis *pugnandi*, et *hard*, quo *strenuus*, *audax*, *fortis* significatur. Est ergo eius interpretatio : *proeliator fortis*.

Wido[ge]: v. *Guido*.

Widukind[ge]: v. *Vitichindo*.

Wilf[a] **Wilfie**[a] **Wilfy**[a]: bl. app. pro Vilfrido ; v. *Wilfred*.

Wilfred[a] **Wilfried**[ge]: Vilfridus, i, m. Nomen compositum est e verbis Germanicis *wille* et *frid*, quibus haec est vis subiecta : *voluntas* et *munitio*, *praesidium*.

Wigand[ge] **Wiegand**[ge]: Vigandus, i, m. Nomen deductum est a verbo Germ. *wig*, in quo inest vis *pugnandi* (cf. Germ. rec. *weigern*). Est ergo secundum originationem idem quod *pugnans*.

Wigbald[ge]: Vigbaldus, i, m. Nomen effectum est priscis verbis Germanicis *wig* et *bald*, quorum priore *pugna*, *pugnator*, altero *fortis*. *audax* significatur.

Wigbert[ge] **Wiprecht**[ge]: Vigbertus, i, m. Nomen deductum est a verbis Germanicis *wig*, quo *pugna*, *pugnator* significantuur, et a *bert* (*beraht*), quod idem valet atque *clarus*, *fulgidus*. – (Mart. Rom. III Id. Aug.).

Wilbert[ge]: Vilbertus, i, m. Nomen structum est e verbis Germanicis *wille* (Goth. *vilja*) et *bert* (*beraht*), quibus haec est vis subiecta : *voluntas* et *clarus*, *fulgens*.

Wilfrido[i] **Wilfried**[ge]: Vilfridus, i, m. Nomen coaluit e verbis Germanicis *vilja*, *wille* et *frid*, quorum priore *voluntas*, altero *munitio*, *protectio* significatur.

Wilhelm[ge]: v. *Guglielmo*.

Wilhelmina[a] **Wilhelmine**[ge]: v. *Guglielmina*.

Willa[a]: bl. app. pro Villelma ; v. *Guglielmina*.

Willehad[ge]: Villehadus, i, m. Nomen coaluit e verbis Germanicis *wille*, quo *voluntas* significatur, et *hadu* (cf. *Hader*), cuius vis est *proelium*. Est ergo eius interpretatio : *proeliator volens* seu *studiosus* – (Mart. Rom. VI Id. Nov.).

William[a]: v. *Guglielmo*.

Willibald[ge] **Willibold**[ge]: Villebaldus, i, m. Coaluit e verbis Germanicis *wille* et *bald* (*bold*), quorum priore *voluntas*, altero *fortis*, *audax* significatur. – (Mart. Rom. Non. Iul.).

Willibrord[ge]: Villibrordus, i, m. Nomen derivatum est a verbis Germanicis *wille*, quo *voluntas* significatur, et *brord* (*brort*), cuius vis est *acies iaculi* vel ipsum *iaculum*. Est ergo

eius interpretatio: *iaculator volens seu studiosus*. – (Mart. Rom. VII (Cal. Nov.).

Willie[a] **Willis**[a] **Willy**[a] **Willi**[ge]: bl. app. pro Villelmo; v. *Guglielmo*.

Willigis[gg]: Villigisus, i, m. Nomen hoc Germanicum, ita ad Latinam rationem conformatum, scriptum videmus in M.G.H. *Script.* IX, pp. 51, 54, 80, 148, 497, e. a. Veteres autem, ut Cassiod. *Var.* II, 20, ponere soliti sunt *Villigis*, sine declinatione in casus. Nomen conflatum est e *wille* (Goth. *vilja*) - *gis* (= *gîsil*), quibus haec est vis subiecta: *voluntas, animus alacer* - *sagitta*.

Williram[ge]: Vilramus, i, m. Coaluit e verbis Germanicis *wille*, quo *voluntas* significatur, et *hraban* (*ram*) quod idem valet atque *corvus*, animal apud priscos Germanos religiosum.

Wilmer[a] **Wilmar**[ge]: Vilmarus, i, m. Nomen effectum est verbis Germanicis *wille*, quo *voluntas* significatur, et *mar*, quod idem valet atque *inclitus* (cf. Germ. rec. *Märe*).

Wilmot[a] **Wilmut**[ge]: Vilmodus, i, m. Nomen compositum est e duobus verbis Germanicis: *wille* et *muot* (*mud*, *mod*, *Mut*), quorum priore *voluntas*, altero *animus alacer*, *ira*, *habitus mentis* significantur. Apud Anglos vero *Wilmot* interdum blandae appellationis causa pro Villelma usurpatur.

Wilson[a]: Vilsonius, ii, m. Ita ad linguae Latinae rationem conformandum videtur cognomen, quod nos dicimus, *Wilson*, quoque Anglii aliive pro nomine interdum utuntur. Cuius haec est originatio: *Will's son*, h. e. *Villelmi filius*; cf. Partridge, p. 283.

Wiltrud[ge]: Viltrudis, is, f. Nomen conflatum est e verbis Germanicis *wille* - *trûde* (*drude*), quibus haec est vis subiecta: *voluntas* - *saga fabularis Germanica*, vel *cara* (cf. *trût*, *traut*).

Win[a]: bl. app. pro Vinfrido; v. *Winfred*.

Winald[ge] **Winold**[ge]: Vinaldus, i, m. Coaluit e priscis verbis Germanicis *wîn* et *walt* (*valdan*), quorum priore *amicus*, altero *dominator* significatur.

Winfred[a] **Winfried**[ge]: Vinfridus, i, m. Nomen compositum est verbis Germanicis *wîn* et *frid* (*fred*), quorum priore *amicus*, altero *munitio*, *tutamen* significatur. Eo appellatus est antea S. Bonifatius, Evangelii praeco apud Germanos, quasi *amicus tutans*.

Winfrieda[ge]: Vinfrida, ae, f., v. *Vinfred*.

Winnie[a] **Winny**[a]: bl. app. pro Vinfrido; v. *Winfred*.

Winmar[ge] **Wenmar**[ge] **Wiemar**[ge]: Vimmarus, i, m. Nominis huius Germanici interpretatio est: *amicus* (*wîn*) *inclitus* (*mar*).

Winston[ge]: Vinstonius, ii, m. Est quidem nomen, quo apud Anglos familia aliqua appellari solet, tamen saepe pro praenomine, quod nos dicimus., usurpatur. Ductum est autem ab nomine loci, ut altera syllaba *ton* (cf. *town*, h. e. *oppidum*) comprobatur.

Witigis[ge]: v. *Vitige*.

Wladimir[ge]: v. *Vladimiro*.

Wladislao[i]: v. *Ladislao*.

Wolf^ge: bl. app. pro Volfgango, Volframo ; v. *Volfango* ; *Wolfram*.

Wolfgang^ge: v. *Volfango*.

Wolfram^ge: Volframus, i, vel Vulframus, i, m., ut est in Mart. Rom., XIII Cal. Apr. Hoc nomine duo significantur animalia, apud priscos Germanos religiosa, quae principem deum (*Wodan*) comitari putabantur : *wolf* (*wulf*), h. e. *lupus*, et *hraban* (*ram*), h. e. *corvus*.

Wulmar^ge **Wolkmar**^ge : Vulmarus, i, vel Volmarus, i, m. Nomen hoc Germanicum coaluit e prisco verbo *folc* (primitus *fulca* ; cf. Germ. rec. *Volk* = *populus*, *gens*) et *mar* (cf. Germ. rec. *Märe* = *nuntius*), quod idem valet atque *inclitus*, *clarus*.

Invenitur quidem in veteribus litterarum monumentis scribendi ratio *Folcmarus*, *Volcmarus* (cf. Förstemann 553 ; M.G.H. *Script.* XVI, pp. 432, 437, 187, 186), tamen, cum asperum quiddam sapiat, praeoptandus videtur exarandi modus, qui supra est positus, atque identidem in operibus media, quam dicunt, aetate Latine conscriptis occurrit ; cf. M.G.H. *Script.* XX, p. 782 ; ib. XVI, pp. 448, 37, 600, 649 (*Fulmarus*), 183 (*Folmarus*).

Est autem nominis interpretatio perspicua : *qui claret in populo*.

X

Xavier[g] **Xaver**[ge]: v. *Saverio.*
Xenophon[ge]: v. *Senofonte.*
Xystus[ge]: v. *Sisto.*

Y

Yasmine[g]: v. *Gelsomina.*
Yolande[g] **Yolanthe**[a]: v. *Jolanda.*
Yole[g]: v. *Jole.*
Ysolt[g] **Yseult**[g]: v. *Isolda.*
Yves[g] **Yves**[a]: v. *Ivo.*
Yvette[g] **Yvonne**[g]: Ivona, ae, f. ; v. *Ivo.*

Z

Zaccaria[i] **Zacharie**[g] **Zacarías**[h] **Zachary**[a] **Zacharias**[ge]: Zacharīas. ae, m. Huic nomini, quod a fonte Hebraico est ductum (*Zekharyâh*), haec vis subiecta est: *memoria Domini* vel *recordatus est Dominus*, eo praesertim, ut videtur, quod parentes prole donavit. In Mart. Rom. V recensentur Caelites hoc nomine insignes.

Zaccheo[i] **Zaqueo**[h]: Zachaeus, i, m. Hoc nomine Hebraico (*Zakkay*) significari videtur *purus*, *iustus*. Est autem potius affirmandum nomen esse *hypochoristicum*, atque pro Zacharia (*Zekharyâh*) positum; v. *Zaccaria*. Commemoratur in sacris litteris veteris et novi Testamenti (II *Macch.* X, 19; *Luc.* XIX, 1-10). Eo praeterea episcopus Hierosolymitanus, et Martyr in Palaestina appellati sunt (Mart. Rom. X Cal. Sept.; XV Cal. Dec.).

Zacky[a]: bl. app. pro Zacharia; v. *Zaccaria*.

Zaira[i]: Zaïra, ae, f. Est nomen de Arabum sermone depromptum, e cuius ratione idem valet ac *florens*, *florida*.

Zanobi[i]: v. *Zenobio*.

Zäzilie[ge]: v. *Cecilia*.

Zdenka: Sidonia, ae, f.; v. *Zdenko*.

Zdenko: Sidonius, ii, m. (v. ib.). Hoc enim nomen apud Slavicas gentes in *Zdenko* deflexum est.

Zeffira[i]: Zephy̆ris, ĭdis, f. Ducitur a *zephyro*, vento qui flat ab occasu aequinoctiali adversus subsolanum (v. *Zefirino*); scriptum autem videmus in tit. apud Muratori, *Nov. Thes.* II, p. 926, 8.

Zefirino[i] **Zéphyrin**[g] **Ceferino**[h] **Zephyrin**[ge]: Zephyrinus, i, m. Quemadmodum liquet, nomen deductum est a *zephyro* (ζέφυρος), vento ab occasu aequinoctiali adversus subsolanum flante; cf. ζόφος, h. e. *tenebrae*, *occasus*. Quo spirante, ver incipit; cf. Verg. *Georg.* I, 43-44: « Vere novo, gelidus canis cum montibus umor - Liquitur et zephyro putris se glaeba resolvit ». Fuit hic, secundum fabulas, filius Astraei et Aurorae ferturque Chlorin nympham adamasse, quae Flora etiam dicta est; cf. Serv. *ad Aen. Ecl.* V, 48. Nomine Zephyrini appellatus est Pontifex Romanus, Martyr (cf. Mart. Rom. VII Cal. Sept. et XI Cal. Ian.); occurrit in titulis quoque.

Zelinda[i]: Zelinda, ae, f. Est nomen commenticium, in Goldonianis co-

moediis occurrens, nisi fortasse ad originem Germanicam revocatur : ad verba scilicet *gails* (Goth.), quo *iaculum* significatur, vel *gail*, cuius vis est *laetus*, *hilaris*, et *lint*, quod idem valet ac *scutum tiliaceum*.

Zella[ge]: est dem. nomen Marcellae; v. *Marcella*.

Zelmira[i]: Zelmira, ae, f. Nomen derivatum est a sermone Hispanico, ab appellatione *Gelmiro*. Quae quidem ducta esse videtur a vocibus linguae Gothorum propriis : *gails*, cuius vis est *iaculum*, et *mîr*, quae idem valet ac *clarus*.

Zenaide[i] **Cenaide**[h]: Zenais, ĭdis, f. Est nomen a *Zenone* deductum ut Zephyris a Zephyro, Nicolais a Nicolao, e. s. Recensetur in Mart. Rom. Non. Iun. et V Id. Oct.

Zeno[i] **Zénon**[g] **Zenón**[h] **Zeno**[ge] : Zeno et Zenon, onis, m. ; est autem magis Latina prior scribendi ratio, a Cicerone in libris philosophicis saepe usurpata. Ducitur hoc nomen a Ζήν, quo Ζεύς, h. e. *Iuppiter*, appellatur a priscis scriptoribus Graecis. Quo plures philosophi et viri sanctimoniae laude florentes erant insignes. – (Mart. Rom. prid. Id. Apr. e. a.).

Zenobia[i] **Zénobie**[g] **Cenobia**[h] **Zenobia**[a]: Zenobia, ae, f. Nomen a *Zenobio* deducitur eodem modo quo Macrobia (cf. C.I.L. V, 7568) a Macrobio. V. *Zenobio*. Quo insignis fuit filia Mithridatis, regis Armeniae, cf. Tac. *Ann.* XII, 44 sq., XIII, 6, 37, ac praesertim regina Palmyrae (267-272), ab Aureliano victa Romamque in triumphum abducta ; cf. Eutrop. IX, 18 e. a. S. Zenobia, martyr, recensetur in Mart. Rom. III Cal. Nov.

Zenobio[i] **Cenobio**[h] : Zenobius, ii, m. Nomen coaluit e verbis Graecis Ζήν, Ζηνός, quo e prisci sermonis Graeci ratione Ζεύς, h. e. *Iuppiter*, appellatur, et βίος, quo *vita* significatur. – (Mart. Rom. VIII Cal. Iun. e.a.).

Zéphyrin[g] **Zephyrin**[ge] : v. *Zefirino*.

Zilla[i] **Zilla**[a] **Zillah**[a] : Sella, ae, f. Hoc nomine Hebraico significatur *umbra*; quo appellata est altera uxor Lamech.

Zita[i] **Zita**[g] **Zita**[h] **Zita**[ge] : Zita. ae, f. In codice saec. XIV manu scripto et Lucae asservato, qui unus est fons, e quo vitae narratio sanctae virginis ita appellatae manavit, nomen hoc modo exaratum invenimus : *Cita*. Est autem *citta*, *zitta*, *zita* vetus nomen vulgare Italicum, quo *puella* significatur (cf. Ital. rec. *zitella*, h. e. *mulier innupta*). Quod verbum, missis aliis originationibus eruditorum, a puerili loquendi ratione petendum esse videtur. – (Mart. Rom. V Cal. Mai.).

Zobi[i]: bl. app. pro Zenobio ; v. ib.

Zoe[i] **Zoe**[h] **Zoe**[a] **Zoë**[ge] : Zoe, es, f. In Mart. Rom., praeter Zoen (postr. Cal. Mai.), occurrit etiam scribendi modus Latinus : *Zoa, ae* (III Non. Iul.). Hoc nomen, quo *vita* (Graec. ζωή) significatur, praeterea scriptum videmus in titulo apud Muratori, *Nov. Thes.*, III, p. 1245, 8.

Zona[a] **Zone**[a]: Zona, ae, f. Hoc nomen, a Graeco fonte ductum (ζώνη = *balteus*), Americani puellis imponere dicuntur ; cf. Partridge, p. 287. *Zo-*

nam autem apud Romanos novae nuptae solvebant, cum in cubiculum mariti primum deducebantur ; virgines enim non nisi cinctae procedebant ; cf. Ovid. *Her.* II, 115 ; Catull. II, 13.

Zora[a]: Zora, ae, f. Hoc nomen, ab Arabico fonte derivatum, *auroram* significat.

Zoroaster[a]: Zoroastres, is, m. (Ζωροάστρης), non Zoroaster, cf. Plin. XXXVII, 10, 57 et alib. ; Solin. 2 ; Ammian. XXIII, 3, 32 ; Cas. gen. : *Zoroastri*, cf. Apul. *Apol.* 30 ; Cas. accus. : *Zoroastren*, cf. Plin. VII, 7, 15 ; Solin. I. ; Apul. *Apol.* 90, vel *Zoroastrem*, cf. August. *Civ. D.* XXI, 14 ; Oros. I, 4 ; Plin. XI, 42, 27, Apul. *Apol.*, 26 ; Iust. I, 1, 9. Hoc nomine, Persarum prisci sermonis proprio (*Zarathustra*), significatur fortasse *splendor auri.*

Zosimo[i]: Zosĭmus, i, m. Ducitur a ζώσιμος, quo Latine significatur *vitalis* ; occurrit pluries in veteribus litterarum monumentis, titulis et Mart. Rom. XVI Cal. Ian. e. a.

Zucchero[i]: Alia scribendi ratio nominis Zachariae ; v. *Zaccaria.*

Zyprian[ge]: v. *Cipriano.*

Zyriak[ge]: v. *Ciriaco.*

INDEX

Imprimi potest
J. Soetemans, *Abb. Gen.*
Romae 20 Oct. 1963

IMPRIMATUR
Sac. Marius Iacovelli
Vicarius Generalis
Tibure, 7 nov. 1963

FINITO DI STAMPARE IN TIVOLI NELLE ARTI GRAFICHE A. CHICCA IL 25 NOVEMBRE 1963